IOH. NICOLAI FVNCCII

Marburgenſis

DE

ADOLESCENTIA LATINÆ LINGVÆ

TRACTATVS,

Quo

Iuuenilis & creſcens eius in variis ſcientiis vigor & fata, inde a bello Punico ſecundo vſque ad Ciceronis aetatem, demonſtrantur.

MARBVRGI CATTORVM

EX OFFICINA PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI,

Academ. Typogr.

MDCCXXIII.

SERENISSIMO

ET

CLEMENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CAROLO I.

HASSIAE

LANDGRAVIO

PRINCIPI HERSFELDIAE

COMITI CATTIMELIBOCI

DECIAE ZIEGENHAINAE

NIDDAE ET SCHAUMBURGI

PATRIAE PATRI

PIETATIS RECTAE VACANTI

EXERCITIIS

ET BONARVM ARTIVM CVLTORES

FOVENTI

PIO FORTI FELICI

INCLVTO

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

OTII ACADEMICI FOETVM

QVALEMCVNQVE HVNC

EA QVA DECET PIETATE ET REVERENTIA

D.

AVCTOR

TANTO PRINCIPI

DEVOTISSIMVS ET CANDIDVS CIVIS.

SERENISSIME ET POTENTISSIME
PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,

QVae duo maxime videntur ſortis non adeo felicis homines ab omni genere ſcribendi deterrere, ea ſatis mihi etiamnum ego experior obuerſari: verecundiam, ſine qua nihil rectum, nihil honeſtum eſſe poteſt, ſeu, vt verius dicam, ſubruſticum pudorem; & malorum

ex altera parte inuidiam. Obtinentibus vbique, poſt reſtaurata bonarum artium & literarum ſtudia, eruditiſſimis viris, veriſque doctrinarum luminibus, nemo non videt, nunc paſſim locorum exſtare maxima & mole, & copia, libros, quorum cuilibet ſufficere poſſit vſus. Proin ſcribere amplius aliquid, indignum eſſe viro graui, occlamant vulgo, ſed illi, qui male affecti in quoſuis alios, ſibi ſapere, vel genio ſuo indulgere & ingenio, vel denique, vt plerosque eſſe comparatos apparet, ſuam ipſi tegere ſilentio ignorantiam, & improbi detractores, nouarum quicquid rerum eſt, arrodere malunt. Et hoc, ne quicquam diſſimulem, ſub ſpecie recti. Ea enim viuimus tempora, quibus, proh dolor, non ſine doctorum inſigni opprobrio, mortales, modo ſpem nominis habeant, ac ſinciput male ſanum, quodam quaſi impetu, ad inanes ſcribendi labores

ra-

rapiuntur: vt deliramenta ſomniaque ſua, ad ſummum ex variis ſcriptoribus, vera, falſa, culta, ſordida, ſine iudicio comportent; atque adeo quodcunque ſe obiicit menti, nullo ordine, nullo ſenſu, chartis illinant. Sed oportet illum ſatis inuidum aut faſtidioſum eſſe, qui negare velit, etiamnum quotidie ſcripta prodire, quae, quod vetuſtatem teſtantur & ſapientiam, aetatem ferre, ac varios poſt ſe fructus trahere facile poſſunt. Nouum certe quidem, & iniquum eſt, velle omnia componere ad exempla malorum. Cuius ordinis ſint opuſcula haec mea, iudicent docti & boni: ſibi perſuadebunt, nihil eſſe in hoc genere ſcribendi plano & ſimplici, niſi humanitatis ſtudium, quod, licet diu multumque haeſitauerim, nulla tamen hominum inuidia prohiberi paſſus ſum.

Enimuero ſine maxima verecundia & rubore, quomodo venirem in conſpectum eorum, quibus ipſa bonitas & incomparabilis eruditio coelitus conceſſa eſt? Orbem literatum innuo; ſed cumprimis TE, SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS, qui merito iure omnibus Haſſiae, aliarum ditionum literatis praeſides, faues, & ſingulos iuuare, & amare, & totos beneficiis obruere, nunquam deſiſtis. Ad TE inquam ſine verecundo colore accedere nequeo, PRINCEPS AVGVSTE, CVI quicquid eſt in me ingenii, quod ſentio quam ſit exiguum, ſub huius diſſertationis ſymbolo, dicatum & conſecratum eſſe volui: tantoque magis ſuffun-

ſuffundor pudore, quum certo conſtat, ea tantum PRINCIPIBVS deberi, quae praeſtantia doctrinae, & orationis elegantia, commendari prae ceteris poſſunt. Eiusmodi, quod ſciam, in me nihil eſt; attamen opuſculum hoc prorepit, & cum artis prae ſe fert ſpeciem, quae ab humanitate vocatur, HVMANISSIME PRINCEPS, TVAM virtutem ſequitur, & vmbram quaerit, & tutum ab iniquis literarum aeſtimatoribus apud TE conquieſcere exoptat: vti ſimul deuotionis illius monumentum ſit, qua TIBI hereditaria & ſumma cum religione devinctus ſum. D. T. O. M. TE SERENISS. ET POTENT. PRINCEPS, ſaluum diu Patriae & Bonis omnibus ſupereſſe velit, & conſeruet aeterna laude florentem

TVI

TVI Nominis Celsissimi Gloriam, quam Virtute consecutus es maxima, & quam ex mortalibus nemo non veneratur admiratione profunda: vti gentis Imagines, quod facis, & Tropaea Laetus, & Incolumis, & Felix, aliis super alia operibus augere pergas.

TVAE SERENITATI

Subiectissimus

IOH. NICOL. FVNCCIVS.

DE
VARIIS LATINAE LINGVAE AETATIBVS
ATQVE FATIS
(*DEO VOLENTE*).
SINGVLIS TRACTATIBVS EXHIBENDIS
PROGRAMMA.

CONSPECTVS.

§. I.

Ratio & lingua hominibus, summo Creatoris beneficio, data est, quae brutis animalibus negatur: 2. Licet nonnemo istis animam humanae menti analogam & 3. Linguam tribuere ausus sit. 4. Hominum, ratione intellectus atque vocis, praestantia describitur: 5. Quam ipsa Linguarum cultura probat. 6. Eius exemplum, ut in aliis, in Latina lingua evidentissimum haberi; modo respicere velimus ortum, progressum atque fata, 7. Suo merito omnibus commendata. 8. Auctores recensentur, qui L.L. historiam descripserunt; 9. Methodo alii atque alii diversa: ita ut L.L. aetates videamus aliis fuisse priscam, Latinam, Romanam, & mixtam; 10. Aliis antiquissimam, antiquam, perfectam & imperfectam; 11. Aliis vitae humanae congruas, pueritiam, iuventutem, virile robur, senectutem eamque vegetam, atque inertem; 12. Aliis auream, argenteam, atque ferream

13. Ad fata Latinae linguae in aetatibus suis, vitae humanae comparatis, describenda novus ordo, 14. Vicissitudines eius apprime dilucidans proponitur. 15. Quo ductus ordine, sibi Auctor, subcisivis horis, de variis Latinae linguae aetatibus atque fatis, dato specimine uno atque altero, haud frustra commentaturum persuadet.

PROGRAMMA.

§. I.

ERga diffusum isthoc & universo terrarum orbe propagatum genus humanum, tanta summi Numinis Beneficentia est, ut inter tot tamque varias creaturas, id solum rationali decorauerit anima, ipsique, ceu quid peculiare, loquelam, eam certis quibusdam sonis signisue intellectum comprobandi, & animi sensa clare ac distincte inuicem testandi facultatem dederit. Multa magnifica & praeclara abs Deo Parente & Sospitatore nostro nobis tributa videmus; verum hoc nihil excellentius aut illustrius, quam quod nos creaturas suas omnium esse nobilissimas, ad ipsam imaginem suam conformatas, eaque, propter nos, modo admirabili & prorsus stupendo, articulata voce, ut ineuincibili rationis argumento, ditare voluerit. Gaudemus, quotquot terraqueum globum inhabita-

inhabitamus, licet pro climatis diverſi ratione diverſa, coeli ſolique frugalitate ac temperie. Suſtentat alitque magna mater Terra homines ad univerſum ſua conditione omnes: Sed nutrit hæc eadem, nec minori bonitate, etiam feras & millena beſtiolarum genera alia: Excellimus variorum ſenſuum uſu: excellunt atque iſtis, prae hominibus ſaepe, animalcula abiectiſſima. Et, ſi de veſtitu, priſtini teſtimonio peccati, ſplenditis habitationibus diuitiisque multum gloriari velimus; probatum id fecerit, quanto, ſuperbientes de rebus adeo leuibus & vanis, haud raro noſmet ipſos brutis inferiores reddere non vereamur. Enim vero nihil praeſtantius, nihil quod laudibus, vel admiratione, magis efferri mereatur, Arbitri rerum omnium maximi beneplacito, mortalibus eſſe tributum videmus, quam quod rationali & proinde immortali anima exornati valde ſublimia meditari, iudicare, de rebus quibuslibet ſentire, & quae ſentiunt eloqui, congenito quaſi & naturali inſtinctu proferre, ſignificare aliis atque dicendo exprimere valeant. Ut adeo ſola lingua &, quae hujus gubernatrix eſt, rationalis anima cuique ſua teſtetur, eum vel praeſtare, vel partis eſſe minimum ſuae, omni & niſu & opera ſtudeat praeſtare caeteris animalibus, quae natura prona & ventri obedientia finxit.

§. II.

Fuere quidem ac ſunt etiamnum Viri docti, qui Brutis Animalibus ipſis rationem, aliqua ex parte animam & ſpiritum quendam humanae menti analogum vindicare non dubitarunt. Agmen ducit ipſe Plutarchus,

CHVS, *a*) qui ea opinione dicitur non ablusisse à veterum Philosophorum placitis, praeter dogma μετεμψυχώσεως. EMPEDOCLES quoque Brutis & Plantis rationem diserte vindicasse memoratur SEXTO EMPIRICO, *b*) qui & probabiliter id asseri omnino censet. *Namsi est eis*, inquit, *quae profertur oratio*, *necesse est etiam*, *eis inesse internam rationem*: *nam sine ea non potest consistere*, *quae profertur*, *oratio*. Accedit PORPHYRIVS *c*) qui hoc imprimis argumento, Bruta nixu hominum ab esu absterreri, contentit, parem illa nobiscum rationem habere. E recentioribus duos nomino, HIERONYMVM RORARIVM *d*) & IENKINVM THOMASIVM Britannum: *e*) quorum ille superiori & quod praecessit, hic nostro seculo, uterque mole exiguis quidem opusculis, sed maximo sermonis nitore

a) Ille scripsit peculiarem librum sub forma dialogi, *de solertia Brutorum*, quo de industria id argumenti tractat sibique obiectiones soluere videtur. *b*) De Philosophia lib. 2. *c*) Libro περὶ ἀποχῆς. *d*) Hic libris duobus operose conatur adstruere, *quod Animalia Bruta ratione utantur melius homine*. Postumum id Cl. Auctoris scriptum GABR. NAVDAEVS Romae invenit ac luci dedit publicae, primo Parisiis 1645. deinde Amstelodami 1654. 12. impressum. *e*) Tractatum THOMASIVS ille scripsit Philosophico-Apologeticum *de Anima Brutorum*, quo asseritur, eam non esse materialem, contra Cartesianam inprimis & vulgarem Theologorum aeque ac Philosophorum opinionem. Altorfi Noricorum 1713. 8. Cui etiam Cl. BAIERVS Professor Altorfensis scripta praefatione assentit testaturque, inter multiplices Eruditorum de Anima Belluarum sententias, nullum vel naturali hominum iudicio accommodatiorem, vel ad euoluendas actionum istorum animantium rationes expeditiorem esse ea, quae spiritu quodam humanae menti analogo regi bestiarum corpora statuit.

nitore & ingenio, data opera belluis animam, non eam materialem, qua de consentiunt Philosophi, sed rationalem & humanae certo respectu exaequandam adscribere annisus est.

§. III.

Sicuti belluarum dignitatem, non sine mentis humanae opprobrio, multis evehere allaborarunt; ita etiam secum inuicem Bruta colloqui & genere quodam sermonis sua sibi cogitata mutuo significare, probatum iuerunt. Ut adeo nemini mirum videri possit, quod Apollonius Thyanaeus passeres collocutos intellexit: *f*) cum etiamnum homines gloriari vix erubescant, haec & alia quidni & tussiculosos percepisse pulices. Sed risum nunc non desidero. Reuera non solum bruta sermonis humani capacia esse, variis illorum apophthegmatibus euincunt; *g*) verum etiam ista nobis praestare loquela naturali sua: utpote quae promtius & forsan felicius cogitationes sine interprete communicent, quam ulli valeant mortales, praesertim si peregrino sermone uterentur. *h*)

§. IV.

Isthanc vero controuersiam meam non facio: Quandoquidem ratione & quotidiana experientia constat,

 in

f) Vid. PHILOSTRATUS in vita Apollonii. *g*) Vid. modo laudatus IENKINUS THOMASIUS de Anima Brutorum §. 2. & 3. Conf. LOCKIUS de intellectu humano p. 409. DRECHSLERI Dissertatio historico-physica de Sermone Brutorum. ERASMI FRANCISCI lustige Schaubühne tom. 1. pag. 11. seqq. PETRI LAUNÆI Theatrum mundi minoris lib. 1. CAMERARII Hor. subcis. passim. Alii. *h*) Vid. ISAACUS VOSSIUS de viribus rythmi pag. *66*. Confer. MORHOFIUS Polyhist. liter. lib. 4. c. 1. §. 3.

in animalibus brutis praeter brutum inſtinctum & actiones, quas ipſa non intelligunt, ne hilum quidem inueniri, mentis quo vires ac habitum vel etiam aliquatenus linguam oſtendant: licet in omni affectu certas vocis notas exprimere videantur. Ut alia nunc taceam abſurda eorum, qui rationalia cum mutis *i)* & irrationalibus, ſi non coaequare, ſaltem confundere, & neſcio quid tandem utrisque vel affinitatis, vel incongruae cognationis adſcribere volunt. Certe ſolus homo ille primitus ad ſummi Creatoris imaginem efformatus, quem ideo Spiritus S. *k)* vetat eſſe ad inſtar muli & equi expertium intelligentiae, in omni ſocietate & converſatione ſono articulato proprium ſermonem illum cogitationis teſtem profert. Omnium, quotquot iſthac terreſtri vita gaudent, creaturarum ſolus homo rationem pro fundamento habet, uti ſingula animi meditata ſenſaque, vel quicquid eſt, diſtincte & pro lubitu eloquatur. Solus homo a DEO T. O. M. facultatem & intellectum accepit: ut cuicunque aſpectabili pro natura vel ſubſtantia ſua nomen indiderit & diverſa quodlibet appellaverit voce. Hinc iſtud ſummum ſummi Numinis Beneficium &, quod in nos creaturas ſuas ponere gratioſe voluit, miraculum conſiderando aſſequi ſatis, ceu in ecſtaſi, non valemus, quid, vel quomodo fieri posſit, ut omnia mentis cogitata vario eoque tremulo linguae

---

i) *Mutus* onomatopœa eſt incertae vocis, quaſi mugitus. Nam mutus ſonus eſt proprie, qui intellectum non habet. Vnde NÆVIVS: *Ducite eo cum argutis linguis mutas quadrupedes.* Apud NONIVM MARCELLVM cap. 1. n. 29. *k)* Pſalm. XXXII. 9.

guae cum labiorum motu & aëris vibratione proferantur, & cum aliis methodo facillima communicari queant.

§. V.

Pereximia porro Animi dona arguunt & artium & linguarum incrementa, quae post dispersionem populorum, toto orbe, dialecto primum, deinde oratione integra variante, sensim sine sensu politiorem induebant habitum: ut amplissimam nunc mentis humanae facultatem, cum vocabulorum & figurarum dulcifluarum copia, magis tamen in aliis, atque in aliis nationibus, suauissima consentiente Musa, demonstrare sufficienter possint. Neque solummodo nunc una dicendi ratio vel lingua mortalium animos occupat, cum patria una cuique sua & nativa sufficiat vernacula; Sed exoticarum quoque studium illud satis prolixum hominibus placet usque adeo, ut brevi temporis spatio alii bilingues, alii trilingues, alii πολυγλώσσοι facili negotio esse deprehendantur.

§. VI.

Ne nunc alias in medium protrahamus, Lingua Latina sufficienti dictorum exemplo nobis esse poterit; quae ut olim floruit maxime, sic etiamnum latissime patet. Quam exiguis, Bone Deus! imo vero horridis barbarisque auspiciis, prisci eam, prima aetate, in Italiam invexerunt: Quam arctis deinde cancellis atque limitibus eam ratione humana paulo cultiorem redditam vetus Latium continuit: Usque quo summi Oratores & Eloquentiae Magistri eam magis perpoliuerint, & in isthoc nitoris suauitatisque perduxerint fastigium, quod tantum non

toto

toto iam celebratur in orbe. Tum carceribus ſuis erumpens, aetate adulta provectaque, longe diſſitas cum patrio Imperio Regiones pervaſit, eamque gloriam conſecuta eſt, ut pro lingua Romanae monarchiae, ſi qua fuit, diffuſorum ſubditorum, civium, coloniarum, caeterorumque populorum valde familiari, imo vero neceſſaria & pene univerſali conſueuerit haberi. Quid? quod & ipſe Muſarum plenus & literatus orbis, in hunc uſque diem, celeberrimum iſtud Romanorum idioma, pro communi artium propagandarum medio & lingua eruditorum vernacula proclamare dignatus fuerit.

§. VII.

Vanus eſſe viderer, ſi pluribus eam vel laudibus euehere, vel curioſe perquirere velim, quanto ſermonis ille ſplendor leposque rationis uſu & artificio opus habuerit. Sufficit, eam ſuo ſe merito & fortius ipſam commendare omnibus. Sufficit experientia quotidiana nos edoceri, quam frequenter quantoque cum applauſu, noſtra his loquendi formis perſonent auditoria. Sufficit more iam diu fuiſſe receptum, ut ſingulari cura & omni ſtudio in ludis priuatim & publice Latinitatem diſcere tyrones, nec iniuria teneantur. Qua methodo, quoue ſucceſſu, viderint illi ipſi, quorum induſtriae ac prudentiae chariſſima iuuentutis ſtudioſae ingenia committuntur. Mihimet conſultum iugiter viſum eſt, deguſtatis primum brevioribus Grammaticorum praeceptis, Latinitatem neque facilius, neque rectius puriuſue hauriri unquam potuiſſe, quam ex ipſis linguae Latinae fontibus,

tibus, claſſicos puta Auctores optimos: quos utique ab aliis valore ac aetate diſcernere, ut & ipſius linguae originem atque fata cognoſcere multum intereſt. Hinc leuamen operis, Scriptorum notitia, in rem literariam manuductio, in difficilioribus iudicium, in cauſis ſubobſcuris intellectus, genuini ſermonis amor, Eloquentiae ſtudium, facillima Latinitatem & docendi & diſcendi methodus, & mille commoda deliciaeque prouenient. At quis dubitare poteſt, haec omnia Tyronibus aeque ac humaniorum literarum Candidatis arridere?

§. VIII.

Intenderunt, id literis Romanis accendere lumen, grauiſſimi tum vetuſtioris, tum recentioris aeui Eloquentiae Patroni: quorum merita monumentis inſculpta aere perennioribus regalique ſitu altioribus pyramidum, neque innumerabilis annorum ſeries, neque fuga temporum diruere poteſt. Ex antiquioribus primo loco nobis memorandus venit M. T. CICERO patrii ſermonis inſtaurator & omnis Eloquentiae parens, qui paſſim, cumprimis in egregio *de claris Oratoribus* commentario, veterum dicendi ſcribendique modum & priſtinam Latinitatis faciem commonſtrare aggreditur. C. IVLIVS CAESAR & lingua & armis victricibus inſignis ſcripſit *de Analogia* libros duos ad M. Ciceronem, *l*) quibus de Latinitate eiusque hiſtoria optime

B dicitur

l) Vid. SVETONIVS in vita Iul. Caeſ. cap. 56. Confer. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 19. c. 8.

dicitur fuiſſe meritus: iſti quantumvis iniuria temporum interciderint dudum. Auctor dialogi, *an ſui ſeculi oratores antiquis, & quare, concedant*, ille ſiue QVINTILIANVS, ſiue TACITVS, cui vulgo tribuitur, ſiue alius ſit aliquis, docte & eleganter de vario dicendi genere diſputat, & nonnihil reconditae antiquitatis, luce meridiana clarius in conſpectum exponit. M. TERENTIVS VARRO, POMP. FESTVS, M. VERRIVS FLACCVS, NONIVS MARCELLVS, ISIDORVS aliique *m*) origines & etymologiam Latinae linguae pertractarunt, eius haud raro commemorantes fata. In eundem cenſum venit AVLVS GELLIVS, qui *noctibus Atticis*, ita miſcellanea ſua inſcripſit, de Romana philologia paſſim diſputat, nobisque veterum quamplurima exhibet monumenta, ipſius maxime ſtudio ab interitu reuocata. Magis huc faciunt ſcripta eorum, qui recentiori aetate & poſt reſtauratam cum aliis artibus Latinitatem, ſtudia elegantiora quaeque ad humanitatem pertinent, quodam quaſi communi vinculo & cognatione coniuncta omnia curae cordique habuerunt, ac proinde laudibus efferuntur prope diuinis. Hos inter HADRIANVS CARDINALIS, poſtea Romanus Pontifex eius nominis Sextus ille, qui nihil ſibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit, elegantiſſimo de *Sermone Latino* commentario-

m) Hos atque alios *Auctores Latinae linguae* in unum corpus redegit ac euulgauit DIONYSIVS GOTHOFREDVS Geneuae 1585. 1595. ſaepius in 4. Aliud corpus collegit ELIAS PVTSCHIVS. & è MSC. veteribus reſtituit Hanouiae 1605. in 4. IOH. THOD. BELLOVACVS ex officina Aſcenſiana 1516. in folio. GEORGIVS FABRICIVS Lipſiae 1569. in 8.

mentariolo, tractatui *de modis Latine loquendi* praemisso, classicum Auctorem in aetate quemque sua satis accurate examinat. *n*) FRIDERICVS TAVBMANNVS *de lingua Latina* dissertatione obseruationes haud contemnendas cum orbe literato communicauit. *o*) M. ANTONIVS SABELLICVS insignia quaedam enarrauit in dialago *de Latinae linguae reparatione. p*) OBERTI GIFANII obseruationibus in linguam Latinam scripta quoque annexa haec sunt, *de ratione discendarum linguarum* dissertatio, *de Latinae linguae reparatione* dialogus, *de periodis litterarum & doctrinae* dissertatio, *de quinque aetatibus Romanae linguae*, item *de periodis linguae Latinae* dissertatio, denique Apologia pro poëtis Latinis, *in M. A. Plauti aliorumque Poëtarum & linguae Latinae obtrectatores. q*) Eo spectat porro CHRISTIANVS BECMANNVS Bornensis, tractatu, quem inscripsit *Manuductionem ad Latinam linguam*, alio *de Originibus Latinae linguae. r*) SEBAST. CORRADVS *de Latina lingua* pertractatione satis luculenta, vbi de mutationibus aliisque multa egregia habet. IOHANNES NIES *de ortu & occasu L L. cum eiusdem instaurandae modo.* s) MELCHIOR

n) Comparet ille, post editiones saepius repetitas, & inter Scriptores de elegantiori Latinitate comparanda, studio & opera RICHARDI KETELII. Viri Cl. selectos, quam nitidissime impressus Amstelodami apud WETSTENIOS. 1713. in 4. *o)* Witebergae 1602. in 8. *p)* Neapoli Nemet. 1617. in 8. *q)* Francofurti 1642. in 8. Sed omnium nitidissime omnia in Cl. KETELII modo laudata collectione reperiuntur. *r)* Tertium editus est ille tractatus Hanouiae 1619. in 8. Sed lucem, nisi me omnia fallunt, primo vidit publicam anno 1614. *s)* Dilingae 1627. in 12.

INCHOFER Bauarus Iesuita *Sacrae Latinitatis historia*, quam libris VI. absoluit, multa eruditissima & scitu maxime digna proposuit, circa ortum, progressum & mutationes per omnia secula, ad ipsam barbariem usque & recentiora tempora. *t*) CAROLVS DV FRESNE praefatione *Glossarii Latini medii aevi*, causas corruptae Latinitatis industrie examinat. GERH. IOH. VOSSIVS praefat. operis *de vitiis sermonis*, & in ipsis *de Historicis* & *Poëtis Latinis* comentariis, huius linguae fata, quod dicere solent, acu tangit. OLAVS BORRICHIVS cogitationes *de variis LL. aetatibus* euulgauit. *v*) Et post eum ANDREAS BORRICHIVS *vindicias purioris Latinitatis*. *x*) CHRISTOPH. HENR. LAVTERBACH Rector Islebiensis programmatibus diuersis de classicorum Auctorum aetatibus egit. IOH. HENR. FLORINVS Professor Herbornensis scripsit orationem *de quatuor LL. seculis*. *y*) IOH. DANIEL CRAMERVS tunc Hanouiae elegantiorum, postea Servestae sacrarum literarum Professor de fato linguae Latinae perorauit. *z*) CHRIST. CELLARIVS idem non vna dissertatione praesertim in illa *de fatis Latinae linguae* *a*) in proleg. curarum posteriorum *de barbarismis & idiotismis sermonis Latini*, *b*) quam solidissime pertractauit. DANIEL GEORG. MORHOFIVS *Polyhist. liter.* lib. 4. c. 11. seqq. IOH.

---

t) Monachii 1638. in 8. *v*) Hafniae 1675. in 4. *x*) Hafniae 1706. in 8. *y*) Herbornae 1694. in 4. *z*) Hanouiae 1694. in 4. *a*) Prodiit haec dissertatio primum Halae 1701. 4. Deinde CELLARII differt. Academ. part. 2. studio & cura Cl. WALCHII digni tanto viro discipuli, nunc Professoris Ienensis celeberrimi recusa. *b*) Ienae 1687. in 12. Saepius impressae & auctae.

IOH. CLERICVS *Artis Criticae* tom. I. p. I. cap. 2. CYRIACVS GVNTHERVS Append. *Latinitatis restitutae* part. I. c) IOH. ALB. FABRICIVS *Bibliotheca Latina.* d) IACOBVS BVRCKHARDVS commentariis *de Latinae linguae in Germania per XVII. Secula amplius fatis.* e) IANVS VINCENTIVS GRAVINA ICtus Romanus *dialogo de Latina lingua ad Emanuelem Martinum*, item *de instauratione studiorum* & *de Sapientia uniuersa* orationibus. f) IACOBVS FACCIOLATVS Philologus Patauinus celeberrimus Appendice orationis *de Latina lingua non ex Grammaticorum libris comparanda.* g) BENIAMIN HEDERICH ab Exordio *notitiae Auctorum antiquae & mediae aetatis.* h) Et nouissime IOH. GEORGIVS WALCHIVS *historia critica Latinae linguae*, i) maxima, vti solet, facundia & exquisitae Eruditionis copia demonstrauit, quicquid circa hanc materiam notari ferme potest ac debet. Neque silentio praetermittendus est Pl. Rev. & celeberrimus IACOB. FRID. REIMANNVS, qui *Introductionem in Historiam vocabulorum linguae Latinae* à primo ortu, per certam annorum seriem adornauit.

---

c) Ienae 1701. in 12. d) Hamburgi 1697. 1708. & 1712. 8. e) Hanouerae 1713. 8. f) Hae cum aliis orationibus & opusculis antea separatim editis, recusae prostant vltima editione *Originum Iuris ciuilis*, Lipsiae 1717. in 4. à pag. 667. 622. & 647. g) Patauii primum 1713. postea Lipsiae 1715. 4. cura Celeberrimi WALCHII, recusa, qui doctissime de eodem argumento praefatus est. h) Witembergae 1714. 8 i) Lipsiae 1716. 8.

§. IX.

Vtplurimum certis aetatibus atque periodis Latinam linguam difcernere folent. Neque difcernunt eam omnes vno eodemque modo. Quidam, vt apud ISIDORVM *k*) legimus, in *Prifcam*, *Latinam*, *Romanam* atque *mixtam*. Linguam nominarunt *prifcam*, qua vetuftiffimi Italiae populi fub Iano & Saturno vtebantur, incondita vt fe habent carmina Saliorum, *l*) fcilicet

Quum neque Mufarum fcopulos quisquam fuperarat,
Nec dicti ftudiofius erat.

Latinam effe voluerunt, quam fub Latino & Regibus Tufciae caeteri in Latio funt locuti; ex qua fuerunt XII. Tabulae fcriptae. *m*) *Romanam*, quae poft Reges exactos in populo Romano viguit, quam Naeuius, Plautus, Ennius, Virgilius Poëtae; ex Oratoribus Gracchus, Cicero caeterique effuderunt. Denique *mixtam*, quae poft Imperium latius promotum fimul cum moribus & hominibus in Romanam ciuitatem irrepfit, integritatemque verbi per foloecifmos & barbarismos

k) Origin. lib. 9. c. 9. *l*) Egregie hic fallitur, Saliorum Carmina referens in primam, quam conftituit, L L. periodum. Illa enim, quod alibi notauimus, aetatis longe recentioris fuere, ab Numa Rege Romanorum fecundo inftituta. *m*) Nec hoc. Quis enim nefcit, XIV. Tabulas, Regibus diu exactis, & Decemuiris Romae iamiam conftitutis ee fuiffe à Graecis translatas?

barifmos corrupit. Haec Ifidorus. Sed omnia non modo confufo & ftatu & ordine, verum etiam ad rem non fatis diftincte propofuit. Hac enim ratione genera potius Latinae linguae, quam fpecies ac diuerfas aetates fuiffe adnotatas, cum Olao Borrichio *n*) nobis quam maxime videtur.

§. X.

Obertvs Gifanivs, vel quifquis fit auctor Differtationis de Latinae linguae periodis, *o*) quatuor poft Romam conditam facit Doctorum Latinorum tempora: *Antiquiffimum*, *Antiquum*, *perfectum*, & *imperfectum*. *Antiquiffimum* ab V. C. vfque ad Liuium Andronicum, quod interuallum IↃXIV. annorum fuiffe M Tullius in Bruto commemorat. *Antiquum* tempus id effe dicit, quod ab ipfo Liuio ad Ciceronis aetatem interfuit, quod vix centum annos, vt ex ipfo Cicerone colligitur, exceffit. Tempus *perfectum*, Ciceronis aetatem, & *imperfectum*, eam fubfequentem vocat.

§. XI.

Alibi *p*) cum Hiftoricis aetates Latinae linguae iftas ab Vrbis origine conftitutas numerat quinque. *Primam aetatem* fuiffe,ait, fub Regibus an.CCXLVI quafi pueritiam Vrbis, qua Reges feptem fuerint Monarchae. *Secundam*

---

n) Cogitationibus de variis LL. aetatibus. *o*) Oberti Gifani; obferuationibus Latinae linguae cum aliis haec differtatio annecti folet. *p*) Differt. de V. Aetatibus Romanae linguae ibid.

Secundam aetatem ſub conſulari poteſtate & libera Ariſtocratia, h. e. gubernatione Optimatum per años CCCCLX. quaſi Iuuentutem & viridiorum aetatem ſeu Adoleſcentiam. *Tertiam aetatem* ſub Caeſaribus & Imperatoribus: quorum Monarchia legitima durauit a Iulio Caeſare vſque ac Valentinianum III. per annos IↃIV. aetatem virilem. *Quartam aetatem* ſub Tyrannis & barbaris, qui Romam atque Italiam afflixerunt, miſerrimeque vexarunt, per annos CCCLXXV. ad Carolum Magnum vſque, ſenectutem. Vltimo *Quintam aetatem*, quaſi decrepitam & confectam ſub Pontificibus Romanis & Caeſaribus Germanis. &c. Accuratius tamen feliciusque deinceps illas LL. aetates in deſcribendis quarumque Scriptoribus notauit. Ita certe nunc è recentioribus plerique *q*) ad diuerſas vitae humanae aetates *r*) fata & periodos Latinae linguae conſiderare ſolent, *pueritia* ſeu infantia, *Iuventute* ſeu Adoleſcentia, *robore virili* ſeu aetate adulta, *Senectute* eaque *vegeta* tandemque *inerti*. Eaque methodo vt faciliori magisque rei appoſita veteres

---

q) Hic fata LL. per aetates generi humano proprias deſcribendi modus placuit inter alios quoque IVLIO SCALIGERO enumeranti aetates Poëſeos Latinae. G. I. VOSSIO de Hiſtoricis Latinis lib. 1. c. 1. De Poëtis Latinis cap. 1. circ. init. Alibi. FACCIOLATO Patauino Philologo Celeberrimo ſyntagm. de ortu, interitu ac reparatione Latinae linguae. *r*) Aetas Medicis quadruplex eſt, pueritia, iuuentus, ἀκμὴ ſiue aetas conſtans & ſenectus. Vnde HIPPOCRATES lib. 1. Aphoriſm. ſect. 13. *Senes facillime ieiunium ferunt, mox quibus aetas ſtata eſt, minus Adoleſcentes, omnium minime pueri, praeſertim qui acriori ſunt ingenio.*

veteres vtebantur Hiſtorici, quando rerum Romanarum originem & incrementa deſcribere inſtituebant. Ita FLORVS *s*) *Si quis ergo*, inquit, *populum Romanum quaſi hominem conſideret, totamque eius aetatem percenſeat, vt coeperit, vtque adoleuerit, vt quaſi ad quendam Iuuentae florem peruenerit, vt poſtea velut conſenuerit, quatuor gradus proceſſusque eius inueniet &c.* Pari modo LACTANTIVS: *t*) *Non inſcite Seneca v*) *Romanae Vrbis tempora diſtribuit in aetates. Primam enim dixit infantiam ſub Rege Romulo fuiſſe, à quo & genita & quaſi educata ſit Roma. Deinde pueritiam ſub caeteris Regibus &c.* Quod adeoque Gratippus ille nobilis peripateticus Pompeio M. a clade Pharſalica ad ſe diuertenti reſpondit, *fatales eſſe imperiorum periodos*, id quoque de literis & lingua Latina veriſſime affirmare licet. Quemadmodum etiam in terrae frugibus & arborum prouentu obſeruare poſſumus, nobis nunc vberrimos largiri fructus, nunc rariores, nunc minus ſuaues, quod, natura interueniente, ager ſuas colligere vires & quieſcere debet; ita res omnino in prouentu ingeniorum & literarum cultura ſe prorſus habet.

§. XII.

Alii quatuor faciunt Latinae linguae aetates ab inuicem diſtinctas, vt differunt inter ſe metalla, *Auream, Argenteam, Aeneam, Ferream*: quas a Poëtarum fabulis

s) Hiſtor. Rom. prolog. *t*) Inſtit. Diuin. lib. 7. c. 15.
v) Locus ille quadam iniuria temporum interiit, ac hodienum in nullis SENECAE operibus exſtat.

fabulis mutuasse videntur. Ita namque HESIODVS considerans rerum humanarum tempora consulto scribit: *x*)

> Χρύσεον μεν πρώτιςα γένος μερόπων ἀνθρώπων
> Αθάνατοι ποίησαν.
>
> *Aureum quidem primum genus diuersiloquentium hominum*
>
> *Dii fecerunt.*

Postea: *y*)

> Δεύτερον αὖτε γένος πολὺ χειρότερον μετόπισθεν
> Αργύρεον ποίησαν ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.
>
> *Secundum inde genus multo deterius postea*
> *Argenteum fecerunt coelestium domorum incolae.*

Rursum: *z*)

> Ζεὺς δὲ πατὴρ τρίτον ἄλλο γένος μερόπων ἀνθρώπων
> Χάλκειον ποίησ', ὀυκ ἀργυρῷ ὀυδὲν ὅμοιον.
>
> *Iupiter verò pater tertium aliud genus hominum*
> *Aeneum fecit, omnino Argenteo dissimile.*

Denique: *a*)

> Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐςὶ σιδήρεον. -- -- --
>
> *Nunc enim genus est ferreum.*

Pari modo OVIDIVS: *b*)

> *Aurea prima sata est aetas, quae, vindice nullo,*
> *Sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.*

Deinde:

---

x) HESIOD. Opera & dies v. 109. *y*) Ibid. v. 126. *z*) Ibid. v. 142. *a*) Ibid. v. 174. *b*) Metamorph. lib. 1. v. 89.

Deinde: *c*)

Poſtquam, Saturno tenebroſa in Tartara miſſo,
Sub Ioue mundus erat; ſubiit argentea proles,
Auro deterior, fuluo pretioſior aere.

Porro de reliquis duabus: *d*)

Tertia poſt illas ſucceſſit aenea proles,
Saeuior ingeniis, & ad horrida promtior arma,
Nec ſcelerata tamen. De duro eſt vltima Ferro.

e) His addunt alii *aetatem plumbeam*; alii *luteam* atque *ligneam*. Praemittunt alii Latinitatis aetati aureae *ſemibarbaram*, ſeu mediam inter Barbaram atque auream; alii inſuper *barbaram* ipſam & incultam eam aetatem: quas alii alio alioque modo circumſcribere ſolent.

§. XIII.

Nobis prior magis arridet ille fata Latinae linguae in aetatibus humanis conſiderandi modus, ſi methodo facillima id agere nunc animus eſt. Latinitatem proponimus nobis eam in vigore ac puritate, quam Tullii aeuo, niſi me fallunt omnia, perfectam habuit, vel ab vitio quocunque remotam. Latinitatem ſiſtimus nobis non facillantem, non hiulcam aut qualibet Barbarorum incomta voce infectam; ſed virginem caſtam & integram: non aliquo modo laſciuientium pruritu pellectam; ſed cautam & circumſpectius paulo agentem, prout eam ſeculo Auguſteo verſatam fuiſſe

c) Ibid. v. 113. *d*) Ibid. v. 125. *e*) Confer. SENECA Hippolyto A. 2. S. 2

comperimus. *f*) Quoniam vero paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat: ea vniuerſi generis humani conditio, ea rerum viciſſitudo eſt, vt ſumma tandem imis cedant; contra quae flocci & nihili ſunt, temporis ſucceſſu in altum ferantur ac praeclarum famae & honoris faſtigium, praeter ſpem & opinionem mortalium, aſſurgant. Sic omnia huc illuc transferuntur, ſua manet quemque lege naturali mutatio & ſimul parta ſperataque decora vnius horae fluxu euerti ac interire poſſunt. Idem, quod in lingua noſtra cumprimis obſeruare licet. Facimus hinc illius aetates, quae nunc etiam mortales inter obtinent, varias, totidemque notabiliora linguae interualla, quibus originem, incrementa, perfectionem, decrementa, interitum ac reſtitutionem, ſole meridiano clarius cernere queamus, nouem ſectionibus, quicquid illius pertractationis fuerit, comprehenſuri.

(I.) Agimus *de origine* & quaſi natiuitate Latinae linguae;

(II.) *de*

f) Ita videlicet Cornificivs Rhetor. ad Herennium lib. 4. vbi de ornamentis ſermo eſt, *Latinitas*, inquit, ea *eſt*, *quae ſermonem purum conſeruat ab omni vitio remotum*. Maximvs Victorinvs eam dicit eſſe incorruptam loquendi obſeruationem ſecundum Romanam linguam. Et S. Prosper. lib. 3. de vita contempl. cap. vltim. *Ea eſt*, inquit, *ni fallor*, *iudicata Latinitas*, *quae breuiter & aperte*, *obſeruata duntaxat verborum proprietate*, *res intelligendas enunciat*, *non quae vernantis eloquii venuſtate luxuriat*.

(II.) *de Pueritia*, linguam incultam ſub Regibus & ſenatorio regimine ad vſque bellum Punicum ſecundum;

(III.) *de Adoleſcentia* ſeu iuuenili aetate, inde ad L. Cornelii Syllae tempora & annum V. C. circiter Iↄ CLXX.

(IV.) *de ſtabili vel adulta* aetate, quam Graeci ἀκμὴν vocant, vſque ad obitum Octauii Auguſti Imperatoris, quod temporis ſpatium Latinae linguae perfectionem ac robur virile continet;

(V.) *de imminente illius ſenectute* ab Anno Chriſti XIV. quo diem ſupremum obiit Auguſtus, ad exceſſum Traiani, qui contigit anno CXVII.

(VI.) *de Senectute vegeta*, ab obitu Traiani, ad Honorium Imperatorem & Romam à Gothis expugnatam anno Chriſti CCCCX.

(VII.) *de Senectute inerte vel decrepita* ad obitum Caroli M.

(VIII.) *de Latinitate decumbente* & quaſi in agone verſante, ad ſeculum Chriſti XV.

(IX.) *de reſtaurata vel ex orco reuocata Latinitate*, inde ad noſtra vſque tempora.

§. XIV.

Primitus Latina lingua, alio licet nomine, Italiam inuecta ab illis, haec ora qui primi ſalutarunt, Alpibus ſuperatis, Aboriginibus, conſono ſatis barbaro & alieno crudum puerperium vidit. Mixta breui poſt

Graecis institui literis & perpoliri coepit: ante & post Romam conditam, eius durante Pueritia ac infantia ad id tempus, quo Romani secundo bellum Carthaginiensibus inferebant. Qualis tum fuerit dictio, vel ex paucissimis eorum fragmentis, legum, carminum & tabulae Rostratae patet. Paulo curiosior subsequens aetas iuuenilis, quando scriptores maiori & copia & bonarum artium scientia & linguae cura in lucem prodiere. Fuit tamen compositio eorum satis adhuc dura, phrases horridiores, verba item singula minus lecta & saepe ingrata. Sed ἀκμὴ aetas vigens, matura, constans atque florens absolutae doctrinae & elegantiae seculum comprehendit, quo Roma ἀκμάζουσα seu maximo in flore fuit, quando Caesar Augustus imperii fasces tenebat. Omnes tum cepit sanior & castior sermo Latinus. Nec ille diu superauit, quin decursu temporum a vigore suo paulatim declinauerit. Et proxime secuta est παρακμὴ, declinans vergensque ad senium aetas, cuius dictio ab elegantia & virtute seculi Ciceroniani aliquomodo deflexit. Neque tamen scriptores habendi sunt pro sordidis nouisque, multa enim retinuere orationis optimae ex illo, quod praecessit, felicissimo Latinitatis seculo; ut, si quae (sunt autem quamplurima) reperiuntur in illis rectae sermonis & elocutionis formae consentanea, nihilominus sedulo nobis imitanda veneant. Peius sequens, sed pessima reliqua duo secula fuere, quando grauiter decumbente Latinitate, Theologi Scholastici & Philosophi barbari, non modo sermonis natiuum decus corruperunt, sed plane

plane nouum & inauditum orationis genus ſibi effinxerunt. Ita cum barbarorum ſentina omnis impuritas ſordesque omnes in Latinitatem morti coniunctam ſepultamque influxerunt, ad vſque laetam ἀνάςασιν ſeu renouationem, cum bonae literae quarto decimo labente, poſt Chriſtum natum, ſeculo excitarentur. Ex quo tempore Latinitas quodammodo renata coepit tantas continuo ſumere vires, vt iam ſeculo quinto decimo ad floridam aetatem properare, & proxime ſequentibus denuo ad auream illam & perfectam Auguſti aetatem acceſſiſſe propemodum viſa fuerit.

§. XV.

Duo capita priora *de origine* & *pueritia Latinae linguae*, diſſertationibus mole & doctrina perexiguis, cum orbe literato communicare nuper auſus ſum. Quae cum praeter merita etiam ab Eruditiſſimis Viris & illis elegantiorum literarum amantiſſimis, non ſine applauſu, ringantibus *g*) licet aliis, fuiſſe accepta, publicis iamiam atque priuatis eorum literis cognouerim: tertiam nunc ſuauiſſimae ac perutilis, quam eſſe nemo dubitat, hiſtoriae partem ea, qua coepi, methodo ſubnectere & non nihil *de Adoleſcentia Latinae linguae* commentari animum induxi tractatu propediem typis ſubiiciendo, reliqua D. V. horis ſubciſiuis parare cogitans. In eo fuero totus quantus, vt paulo fuſius linguae fata, quam

g) Quibus quidem ſufficiat in aurem dixiſſe Terentianum illud Adelph. A. I. S. 2.

Homine imperito nunquam quidquam iniuſtius;
Qui, niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.

quam hactenus a quoquam factum, B.L. ob oculos ponam, notabiliora literaturae & humanitatis momenta accuratius examinem, obſcuriora exemplis non vbique obuiis dilucidem, ſua quamque aetate clarius, vt potero, demonſtrem Latinitatis faciem, eandemque obſeruationibus ſtudioſe conquiſitis pro ingenii modulo inluſtrare annitar. Caetera, vt eius linguae habeatur abſolutiſſima hiſtoria, eaque in ſuo genere breuis (Doctiſſimos enim breuitatem & contractam cauſae vulgaris pertractationem amare, in hac praeſertim materia cernere licet) compenſabunt ea, quae hactenus à tot tantisque ſupra memoratis Reip. *literariae* luminibus vel ſparſim & obiter, vel data opera & inſtituto valde laudabili ad conſpicuas Romanae Eloquentiae ſtudioſorum fructus intentata fuerunt. Lector Beneuole, pro Humanitate Tua, Scriptoris nihil niſi gloriam ſummi Numinis, elegantiorum literarum ſtudium & aſſenſum tuum deſiderantis faue conatibus atque Vale. Marburgi Cattorum XIII. Kalend. Iun. cIↄ Iↄ CCXXII.

DE ADOLESCENTIA LATINAE LINGVAE TRACTATVS.

CAPVT I.

Quibus modis Latina Lingua adoleuerit.

§. 1. Ad creſcentem aetatem ſiue Adoleſcentiam LL. tranſitio: 2. Circa quam alii in defectu, alii in exceſſu peccant. 3. Artes & diſciplinae tum ſurrexere, atque commodior paulo ſcribendi ratio: in quibus Latini Graecos habuere principes. 4. Studiis Romani, quam antea, coeperunt magis indulgere & literatos aeſtimare: 5. Vt inuicem ſcripta ſua communicare inſtituerint. 6. Hinc ſenſim ac ſenſim linguae ſuccreuit elegantia & nitor, 7. Et gloria, vt in prouinciis paſſim introducta & in ipſa vrbe vſu frequentiori venerit: vbi tunc temporis Graeca literatorum lingua communis erat. 8. Quamobrem aetas illa ab ſequenti cenſeatur fuiſſe diuerſa, neque aurea dicenda: 9. Non habita ipſius Plauti & Terentii, clariſſimorum huius aeui ſcriptorum, ratione. 10. Veterum teſtimoniis ſententia de conditione illius ſeculi comprobatur.

§. I.

ADoleſcentiam Latinae Linguae, pro ingenii modulo, deſcribere aggredior. Aetatem eſſe quidem conſtat ſatis adhuc difficilem demonſtratu, & ipſa tum antiquitate ſua, tum ſcriptorum nobis reſiduorum inaequali dictione obſcuram, nec omni ſua parte conſpectam; nihilo tamen minus vel ex ſignis

quibusdam fractisque versibus eam pulchre admodum multis arridere & summam prae se ferre iucunditatem video: quominus dubitem in apricum protrahere, quae, quantum licet, illius aeui sunt notatu maxime digna. Id temporis spatium innuo, quod bellum Punicum secundum & M. T. Ciceronis aetatem, vulgo Augusteam, intercessit. Hanc inter atque praeteritam, pueritiae nomine quam alibi notauimus, itemque inter hanc & subsequentem felicissimam stabilemque LL. aetatem, obseruatur ingens, pro temporum ratione, differentia. Nec vno eodemque momento, veterum Romanorum dictio omnem barbariem foedamque vestem suam deposuisse dicenda. Sed quemadmodum recens natus homo progressu temporis noua solet incrementa sumere; vt natales pueritiamque adolescentia, adolescentiam virilis aetas, & hanc rursum aliae excipiant: sic quoque Latina lingua vires magis magisque suas consecuta fuit; donec ad candidissimum illud ac felicissimum eloquentiae culmen peruenerit. Scriptores itaque priores a posterioribus, & ab his succedentes alii merentur ob istud orationis discrimen probe distingui. Distinguuntur autem vulgo, quod Programmate huic tractatui praefixo commonstratum est, vt ab inuicem metalla, aurum ab argento, argentum ab aere &c. Hinc quatuor communiter describuntur seculis, aureo, argenteo, aeneo & ferreo seu plumbeo. Nos cum accuratissimis Criticis, commode magis ac faciliori methodo, ita saltem nobis persuademus, Linguae Latinae facimus quasi aetates, vt in humana obtinent vita, puerilem, crescentem, adultam, decrescentem, decrepitam, demortuam, reuiuiscentem & si quae fata illius interuenerunt alia. Peculiaribus dissertatiunculis nuper Originem & Pueritiam LL. bonis auibus demonstrandam suscepimus: vbi de obscuris antiquissimi aeui monumentis & conspicua Romani sermonis barbarie nonnihil commentati

mentati ſumus. Sequitur nunc & ordine Adoleſcentia, paulo maturior aetas, qua licet nondum perfectus & ſtabilis animi vigor, haud contemnenda tamen eius, ad quam iuuenes magnis ſolent graſſari paſſibus, virtutis aemulatio & ſtudium excellentioris gloriae poſſit quam clariſſime cuilibet ob oculos poni. Quibus ſimul conſideratis, nihil certe, vt CICERONIS a) verba mea faciam, aptius ad delectationem lectoris erit, quam temporum varietates fortunaeque viciſſitudines.

§. II.

Circa Latinitatis ſeculum hoc alii in defectu, alii in exceſſu peccant. In defectu, qui cum SAM BOCHARTO b) inconſideratius vt ſemibarbarum illud ſibi propoſuere. Militant aduerſus iſtos CICERONIS c) optimi Latinae linguae cenſoris verba: *Aetatis illius iſta fuit laus, tanquam innocentiae, ſic Latine loquendi.* Vbi Pater Eloquentiae vt ſimplicitatem, ita etiam innocentem & inaffectatam puritatem huius temporis ſcriptoribus tribuit: maior licet ornatus & perfecta linguae gloria ali & paulo feliciori aeuo reſeruata fuerit. In exceſſu peccant, qui ſeculum illud malunt vocare aureum: vti ſcriptores huius cum illis ſeculi continuo ſequentis ſane altioris indaginis ſcriptoribus confundant. Atque hos inter cum primis SCIOPPIVS eſt, d) magnus ſine controuerſia literator, & maior futurus, ſi alienior fuiſſet ab amaris dicteriis, quibus paſſim, ad faſtidium vſque legentium, ſummos aliquando Criticos perfricuit. Eum ſecutus Hafnienſis Polyhiſtor, muſae elegantioris peritiſſimus OLAVS BORRICHIVS, e) ſcribit ille in hunc modum: *Ante quidem*

a) Ad famil. lib. 5. epiſt. 12. b) Epiſt. de Aeneae in Italiam aduentu p. 56. c) De claris Orator. c. 74. d) Vid. eius index Auctorum paradoxis literariis adiunctus; conſultationes atque varia. e) Initio Analectorum ſeu cogitationum de variis Latinae Linguae aetatibus, p. 3. Vid. etiam MORHOFIVS Polyhiſt. liter. lib. 4. c. 11. §. 4. ſeqq.

dem Latine loquuti ſunt, ſed non ea cura aut religione, atque adeo ſine muſa; poſtea a Poëtis coeptum eſt Muſarum ſacerdotibus. Fuerit rudior moneta Ennii, Accii, Lucilii, Naeuii, Caecilii; auream tamen fuiſſe, vel is antiquus literator oſtendit, qui aurum ſe ex Ennii ſtercoribus colligere profitebatur. Sed vt medium ſemper tenuere beati, nunc & nobis tutiſſimum videtur, nec ſemibarbaros huius aeui ſcriptores, nec aureae, adeoque optimae, Latinae linguae aetatis participes dixiſſe: licet aurum poſteri ſaepe ex illorum monumentis legerint. Nouimus enim non omne id eſſe aureum, vnde maximo labore atque ſtudio aurum colligi poteſt; ſed multis adhuc ſordibus & ſtercore aliquid repraeſentare commixtum. Miſſa ergo partis vtriuſque ſententia, perſiſtimus in ea, quam coepimus, dictorum allegoria, atque ſeculum, linguae creſcentis fatum aliquod comprehendens ſingulare, quod deſcribere in praeſenti &, quantum in nobis ſitum, diligenter explanare animus eſt, Latinitatis Adoleſcentiam nominamus.

§. III.

Linguam balbutientem atque puerilem luſtrantes palpauimus quaſi in tenebris, quibus vtut maiori curioſitate & induſtria quaerebamus, nullum tamen, quod nobis arrideret, ſufficiens monumentum reperire potuimus. Artem ſcribendi ipſam, quam non ita pridem Romani a Graecis didicerant, exercere videbantur difficillime: quando praeter ligna, ſaxa, metalla, folia, rudiores arborum cordices, vix aliqua commodior ad pingendas literas illis ſuppetebat materia. Adoleſcente vero & nouas pedentim vires proſequente Romanorum ſtatu, ſimul atque diſciplina & arte creſcentibus, iſta non ſolum vſu fecerunt aptiora, verum etiam excogitarunt, vel ab exteris nationibus ceperunt alia, quibus animi ſenſa operaque facilius poſtea conſignare inſtituerent, membranas, chartam papyraceam,

ceam, corticeam, ceram & reliqua, peculiari tractatione, quod singulare contineant in se rei literariae momentum, pluribus deducenda. Ita cateruatim scriptores nunc demum lingua vernacula paulo quidem castigatiori magisque limata in lucem prodire conspicimus; & eos in arte qualibet, pro temporis ratione, versatissimos, Poëtas, Oratores, Historicos &c. De quibus & nos ordine deinceps per certa capita diffusius agere consultum putamus. Romani quantum emolumenti ab Graecis in vniuersum acceperint, minime ambiguum est. Id vidimus nuper *f*) quomodo ab vrbe condita, atque adeo in ipsa pueritia & infantia, Latinitas ope & auxilio istorum variis artibus imbuta fuerit. Iam vero, vbi Graecia bello ab Romanis subacta erat, sibi omnia & pulcherrima patere arbitrabantur. Vnde factum est, vt victi victores suos vicerint doctrina, & capti Graeci Romanos dominantes nondum literis humanioribus expolitos ceperint vicissim, atque suis artibus delectauerint: vt paulatim numerus ille orationis insolens & barbarae voces ex Saturni aeuo residuae, quae ceu virus doctiorum aures enecare solent, euanescere & nouo Graecorum nitore elegantiaque permutari viderentur. Id quod vates Venusinus *g*) diserte habet:

Graecia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio: sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & graue virus
Munditiae pepulere. —

§. IV.

Quin adhuc elegantior Musa Romanos inter obtinere potuerit, vel etiam Latinitas ipsa decentem exoptauerit ambire habitum, mores illius temporis agrestes & ingenium populi in causa fuere. Senatus enim populusque Romanus non litera-

 rum

f) Differt. de pueritia LL. c. 2. *g*) Horativs Epist. 1. lib. 2.

rum ſtudiis, non ornamentis linguae, vel artibus incumbebant; ſed bellis iugiter dabant operam & armis, pugnis vt plurimum ſeueriſſimis ſe immiſcebant & feruide. Qui ingenuas profiteretur artes, vix erat vnus & alter, vix qui ſcholas frequentare poſſet; Vix ac ne vix quidem in ludum conueniebant, vt rudimenta linguae, vt ſcribendi callerent artem. Cui ornatus linguae curae cordique eſſet, nemo vel certe pauciſſimi fuere. Sed caſtra ſectabantur ad vnum fere omnes, & hoſtem petebant animo magis forti ac generoſo, quam docili ac prudenti. Ita, vt Poëta Sulmonenſis *h)* fidem nobis fecit,

Mars Latio venerandus erat; quia praeſidet armis.
Arma ferae genti remque decusque dabant.

Sed omnino rudis manebat lingua & veſte qualicunque elegantiori deſtituta. Ignorantia haec & neglectus bonarum artium deinde peperit contemtum atque odium in literatores peſſimum: quod vſque adeo mortalium animos occupare & radices quotidie altiores agere viſum eſt; vt etiam, quod ſuo loco docebimus, iſthac paulo feliciori aetate Rhetores atque Philoſophos publico interdicto Romani ciuitate ſua eiecerint. *i)* Sic quoque a M. CATONE *k)* relatum eſt, quod Poëtas ipſos eloquentiae & linguae purioris ſtudioſos contemtui ab initio habuerint, & graſſatores vulgo appellauerint. Quare M. Fuluio nobiliori vitio datum & probri inſtar obiectum eſt in oratione Catonis, quod is, conſul quum eſſet, Q. Ennium Poëtam in Aetoliam prouinciam ſecum duxiſſet. *l)* Quo minus igitur honoris erat literatis, eo minora literarum ſtudia fuerunt. Honos

h) OVIDIVS Faſtor. lib. 3. *i)* Vid. SVETONIVS de claris Rhetor. cap. 1. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 15. c. 11. *k)* M. CATO in libro, cui titulus: Carmen de morib. *Nam,* inquit, *ſi quis in ea re ſtudebat, aut ad conuiuia ſeſe applicabat, graſſator vocabatur.* Confer. SVETONIVS l. c. cap. 2. *l)* CICERO Tuſc. quaeſt. lib. 1. ab exord.

nos enim artes alit, omnesque ad ſtudia incenduntur gloria: ſed iacent ea ſemper, quae apud quoſque improbantur. In eo peſſimo & deplorabili ſtatu optimae literae verſabantur, donec Roma orbis terrae, ita enim a CICERONE *m*) vocatur, ipſo euentu & rerum experientia deprehenderet, ad emolumentum Reip. *Armis & conſilio* opus eſſe; *n*) & liberalioribus artibus conciliari cum robore decus. Viderunt diuinam eloquentiae vim atque potentiam linguae ſelecta militantium manu machinisque bellicis omnibus maiorem: quando, facta populi aduerſus Patricios Romanos ſeditione, maxima pars atque neruus ciuitatis in montem ſacrum ſeceſſit, ac patriae minitauit ineuitabile damnum, imo exitium; & ſpes omnis interiit vel occaſio plebem ſuis magiſtratibus reconciliandi, ſiue per aequa, ſiue per iniqua id maximopere tentarent: Menenius Agrippa vero, naturali facundia inſtructus orator, cum lepidam narrauerit fabellam, vtut priſco illo & horrido dicendi modo, hominum flexit mentes, mouitque pectora, & ſeditioſos ad ineundam concordiam in vrbem reduxit. *o*) Tantum & nos nunc

---

m) Orat. Catil. 1. ab exord. Orat. pro Sulla & paſſim alibi. *n*) Vid. DIDACI SAAVEDRAE Symbol. polit. 4. *Non ſolum armis*. Et Symbol. 6. *Politioribus ornantur literae*. Apud ISIDORVM Orig. lib. 8. c. 7. Tranquillus, *Cumprimum*, inquit, *homines exuta feritate rationem vitae habere coepiſſent, ſeque ac Deos ſuos noſſe, cultum modicum ac ſermonem neceſſarium commenti ſibi vtriuſque magnificentiam ad religionem Deorum ſuorum excogitauerunt. Igitur vt templa illis domibus pulchriora, & ſimulacra corporibus ampliora faciebant, ita eloquio etiam quaſi auguſtiore honorandos putauerunt; laudesque eorum & verbis illuſtrioribus & iucundioribus numeris extulerunt. &c.* *o*) LIVIUS Hiſt. Rom. lib. 2. c. 32. Valet ergo quod VIRGILIVS Aeneid. lib. 1. v. 152. ſeqq. cecinit ad clariorem huius rei demonſtrationem:

— *Magno in populo cum ſaepe coorta eſt*
Seditio, ſaeuitque animis ignobile vulgus,

nunc ciuilem prudentiam cum eloquentia coniunctam, ad compescendos rebelles sedandosque tumultus, Remque publicam, vbi vbi sit ea constituta, omnem rite administrandam conferre videmus. Ab eo tempore quidam Romanorum literatos maximi facere coeperunt. M. Fuluius consul nobilissimus inter nobiles suae gentis Poëtas, praecipue Ennium, delitias suas in Aetoliam prouinciam secum transportauit, eius familiaritate & eruditione vt continuo perfrui possit. Illi ipsi etiam mortuo parare monumentum aere perennius suamque effigiem imponere Scipio Romanorum ille spectatissimus haudquaquam erubuit. Decius Brutus summus vir & egregius Imperator Accium Poëtam magnopere dilexit, nulla commotus alia causa, praeterquam quod artis poëticae teneretur studio & praeclaro in scribendis carminibus ingenio floreret. Propter studia Terentius fuit libertate donatus; quem etiam iuuentutis Principes Scipio atque Laelius familiaritate sua & amicitia sanctiori dignum existimarunt, & multis vsque quaque beneficiis cumulauere. *p*) Quibus adeo fortius inducti mortales etiam constituere secum posthac maiorem literis nauare operam: vt mediantibus his quoque felicius Latinae linguae sidus affulgere, & Poëtarum aliorumque solertium virorum industria, Romanorum vernacula fato meliori quodam a scoriis quamplurimis repurgata fuisse appareat. Tum capita sua efferebant artis cuiuscunque

Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate grauem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

p) Haec notissima sunt. Plura vide apud CICERONEM in Oratione pro Archia & passim. Idem de Oratore lib. 1. diserte inquit: *Erant autem huic studio*, de eloquentia loquitur, *maxima, quae nunc quoque sunt, praeposita praemia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem.*

iuſcunque ſcriptores, ex quorum omnium vel conciſis reliquiis, vel prolixioribus, quae nunc extant, operibus cernere quilibet ipſe poteſt, quam emollita caſtigataque lingua ſeculum iſtud fuerit vſum, & quoſnam, ſat numero multos ex annis praecedentibus archaiſmos retinuerit. De numero & copia perfectiori noli quaerere, nedum exactiori modo ſcribendi. Sed tamen haec vtut ſe habeant, nullum dubium eſt, quin ſemibarbarum ſeculum iſtud iamiam praeterlapſum longe ſuperauerint omnes.

§. V.

Ad ornatum Latinae linguae & vrbanam exercitationem porro multum attulit frequens & amica ſcriptorum communicatio. Scilicet Oratores, & Poëtae, & alii, quilibet in arte ſua, ſcriptores celeberrimi, haudquaquam verebantur inuentiones ſuas operaque priuatim & publice inuicem praelegere, & aliorum perquirere ſententias: quibus cognitis, emendare vitia, expolire inculta, ſi quid minus recte fuerit poſitum, ab iſtis in poſterum ſibi cauere, & meliora ſequi, magis magisque ſtuderent. Eum in finem diuites ipſi & literarum Patroni ſuas aedes recitantibus commodabant. q) Hinc Ivvenalis: r)

--- *Si dulcedine famae*

Succenſus recites, Maculonus commodat aedes.

Et Plinivs: s) *Recitaturus eſt Titinius Capito, quem ego audire, neſcio magis debeam, an cupiam. Vir eſt optimus & inter praecipua ſeculi ornamenta numerandus: colit ſtudia, ſtudioſos amat, fouet, prouehit multorumque, qui aliqua componunt, portus, ſinus, praemium, omnium exemplum --- Domum ſuam recitantibus praebet; auditoria, non apud ſe tantum, benignitate mira frequentat.* Lilivs Gregor. Gyraldvs t) obſeruat, plurima

q) Vid. Casavbonvs ad Theophr. p. 170. r) Satyr. 7. v. 40.
s) Lib. 8. epiſt. 12. t) De Poëtis hiſtor. dialog. 1. Oper. tom. 2. p. 3.

rima Antiquorum poëmata in plaustris fuisse recitata. Proinde virum eloquentissimum Polemona saepius dixisse, PHILOSTRATVS scribit, quae soluta oratione dicuntur, humeris efferri oportere; quae vero a Poëtis, curribus. Est & illud frequenti sermone Graecis vsurpatum, ἐξ ἀμάξης, quod a priscae comoediae Poëtis desumtum esse putatur, qui ex plaustris conuicia iactabant. *v*) GVIDO PANCIROLLVS *x*) istius quoque moris, qui hodie cessat, poëmata sua recitandi, inuitatis ad audiendum Amicis, mentionem facit ac, nescio quibus Auctoribus, Asinium Pollionem scribit hunc morem introduxisse: qui antiquior mihi & hoc iam Pacuuii tempore inter Romanos fuisse receptissimus videtur. Accius praelegit certe sua carmina Pacuuio: quod circumstantiis notatu dignissimis ex relatione A. GELLII *y*) transscribere nobis perplacet. Tarentum ex vrbe Roma concesserat grandi iam aetate & morbo corporis diutino affectus Pacuuius, ad quem haud paruo iunior Accius in Asiam iter faciens diuertit; ac desideranti tragoediam suam, cui *Atreus* nomen est, praelegit. *Tum Pacuuium dixisse aiunt, sonora quidem esse, quae scripsisset, & grandia, sed videri ea tamen sibi duriora paulum & acerbiora. Ita est, inquit Accius, vti dicis, neque id sane me poenitet, meliora enim fore spero, quae deinceps scribam. Nam quod in pomis est, itidem, inquit, esse aiunt in ingeniis, quae dura & acerba nascuntur, post fiunt mitia &*

---

u) Plura vide apud GYRALDVM l. c. *x*) Lib. de deperditis p. m. 272. *y*) Noct. Attic. lib. 13. c. 2. Neque hoc dissimulandum est, iam rum Horatii aetate hunc recitationis ritum, propter varios abusus, & nescio quos denique eloquentiam nimis affectantium mores, aliquibus & optimis auctoribus inuisum fuisse. Ita Venusinus Poëta Sermon. lib. I. satyr. 4.

Non recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus:
Non vbiuis, coramue quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi. &c.

Confer. PERSII Satyr. I.

tia & iucunda. &c. Terentius Adriam suam praelegit Acilio Aedili, z) vt non ita multo post prolixius docebimus, vbi de Comico illo verba nobis ex professo facienda sunt. Sic frequenti vsu veniebat iam tum, vt bonis artibus eruditi, cumprimis Poëtae, quando carmina vel scriptum aliquod composuerant, antequam ederentur, vel conuocatis amicis priuatim, vel promiscue auditoribus in publico praelegerent, eorundemque censura ex signis vultuque & nixu & applausu obseruata vterentur. Et hoc *recitare* vocabant. Idem mos quoque illi, nostram quae sequitur adolescentiam, feliciori & perfectae Latinitatis aetati acceptissimus fuit nonnunquam adeo, vt ipse Virgilius, teste SERVIO Grammatico eiusq; diligentissimo interprete, libros tres Aeneidos carminis epici, puta secundum, quartum, & sextum, Caesari Augusto recitauerit. Sextum maxime propter Octauiam Augusti sororem, matrem Marcelli illius ab Augusto adoptati, qui octauo decimo aetatis anno valetudine correptus periit. Haec igitur Octauia cum interesset recitationi, animo defecisse dicitur, quando Poëta, ad finem libri sexti, versus lamentabili voce perorauit:

Heu miserande Puer, si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores: animamque nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar inani
Munere. ---

Aegerrime refocillata silentium fertur imperasse Virgilio, fletu eiulatuque miscuisse omnia, & dari iussisse pro singulis versibus dena sestertia, qui numero sunt vnus & viginti. Quod si verum est, sed nullus dubitat, felicissimus Poëta versibus per- paucis

z) Perperam vulgo *Caecilio* legitur apud DONATVM vel TRANQVILLVM potius in vita Terentii.

paucis supra quinque millia aureorum meruit. *a*) Sed in viam redeamus, vnde nonnihil recitationis occasione aberratum est.

§. VI.

Ipsam velimus respicere linguam, paucissimis antehac fragmentis in statu puerili commonstratam; quis non duritiem & soni postea vix vsitati intolerabilem pinguedinem vehementer admiratur? Quamobrem vetustum carmen in Iunonem Reginam a septem & viginti Virginibus per ciuitatem ambulantibus decantatum LIVIVS *b*), illa tempestate, inquit, forsitan laudabile fuisse rudibus ingeniis, nunc abhorrens & inconditum, si referatur. Et VARRO *c*) illum absurdum foetidumque prisci sermonis sonum significandum, quasi allium & cepe olerent, verba proposuit. Tantum abest, vt summum orationis decus, quod nunc facile omnibus arridet, cum Latinitate natum, vel isti ab incunabulis inhaesisse videatur: vt, potius ab dictione castiori tunc temporis discrepauerint omnia. Nihil sani verba digerebat; orationis copia, numerus & ordo, vel inepta barbarie, vel etiam vocis ieiunae & misere hiantis incuria, penitus

a) Conf. SERVIVS ad citatum Virgilii locum. LAMBERTVS HORTENSIVS ad h. l. comment. 425. seqq. FARNABIVS ad h. l. Plures alii. SALMVTH ad Pancirolli lib. de deperditis pag. m. 286. De recitatione librorum vide porro MARTIALEM lib. 1. epigr. 30. 39. 64. lib. 2. epigr. 20. PLINIVM lib. 1. epist. 5. & 13. lib. 8. epist. 12. Ex professo hanc materiam tractarunt I. LIPSIVS epist. 48. Centur. 2. ad Belgas. GERH. IOH. VOSSIVS cap. 7. & 8. libri de imitatione cum oratoria, tum praecipue poetica. IOH. SCHEFFERVS cap. 9. & 10. de stilo exercitiisque eius ad consuetudinem veterum. CHRISTOPH. GOTHOFREDVS BARTHIVS Differt. de recitatione & retractatione veterum. Halae 1701. 4. IOHAN. CHOKIERIVS cap. 83. & 87. Centur. 1. Facis Historiarum. Et qui istos ordine recenset Celeberr. REIMANNVS Idea Systematis Antiquitatis literariae p. 155 -- 166. *b*) Histor. Rom. lib. 27. c. 39. *c*) Apud NONIVM c. 3. n. 67. ***Aui & ataui nostri, cum allium ac cepe eorum verba olerent, tamen optime animati erant.***

penitus negligebantur. Vocabula saepissime truncabant, vel pro lubitu ac deteriori enunciationis modo in latum & profundum extendebant: literis nunc inter se commutatis, nunc syllaba literaue principio aut fini vocum adiectis, nunc alia ratione redundantibus, vel deficientibus: vt istis non potuerint non officere humaniorum auribus, quibus insolenti asperitate tum Latina lingua visa est, aut per salebras quodam velut incerto vacillare passu; aut labiis diu inaequaliter distortis haerere. Imo vero tanta fuit linguae diuersitas ab illa, quae postmodum obtinuit, vt peritissimi nonnulla, quamuis animum attenderint, aegre potuerint explanare. *d*) Hinc FAVORINVS Philosophus *e*) Adolescenti veterum verborum cupidissimo, & plerasque voces nimis priscas & ignotissimas in quotidianis communibusque sermonibus expromenti, *Tu*, inquit, *proinde quasi cum matre Euandri nunc loquere, sermone abhinc multis annis iam desito vteris, quod scire atque intelligere neminem vis, quae dicas. Nonne homo inepte, vt quod vis abunde consequaris, taceres? sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta, & bona, & sobria, & modesta sit: viue ergo moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus, atque id, quod a C. Caesare excellentis ingenii ac prudentiae viro, in primo de analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, vt tanquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum.* Vbi vero Latina lingua adolescere coepit, pleraque deprehenduntur fuisse ornatius exhibita, auxiliante & diuina Poësi, & accuratiori res gestas consignandi studio, & arte, quam oratoriam vocant. Primo enim voces asperiores pronunciatu flectere & quandam velut maiestatem suauitatemque istis reconci-

d) Confer. Dissertat. nostra de Pueritia LL. cap. 3. §. 3. circ. fin.
e) Apud GELLIVM noct. Attic. lib. 1. c. 10.

conciliare studebant. Ex. gr. ne nunc plura in medium proferamus, veteres non duplicarunt literas & hiatum aliquomodo in pronunciandis vocabulis, saepe turpissimum etiam fecerunt: *oloe* efferentes pro *illi*, *numei* pro *nummi*, *sumos* pro *summus* & sexcenta huius furfuris alia: quae hoc tempore demum Ennius Poëta correxisse fertur. Ille enim, si FESTO *f*) credimus, vbi id videbatur opus esse, ad emolliendum sonum & flumen orationis promouendum, literam consonantem, inter antecedentem atque consequentem vocalem, factam quasi geminam distribuit. Deinde obseruari licet, G literae hucusque nullum vsum, nullum locum fuisse; quandoquidem illius vicem praestitit C. tertium ordine, quemadmodum etiamnum apud Graecos orationis elementum. Iam vero, adolescente Latina lingua, Spurius Caruilius quidam, Romae qui ab vrbe condita DXL. circiter ludum habuit Grammaticum, singularem quoque illam G soni mollioris literam inuenit. *g*) Caetero magis magisque isthoc aeuum studuit, Latinitatem veste, qua inuoluta prope delituit, obsoletiori exuere, & digno quodam condecorare habitu. Asperitas si non omnis, eius saltem pars aliqua haud contemnenda fausto ac felici exitu sublata est; ac coepit leniori via & fluxu longe suauiori procedere sermo, quem paulo ante Pueritia aetasue nonnisi balbutiens illa, vidit huc illuc iactatum per varios casus, per tot discrimina rerum & quasi per salebras continuo errantem. Consuescit illa studio & arte consecuta oratio pronunciari nunc ore rotundo, & incredibili cupiditate ad perfectionem suam aspirare, imo trahi: vt faciem tandem aliquando iucundam & elegantiorem prae se ferre, & spectatores facili-

f) In voc. *Solitaurilia*, *Ab oloes*, *Aulas*, *Folium*, *Porigam*, *Torum* & alibi. Confer. Differt. nostra de Pueritia LL. cap. 5. §. 10. *g*) Dict. Differt. c. 5. §. 5. vbi quamplurima Veterum testimonia in hanc rem citauimus.

facilitate & munditie noua delectare possit. Proinde etiam nunc orthographiam, i. e. scripturam rectam contra librariorum imperitiam Lucilius Poëta nono satyrarum libro suo primum scripsit. *h*) Neque solum hac tempestate Latina lingua nouis rerum nominibus ditata, *i*) sed & pro temporis ratione ornata fuisse legitur. *k*)

§. VII.

Accedit eius dignitas & amplitudo. Angustis limitibus primum continebatur Latina lingua, veteri Latio conclusa: *l*) aliis ciuitatibus atque prouinciis Italiae, illis ipsis populo Romano propioribus ac finitimis, loquentibus aliter. De *Tuscis, Oscis* atque *Volscis* res notissima est. *m*) Ipsi etiam *Sabini*, Romanis quasi adhaerentes, ab veteri Latinorum vsu plane abhorruerunt: quod ex lingua illorum passim a vetustioribus Grammaticis annotatum inuenimus. *n*) Adolescente vero & magis adaucto Romanorum Imperio, ipsa etiam eorum lingua adolescere & dilatari coepit. Finito bello Punico primo, maximam Italiae partem Romani sub potestatem suam redigebant: quo sensim linguae aliae expirarunt; tandemque Graeca ipsa valere & obtinere desiit in Graecia magna, quae prouincia ab Graecis colonis occupata erat in extremis Italiae, vbi nunc Regnum Neapo-

---

h) Vid. ISIDORUS, TERENTIVS SCAVRVS, VELIVS LONGVS. Alii.

i) Eius non spernendus testis est HORATIVS de arte poëtica v. 56.

— *Lingua Catonis & Enni*
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit. —

k) Ab Catone ornata literarum Latinarum monimenta scribit VALERIVS MAXIMVS lib. 3. c. 4. c. 6. *l*) CICERO in orat. pro Archia cap. 10. *Latina exiguis finibus contenta erant; Graeca in omnibus fere gentibus legebantur.* *m*) Vid. Differt. de Pueritia LL. cap. 1. §. 3. *n*) QVINTILIANVS Instit. orator. lib. 1. c. 5. *Taceo de Tuscis & Sabinis & Praenestinis, quorum sermone vtentem Vettium Lucilius insectatur.*

Neapolitanum florere videmus. Ita Romani commercio satis frequenti suo, vel si mauis imperio, quoquouersum victricia extenderent arma, sermonem vbique introduxerunt patrium; *o*) qui mox & in illas extra Italiam positas & longe dissitas prouincias, quando robur sentiebat maximum suum, clarissimis auctoribus emanauit. *Fidenates* additos Romanis colonos Latine sciuisse, LIVIVS Patauinus *p*) auctor est. Idemque testatur, *Cumanis* petentibus permissum, vt publice *latine* loquerentur, & praeconibus *latine* vendendi ius esset. *q*) Quibus adeo cernere licet, ipsos etiam Graecos in Italia tunc temporis affectasse, vt, quasi honoris gratia, Romanae linguae sibi concederetur vsus: quippe quod praeualenti populo Dominisque suis maximopere placeret. Atque IVVENALIS *r*) etiam istud suo tempore persibilauit:

Plebeios calices, & paucis assibus emtos
Porriget incultus puer, atque a frigore tutus,
Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus,
Quisquis erit, magno cum poscis, posce latine.

Sed ta-

o) VALERIVS MAX. lib. 2. c. 2. e. 2. *Magistratus prisci quantopere suam populusque Romani maiestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quod inter caetera obtinendae grauitatis indicia illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Graecis vnquam nisi latine responsa darent. Quin etiam ipsa linguae volubilitate --- excussa, per interpretem loqui cogebant. &c.* Vt aliorum testimonia silentio transeam. *p*) Histor. Rom. lib. 1. c. 27. Vbi postquam enarrauerat, quomodo Fidenates ad bellum & arma aduersus Romanos incitati fuerint, atque illis obuiam Albani exercitus collocati; *Terror,* inquit *ad hostes transit, & audiuerant clara voce dictum*, scilicet Albanum exercitum circumduci, vt Fidenatium nuda terga inuadat, *& magna pars Fidenatium, vt qui coloni additi Romanis essent, latine sciebant.* *q*) LIVIVS Histor. Rom. lib. 40. c. 42. Conf. GODELEVAEVS annot. ad hunc locum pag. 212. FRANC. FLORIDVS SABINVS subcisiuarum lectionum lib. 2. c. 1. *r*) Satyr. 11. v. 145. seqq.

Sed tamen erat Italia adhuc plena Graecarum artium ac diſciplinarum; *s*) &, quam pro iſtarum vehiculo ac inſtrumento Literatorum vniuerſali habebant, Graecae linguae Romani dare operam nulli detrectarunt, ipſa etiam Latinitatis aetate feliciſſima, quam Cicero attigit. Ille ipſe ſummus Orator & Eloquentiae Romanae Pater ad vſque Praeturam Graece declamauit; Latine vero ſenior quoque. *t*) Nec veretur de ſe iam aetate prouecta ſcribere: *Commentabar declamitans ſaepe cum M. Piſone & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam Latine, ſed Graece ſaepius: quod Graeca oratio plura ornamenta ſuppeditans conſuetudinem ſimiliter Latine dicendi afferebat.* *v*) Scilicet quod nobis Latina lingua eſt, hoc priſcis Romanis fuit Graeca; cuius adeoque Romana iuuentus primam impendebat curam, auſpicium ab Homero faciens: *x*) vt cum lingua condiſceret tam virtutis exempla, quam illuſtres ſententias, vel, ſicuti PETRONIVS ARBITER ſentit, *y*)

--- det primos verſibus annos,
Maeoniumque bibat felici pectore fontem.

Homero adiungebantur Comici, alii ex Parnaſſo Graecorum percelebri, mox Hiſtorici. Deinde Philoſopho ac Rhetori ſe dabant, quorum manuductione ſimul perdiſcerent artem diſſerendi & declamandi vtraque lingua, magis tamen Graeca, vt modo Ciceronis exemplo vidimus, quam Latina, quod in illa non ſolum omnes diſciplinae traderentur; verum etiam qui artis peritus in illa, facilius ad patrium ſermonem applicare iſtam,

F quam

s) Vid. TVLLIVS in orat. pro Archia. Confer. Diſſert. noſtra de Pueritia LL. cap. 2. *t*) SVETONIVS de clar. Rhetor. lib. c. 1. *v*) CICERO in Bruto cap. 90. Confer. eiuſdem de finibus bonorum & malorum liber primus ab exordio. *x*) PLINIVS lib. 2. epiſt. 14. *Sic in foro pueros a centumuiralibus cauſſis auſpicari, vt ab Homero in ſcholis.* *y*) Primo carmine, quod ex Satyrico reliquum eſt.

quam ille, qui vernaculae assuescit, in Graecam orationem conuertere possit. Et hanc fuisse rationem putamus, quod optimi Oratores liberos suos Graece maluerint docere, quam Latine, in illo patrio & quotidiano Romanorum sermone. Exemplum habemus rursum in Cicerone filio, z) qui ad Patrem, *studeo*, inquit, *mi Pater*, *latine te audire ea*, *quae mihi tu de ratione dicendi Graece tradidisti, si modo tibi est otium, & si vis.* Denuo: *Vune igitur, vt tu me Graece soles, ordine interrogare, sic ego te vicissim eisdem de rebus Latine interrogem?* Ad quae verba IOH. STVRMIVS ita commentatus est: *a*) *Romani temporibus illis Graecos doctores audiebant, neque plene tum adhuc tradita Latine dicendi praecepta fuerunt. Itaque commoditatem secuti, ea quasi ex fontibus salubrioribus adhuc tum hauriebant & mutuabant a Graecorum scholis. Inchoata enim tantum a M. Antonio & Plotio Gallo erant, quorum alter solum composuit quaedam, alter etiam Latine docendi vias & rationem docendo demonstrauit, & vix tandem a M. T. Cicerone est perfecta.* Quicquid sit, literarum cultoribus & maximis viris hoc praecipue tempore, praeter vernaculam, & ipsa lingua Graeca in honore fuit. M. Porcius Cato Censorius, cum bello Punico secundo ab anno vsque septimo decimo aetatis non infeliciter pugnasset, ac multa in Rep. praeclare gessisset, grandis natu Graecas literas non dubitauit ab Ennio Poeta ex Sardinia adducto perdiscere. *b*) Et M. Porcius Cato minor seu Vticensis ita doctrinae cupiditate flagrauit, vt ne in curia quidem, dum Senatus cogebatur, temperaret sibi, quo minus libros Graecos lectitaret. *c*) Scomma Catonis in Albinum, qui cum L. Lu-

z) Apud CICERONEM in princip. dialogi de partitione oratoria.
a) Dialog. in Partitiones Oratorias Ciceronis p. 7. *b*) Vid. CICERO in Catone maiore c. 1. & 8. Idem in Lucullo c. 2. QVINTILIANVS Instit. Orator. lib. 12. c. 11. VALERIVS MAX. lib. 8. c. 7. c. 1. *c*) CICERO de

L. Lucullo conful fuit, videre licet apud MACROBIVM. *d*) Ille res Romanas Graeca oratione fcriptitauit, & ab exordio petiit, vt ignofcant fibi, fi quid parum compofite, aut minus eleganter fcriptum foret; fe hominem Romanum effe in Latio natum, vt Graecum eloquium a fe alieniffimum putet; &c. Ea Cato legens, nae tu, inquit, nimium nugator es: cum maluifti culpam deprecari, quam culpa vacare. Sed noli ex commemorato literarum Graecarum vfu elicere, ineptam vel minus vtilem & incomtâm adhuc fuiffe linguam Latinam. Maximus vtrique tum erat conftitutus honor. Quamuis etiam Doctos inter magis Graeca valuerit; ex nulla alia caufa id factum putamus, quam quod linguam a vulgari diftinctam amarent, & eam, qua dogmata fua huc ufque confignarat literatus orbis. Ad res vero agendas priuatim & publice, in iudiciis, in foro, ac re familiari, aptior illis erat vernacula, qua de nunc loquimur, Latina lingua elegantior paulo facta, & magis quam ante ornata.

§. VIII.

Itane Seculum iftud cum OLAO BORRICHIO *e*) diceremus eo, quod Latinam linguam non modo, vt ferebatur, non inopem, fed ipfa etiam Graeca locupletiorem paulo fufpicere & in honore tantum non maximo habere inftituerint? Certe cum aequalibus Mufarum Sacerdotibus, a quibus latine loqui, religione & cura maiori, coeptum eft, inclaruit tum Ennius ille, ex cuius ftercoribus aurum fe colligere, fummus olim Poeta profitebatur. Sed tamen nihil minus videtur. Oportet enim nos ita feculum hoc vel confundamus, vel comparemus, cum illo proxime fequenti, quo nihil elegantius, nihil perfectius, nihil purius & fuauius vnquam mortalibus conceffum eft:

F 2 quod

finibus lib. 3. VALERIVS MAX. lib. 8. c. 7. e. 2. *d*) Saturnal. lib. 1. in fine prologi. *e*) De variis Latinae linguae aetatibus p. 3.

quod proinde merito ſuo iure totum pro aureo haberi vnice poſſit. Nec omne id ex quo aurum colligimus, aurum eſt, ſed multis adhuc ſordibus & ſtercore plurimum grauiori commixtum: vt non niſi remotis ſcoriis, poſt ingentem laborem, imo poſt Herculeos aliquando conatus, aurum ſatis exile appareat. Quamobrem vix mihi perſuadeo, Maronem Ennio, licet eum ſedulo perlegerit, vel ſimili cuidam ſcriptori voluiſſe honorem adſcribere iſtum, quem aeuum Auguſteum ac aetas Latinae linguae feliciſſima promeruit. Inficias quidem ire nolim, ſermonis ornatum iam ante Ciceronem & paulo poſt bellum Punicum ſecundum, quod demonſtrauimus ipſi dudum, Romanis curae cordique fuiſſe. Sed, vt perfici potuerit, ac nitorem Eloquentiae conſequi maximum, opus erat non vnius viri lima, nec tantillum temporis ſpacium ſufficiebat; verum multo multorum ſtudio atque vigiliis Latina lingua perpoliri debuit: vſque quo conſiſteret in ea pulchritudine ac perfectione, cui limam addere vlterius non potuere, niſi completum opus atterere magis, quam ſplendidius reddere voluerint. *f*) Fateor, *omnes*, inquit TVLLIVS *g*) *tum fuere, qui nec extra vrbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, recte loquebantur*. Sed nihil aliud his verbis innuit, quam in vrbe Roma propriam linguae indolem purius ſeruatam fuiſſe, cum Reſp. illa paucioribus populis imperaret; deinde vero ex omni Italia ciues atque colonos in vrbem confluxiſſe, ſuae quique gentis idiotiſmos in Latinam linguam inferentes: vt maiori cura eam purgare ab illo tempore opus habuerint. Tribuit ergo huic aetati non ornatus perfectionem, quam ſibi aliud tempus reſeruauit; ſed quandam velut innocentiam, h. e. ſimplicem & inaffectatam puritatem Adoleſcentiae: quam paulo

f) PLINIVS lib. 5. epiſt. 11. *Perfectum opus abſolutumque eſt, nec iam ſplendeſcit lima, ſed atteritur.* *g*) De claris Oratoribus c. 74.

paulo ante propoſuerat apertius, vbi, *Aetatis*, inquit, *illius iſta fuit laus, tanquam innocentiae, ſic Latine loquendi*; *nec omnium tamen*, addit, quo ſimul iſtius aeui imbecillitatem & inconſtantiam cernere licet: *nam illorum*, quibus modo iſthanc tribuerat laudem, *aequales Caecilium & Pacuuium male loquutos videmus.* Et Auctor dialogi de Oratoribus: *h*) *Quod ad Ser. Galbam & C. Laelium attinet, & ſi quos alios antiquorum agitare non deſtitit, non exigit defenſorem, cum fatear quaedam Eloquentiae eorum, vt naſcenti adhuc nec ſatis adultae defuiſſe.* Nullus certe dubitat, Romanos ſero ſtudium ad elegantiores Muſas contuliſſe, neque ruſticitatis veſtigia ſcriptores reliquiſſe ad bellum uſque Punicum fere tertium, & vltra. Hinc Venuſinus Poeta: *i*)

--- *Graue virus*
Munditiae pepulere. Sed in longum tamen aeuum
Manſerunt, hodieque manent, veſtigia ruris.
Serus enim Graecis admouit acumina chartis,
Et poſt Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles & Theſpis & Aeſchylus vtile ferrent.

§. IX.

Sed iniuria fieri dicitur Plauto atque Terentio, ſummis fabularum artificibus & Latinae linguae cultoribus haudquaquam contemnendis aſpernandisue, ſi ab aetate aurea excluderentur. Scriptoribus illis inſignem deberi laudem quis dubitat? Cum etiam illi ſua capita multum extulerint ſupra ſeculi genium, non nego, maximum inde Latinitatis fructum hauriendum fore, ac eiuſmodi prouentus dari, quos ſedulus lector ſibi ex adoleſcentia hac promittere & expectare vix potuiſſet. Suis tamen neque iſti carent archaiſmis, dictionibus atque formulis,

h) Apud Tacitum, cui ſimul atque etiam Fabio Quintiliano dialogus ille adſcribitur. cap. 25. *i*) Horatius Epiſt. 1. lib. 2.

mulis, quæ mox in desuetudinem venere, ceu proxime sequentis LL aetatis auro indignae: a quibus adeo elegantioris linguae studiosus, salua istorum auctoritate ac genuina dictione, sibi temperare debet; ne quid obsoleti pro recto, vel scorias pro puro puto auro venditare videatur. Decet enim, iuxta monitum Caesaris, summo studio & industria tanquam scopulum nos fugere inauditum atque insolens verbum. Hinc ipse BORRICHIVS *k*) quocum CELLARIVS *l*) eam susceperat causam, inter varias Plauti, Terentii & aliorum laudes, quod vitio vertat, praeterire nequit, vbi, *Non sunt*, inquit, *ab aureo seculo excludendi Cato, Plautus, Terentius, Lucretius, quorum dictio prorsus Latina, prorsus elegans*; *sed NB. circumcidendae tantum obsoletae eorundem fimbriae.* Teneamus adeoque cum CELLARIO & recentioribus viam mediam, aurum quidem illis temporibus concedentes inueniri, sed aliquibus adhuc maculatum & commixtum sordibus, rude ac impolitum; quod Ciceronis aetate expositum splendidius & quam nitidissime comparatum fuit. Vel, vti nostris, quibus coepimus, vestigiis procedamus, aetatis huius Latinitati placet adscribere vires, quae Adolescentiam decent ornantque; perfectionem vero ac robur virile, vt solet, aetas stabilis vel adulta proxime dabit.

§. X.

Quem in hac causa magis audiamus atque TVLLIVM sine omni dubio Oratorem summum & Latinitatis expertissimum? Eius testimonium paulo superius producere nobis in deliciis erat: neque hoc iterum iterumque citare putet, quandoquidem hinc clare docemur, quidnam praecise iudicandum vel sen-

k) In analectis de variis LL. aetatibus p. 3. *l*) Differt. de origine linguae Italicae §. 2. 3. De studiis Romanorum literariis in vrbe & prouinciis §. 10. De fatis Latinae linguae §. 17. 18. 19. 20. 21. Confer. Celeb. Dom. WALCHII Historia critica Latinae linguae cap. 1. §. 6.

vel ſentiendum ſit de ea Latinitatis aetate, quam Adoleſcentiam vocamus. Ita ille *m*) ſub Pomponii perſona: *Solum quidem & quaſi fundamentum Oratoris vides, locutionem emendatam & Latinam: cuius penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut ſcientiae, ſed quaſi bonae conſuetudinis. Mitto C. Laelium, P. Scipionem. Aetatis illius iſta fuit laus, tanquam innocentiae, ſic Latine loquendi: nec omnium tamen, nam illorum aequales, Caecilium & Pacuuium male loquutos videmus.* Idem *n*) de Galba, Lepido, Laelio atque ſimilibus: *Galbam laudat? ſicut illius aetatis principem, adſentior. Sic enim accepimus: ſin vt Oratorem, cedo quaeſo orationes, & dic hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes: paullum hic tibi aſſentior, modo ita laudes, vt antiquas: quod item de Africano, de Laelio ſentio, cuius tu oratione negas fieri quidquam poſſe dulcius.* Sic de ſcriptoribus huius ſeculi paſſim. Omnino ipſi aſſentitur FABIVS: *o*) *Fuere quaedam*, inquit, *genera dicendi conditione temporum horridiora, alioquin ingenii magnam vim prae ſe ferentia. Hinc ſunt Laelii, Africani, Catones Gracchique.* Et Auctor dialogi de oratoribus *p*) ille ſiue ipſe FABIVS, ſiue alius ſit: *Si qua ex Oratorum fama gloriaque laus temporibus acquiritur, eandem docerem in medio ſitam, & propiorem nobis, quam Galbae, C. Carboni, quoque alios antiquos merito vocaremus. Sunt enim horridi & impoliti & rudes & informes.* Attamen illa dictio tum pluribus adeo placuit, vt vix aliam, licet magis politam, longi etiam temporis ſucceſſu aegerrime viderentur ſuſcepiſſe. Vnde MA-

---

m) CICERO de claris Oratoribus cap. 74. *n*) l. c. cap. 86. *o*) Inſtit. Orat. lib. 12. c. 10. *p*) Dialogus ille, *an ſui ſeculi Oratores antiquis & quare concedant*, vulgo CORN. TACITO, aliquando FABIO QVINTILIANO adſcriptus: cap. 18.

de MACROBIVS: q) *Nemo ex hoc viles putet veteres Poetas, quod versus eorum scabri videntur. Ille enim stilus Enniani seculi auribus solus placebat, & diu laborauit aetas sequuta, vt magis huic molliori filo acquiesceretur.* Ergo praeclaras huic seculo debemus laudes: ita tamen, oportet, illae moderentur, vt genium Latinae linguae simplicem & incorruptum, qui in scriptoribus illis obseruatur, magni faciamus; caetera vero aspernemur atque fugiamus, quae inculta horridaque obueniunt, vna cum archaismis quibuslibet ac illis, quae posterior aetas in statum meliorem conuertit. Atque hinc naris emunctioris Critici statim sciunt vel leuiter e dictione coniicere, cuiusnam aetatis vel auctoris haec illaue opera sient. Quamuis etiam aliquando summi Viri IOSEPHVS SCALIGER, r) HENR. STEPHA-

---

q) Saturnal. lib. 6. c. 3. r) M. Anton. Muretus carmen aliquod ab se compositum, pro veteri nuper e vetusto codice eruto, obtruserat Iosepho Scaligero Critices intima quaeque secreta penetranti, qui assensum isti non solum praebet, verum etiam pro genuino habitum citat ad Varronem de Re Rustica p. 212. edit. 1573. Fraude postmodum patefacta, eruditissimus Scaliger sibi illusum fuisse vidit, ac dolum Mureti grauiter tulit ita, vt non modo versus adulterinos plane omiserit in editionibus libri commemorati recentioribus; sed & vindicandum sese putauerit salso epigrammate isthoc:

Qui rigidae flammas euaserat ante Tolosae,
Rumetus, fumos vendidit ille mihi.

Rumetus per anagramma *Muretus*, qui paulo ante criminis sodomiae reus fuerat actus Tolosae, & ignis supplicio iamiam destinatus, sed fuga sibi consuluit ac vitae periculum euasit. Vid. MVRETI poemat. pag. 50. edit. Lips. nou. COLOMESII cimelia liter. c. 19. Opuscul. p. 39. seq. Baudii Amores pag. 466. seq. MORHOFIVS polyhist. liter. lib. 4. c. 11. §. 3. FABRICIVS Biblioth. Latina lib. 4. c. 1. p. 670. seq.

Stephanvs, s) Casp. Barthivs, t) Marc. Zver. Boxhornivs, v) aliique incauti erroris hac in re imponere sibi & fumos vendere siuerint. Sed nunc tempus est huius capitis facere finem, ac ipsos Latinae linguae explicare Auctores, quo facilius, collatis illorum meritis, quid lucratum sit illud aeuum, iudicari possit.

CAPVT II.

De Poetis, quorum, vt fragmenta docent, laudabili studio Latina lingua adoleuit.

§. 1. Ornatum linguae promouit primo diuina Poesis. 2. Quae coelitus afflari dicitur. 3. Vnde Parnassus. 4. Quando primum intrauerit vrbem; vbi artis demonstratur antiquitas. 5. Neque tamen ante Punicum bellum secundum

G

---

s) Henricus Stephanus inter alia veterum opuscula 1577. in 8. edidit *Satyram de Lite*, a Michaele Hospitalio Francisci I. Galliae Regis Cancellario conscriptam, eam esse veteris cuiusdam Poetae ratus, quem ignoto Galeoti nomine designat. t) Eandem Satyram Casp. Barthius quoque Aduersariis lib. 5. c. 17. totam inseruit, & homini prisco aut semiprisco adscripsit, neque a recentiori manu scriptam, ementitumue vetustatis nomen videre potuit. Confer. Morhofivs l. c. v) Eum secutus est Marcus Zuerius Boxhornius, qui similiter eam inter Poetas Satyricos minores de corrupto Reip. statu, edidit suisque animaduersionibus illustrauit; Lugduni Batau. 1633. in 12. Sed de hoc lapsu monitus a Ioh. Frid. Gronouio, ita ad eum rescripsit die 29. April. 1634. *Gaudeo indicium a te mihi factum fuci, quem Stephanus, vir caetera candidissimus & doctissimus eruditis omnibus fecit. Quanquam, vt libere scribam, quod sentio, magis credam, Hospitalium Satyram illam hic aut ibi a se repertam edidisse, quam ipsummet composuisse. Praesertim cum sciam ab eruditis nonnullis in membranis lectam fuisse.* vid. Boxhornii Epist. p. m. 30. confer. Fabricii Biblioth. Latina lib. 4. c. 1. p. m. 676.

dum gloriam aliquam promeruit. 6. Agitur de Liuio Andronico. 7. Cn. Naeuio. 8. Quinto Ennio. 9. Statio Caecilio. 10. Marc. Pacuuio. 11. Lucio Accio. 12. Caio Lucilio. 13. C. Laelio & P. Corn. Scipione. 14. Sexto Turpilio. 15. Cn. Matio. 16. Lucio Afranio. 17. Quinto Trabea. 18. Cai. Licinio Imbrice. 19. Attilio. 20. Quinto Nouio. 21. De omnibus iudicium fertur generale. 22. Fragmentorum collectiones ac editiones indicantur.

§. I.

OMnium primi Poetae cultum Latinitatis tentarunt. Cum enim illi ſenſus abſtraherent a rebus quibuslibet, ac liberi ab omnibus curis vacarent Muſis; *a*) ſumma ope niti videbantur, vti magis magisque cauſam & proprietatem linguae pro ſtatus ratione vel natura proſequerentur: atque adeo ſententias, aut floſculos, aut quicquid tandem rerum fuit, commodius numero, flexaque oratione, in circulum quaſi redigerent. Quod effectui dare vix ac ne vix quidem potuere, niſi craſſam, quae dictionibus tum inhaerebat, barbariem & aſperitatem ſummouere, elegantiam vero & facilitatem linguae conciliare ſtuduerint. Ea proinde ſucceſſu temporis & vſu perceperunt artis ſuae commoda, vt ipſis quaſi propria eſſe coeperit elocutionis praeſtantia aptaque verborum compoſitio, quae margaritis & inauribus, h. e. tropis & figuris caeterisque id genus ornamentis peramabilem ſemetipſam omnibus commendare viſa eſt. Sic, vt Venuſini vatis verba mea faciam, *b*)

Aut pro-

---

a) HORATIVS Carmin. lib. 1. Od. 26. Epiſt. 2. lib. 2. OVIDIVS Triſt. lib. 1. eleg. 1. v. 39. & lib. 5. eleg. 13. v. 3. *b*) HORATIVS de arte Poetica. Confer. Monſ. RAPIN Reflexions ſur la poetique en general §. 1. *En effet*, dit il, *la Poeſie eſt de tous les Arts le plus parfait: car la perfection des autres Arts eſt bornée, celle de la Poeſie ne l' eſt point: pour y*

Aut prodesse volunt, & delectare Poetae,
Aut simul & iucunda & idonea dicere vitae.

§. II.

Quare coelitus afflari, nec humana sed Deorum lingua loqui Poetas, illa sibi diu multumque persuasit Antiquitas, quae in carminibus & cantilenis aliquid communi & solita mortalium dictione praestantius inesse cognouit. Vulgaria sunt, quae scriptis PLATO c) reliquit: ὁ Θεὸς αὐτός ἐστιν ὁ λέγων, διὰ τούτων δὲ φθέγγεται πρὸς ἡμᾶς. *Deus ipse est, qui per illos loquitur & nos inclamat.* Rursum: Ἐν τούτῳ γὰρ δὴ μάλιστα δοκεῖ ὁ Θεὸς ἐνδείξασθαι ἡμῖν, ἵνα μὴ διστάζωμεν, ὅτι οὐκ ἀνθρώπινά ἐστι. *In hoc maxime Deus ostendisse videtur, nobis disputandum non esse, quia diuina potius, quam humana sint haec poemata.* Et post eum Pater Eloquentiae Romanae: d) *Poetam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse & sine quodam afflatu furoris.* Paulo clarius Idem: e) *Poetam natura ipsa valere & mentis viribus excitari & quasi diuino quodam spiritu afflari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat Poetas, quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.* Inde magister ille amorum quoque: f)

Vatibus, inquit, *Aoniis faciles estote, puellae.*
Numen inest illis; Pieridesque fauent.

G 2 *Est*

reussir il faut presque tout sçauoir. Encor: *Il faut vn genie extraordinaire, vn grand naturel, vn esprit iuste, fertile, penetrant, solide, vniuersel, vne intelligence droite & pure, vne imagination nette & agreable. Cette eleuation de genie qui ne dépend ny de l'art, ny de l'étude, & qui est vn don purement du Ciel, doit estre soûtenue d'vn grand sens & d'vne grande viuacité.* c) In Dialogo, qui inscribitur Ἴων, siue περὶ Ἰλιάδος. Videatur etiam VIRGILIVS Aeneid. lib. 3. v. 358. seqq. lib. 6. v. 50. & lib. 10. v. 175. seqq. SANNAZAR. l. 2. de partu virg. *Hora propinquabat &c.* Poetica maior Giessena lib. 2. c. 2. p. m. 180. d) CICERO de Oratore lib. 2. e) In oratione pro Archia. f) OVIDIVS Art. Amator. lib. 3.

Est Deus in nobis; & sunt commercia coeli.
Sedibus aetheriis spiritus ille venit.

Rursum: *g*)

Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.
Impetus hic sacrae semina mentis habet.
Fas mihi praecipue vultus vidisse Deorum:
Vel quia sum vates, vel quia sacra cano.

Et CLAVDIANVS: *h*)

Mens congesta iubet: gressus remouete profani,
Iam furor humanos nostro de pectore sensus
Expulit, & totum spirant praecordia Phoebum.

Tandem SENECA: *i*) *Aliquando, secundum Anacreontem, insanire iucundum esse, vbi raptum intelligit poeticum; & iuxta testimonium Platonis, frustra poeticas fores sui compos pulsauit: & Aristoteli nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit. Nec potest grande aliquid & supra caeteros loqui, nisi mota mens; cum vulgaria & solita contemsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali.* &c. Diuinus ille Poetarum spiritus ἔνθεος, *in quo Deus est*, ἀπὸ τȣ͂ ἐνθεάζειν, *diuino spiritu afflatum esse*, a Graecis vocatur. Alii furorem istum ἐνθȣσιασμὸν, *k*) & ipsos Poetas ἐνθȣσιαζομένȣς vocant. CICERO quoque μȣσοπάταγον, vel, vt alii legunt, μȣσοπάλακτον, i. e. *musarum furore percussum*, Latine *Vatem* nominat eum, qui artem carmina fingendi callet. *l*)

Sunt

---

g) Fastor. lib. 6. fere ab initio. *h*) De raptu Proserpinae lib. 1. v. 4. *i*) De tranquillitate animi circa finem. *k*) CICERO ad Q. Fratrem lib. 3. epist. 4. *De versibus, quos tibi a me scribi vis, deest mihi quidem opera, quae non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat, sed abest etiam* ἐνθȣσιασμὸς. *l*) VARRO de lingua Latina lib. 6. c. 3. *Antiquos poetas Vates appellabat, a versibus viendeis.* Confer. eiusd. lib. 5. c. 7. ISIDORVS Orig. lib. 7. c. 12. *Vates a vi mentis appellatus, cuius significatio multiplex est; Nam modo sacerdotem, modo prophetam si-*

Sunt etiam vocabula, apud POLLVCEM, φοιβόληπτος & μουσόληπτος de iis, qui Phoebi & Musarum numine afflantur.

§. III.

Vel ex hoc capite Prisci homines Poetis montes sacros esse voluere, *m*) quos Deo atque diuinis rebus alias tribuebant. *n*) Apud Graecos notissimus omnium est *Parnassus*, cuius initio quidem *Larnassi* nomen fuit, non vt STEPHANVS *o*) voluit, διὰ τὸ τὴν Δευκαλίωνος λάρνακα αὐτόθι προσενεχθῆναι, *Eo quod Deucalionis arca illuc adducta fuerit*; sed, quae DICKINSONI *p*) sententia est, ab הר *mons*, & נחש *augurium* seu *diuinatio:* quibus si literam ל siue prostheticam, siue seruilem praeponas, fit *Labarnahas*; vnde Graecis λάρνασσος *mons augurii*, & vnius literae leui permutatione πάρνασσος. Neque opus fuisset nomen istud aliunde deriuare: quod laudatus DICKINSONVS operose & sollicite instituit. Ille scilicet in ea haeresi versatur, montem hunc Larnassum iure merito appellatum fuisse, quoad Delphi in eo fuerint, *q*) ciuitas oraculis clarissima. Postea vero quam spiritus ille diuinus e specu manauerit, montem dixisse פרע נחש *Paranahas* i. e. *hiatus diuinationum.* Quae verba Graeci protinus ad linguae suae typum formarint effecerintque πάρνασσον.

---

gnificat, modo poetam. Idem l. 8. c. 7. *Vates a vi mentis appellatos, Varro auctor est: vel a viendis carminibus, i. e. flectendis, h. e. modulandis: & proinde poetae Latine vates olim, & scripta eorum vaticinia dicebantur, quod vi quadam & quasi vesania in scribendo commouerentur: vel quod modis verba connecterent: viere enim antiquis pro vincere ponentibus, etiam per furorem.* Confer. Reflexions du RAPIN sur la Poetique en general §. 5. *m*) Vid. SENECA de tranquillitate animi, circa finem. *n*) DICKINSONI Delphi Phoenicizantes c. 9. p. 83. Confer. CHRIST. GOTTL. SCHWARZII, Professoris Altorfensis celeberrimi & politissimi, Politioris humanitatis miscellanea c. 3. p. 91. & c. 4. p. 100. seq. *o*) De vrbibus in v. λάρνασσος. *p*) l. c. p. 82. *q*) STEPH. l. c. Δελφοὶ πόλις ἐστὶ τοῦ παρνασσοῦ.

§. IV.

De Poetices seu metricae orationis antiquitate & origine ab Auctoribus varia traduntur: quae prosequi nunc pluribus, vel, quod aiunt, iliada post Homerum scribere, instituti ratio prohibet. r) Qui veteres inter Latinos paulo diligentius de arte poetica eiusque primordio & satis scriptitarunt, eam tradidere sero ab Romanis receptam fuisse. Ita MARC. TVLLIVS: s) *Quum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit Poetarum, siquidem Homerus fuit & Hesiodus ante conditam Romam, Archilochus regnante Romulo, serius poeticam nos accepimus. Annis enim fere CCCC.X. post Romam conditam t) Liuius fabulam dedit. &c. Sero igitur a nostris Poetae vel cogniti vel recepti.* Idem hoc significare voluit PORCIVS LICINIVS tritis versibus: v)

Poenico bello secundo, Musa pinnato gradu
Intulit sese bellicosam in Romuli gentem feram.

Coepit vero hoc bellum anno vrbis IↃXXXVI. P. Cornelio Scipione & Tito Sempronio Longo Coss. Pax data Poenis anno IↃLI. Cn. Cornelio Lentulo & P. Aelio Paeto Coss. Hinc obseruari ante omnia meretur, in illis modo allegatis & Tullium & Licinium innuere non tam incunabula, quam perfectius crebriusue artis poeticae studium, quod tunc celeri passu & veluti cursu quodam citato vrbem intrauit. Alias, quantumuis honos ipsi nullus constitueretur, ab antiquissimis temporibus diuina

r) De his prolixe disserentem vide LILIVM GREG. GYRALDVM de Poetis hist. dial. 1. Oper. tom. 2. p. 21. seqq. G. I. VOSSIVM de Poetis Latinis cap. 1. s) Tuscul. quaest. lib. 1. ab exord. t) Fastos consulares cum his conferre velimus, ille, quem Consulibus annotatis Orator exprimit, annus IↃXIII. erit; quo Romani sero admodum sacratissima secretissimaque illa Musarum penetralia ingressi sunt; ducentis annis antequam Poesis per Maronem & Horatium perfectionem suam consequeretur. v) Apud GELLIVM noct. Attic. lib. 17. c. vlt.

diuina Poesis in Italiam & denique Romam gentis caput ac primariam sedem penetrare visa est, sat cito, modo satis bene. Priscos Germaniae populos artis & literaturae ne hilum quidem, praeterquam sua carmina habuisse, vel ex relatione TACITI *x*) vulgo notum est. *Celebrant*, inquit ille, *carminibus antiquis* (*quod vnum apud illos memoriae & annalium genus est*) *Tuistonem Deum terra editum* &c. Paulo post: *Ituri in proelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relata, quem Barditum vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur* &c. Quod si ergo credere fas est, vt peculiari dissertatione demonstrare nuper conati sumus, *y*) ex istis prouenisse Aborigines, antiquissimos Italiae incolas; facile fieri potuit, vt & isti mores tenuerint patrios atque carminis quodam genere fuerint vsi. Et ita sese res omnino habet. Quis enim dubitat VIRGILIVM z) Aborigines notare versu:

Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant?

Sed *versus* memorantur VARRONI *a*) *quos olim Fauni vatesque canebant. Fauni*, inquit porro, *Dei Latinorum, ita vt Faunus & Fauna sint in versibus, quos vocant Saturnios: in syluestribus locis traditum est solitos fari, a quo fando Faunos dictos.* FABIVS: *b*) *Ante enim carmen ortum est, quam obseruatio carminis. Indeque illud:*

--- *Fauni vatesque canebant.*

Et MARC. TVLLIVS: *c*) *Nihil est enim simul & inuentum & perfectum. Nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum Poetae, quod ex iis carminibus intelligi potest, quae apud illum & in Phaeacum & in procorum epulis canuntur. Quid nostri veteres*

x) De moribus Germ. haud longe ab initio. *y*) Vid. Differt. nostra de origine Latinae linguae cap. 6. *z*) Aeneid. lib. 8. v. 314. *a*) De lingua Latina lib. 6. c. 3. *b*) Instit. Orat. lib. 9. c. 4. *c*) De claris Oratoribus c. 17.

veteres versus vbi sunt?

Quos olim Fauni vatesque canebant:

&·quae sequuntur, ex istis Ennii Poetae integris restituenda:

--- *Scripsere alii rem*

Versibu', quos olim Fauni vatesque canebant;
Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat.

Postea Carmentam, Euandri matrem, a quibus, quod aiunt, Latini literas & prima elementa ceperunt, fatiloquam carminibus cecinisse futura, &, cum prius Nicostrata vocaretur, inde nomen suum accepisse, alibi *d*) clarius veterum variis testimoniis commonstratum est. Cum Romulus de Ceninensibus & Antemnatibus triumphans in vrbem rediit, tum pedestres, tum equestres copiae eum sequebantur, acie instructa, & patriis hymnis Deos colentes, & carminibus, ex tempore compositis, suum Ducem laudantes. *e*) Imperante Numa Pompilio & occupata iam tum armis ciuitate, Saliorum carmina facta sunt, quae sacerdotes gradiui, Martis ancilia gestantes cum tripudiis & solenni saltatu certis diebus decantarent. *f*) Haud ita longe post cantica quaedam & deuotionum sacra vulgarunt; Deorum laudes versibus celebrarunt, atque supplicarunt istis pro more suo de variis negotiis, vt plurimum oratione ligata. Vix alio modo sibi persuaserunt, recte sacra & diuina ministeria exprimi posse. Atque hinc nouimus, theologiam Gentilium poeticis plurimum figmentis niti: quod diuinum huic arti afflatum tribuere, & summum nefas esse crediderunt, alia quam diuina sermonis facultate, diuina ipsa nomina atque spiritus describere. Sed carminibus etiam Romanos ad flagitia sua non-

d) Differtat. de Origine LL. c. 8. §. 5. de Pueritia LL. c. 1. §. 15.
e) Dionys. Halic. Rom. Antiq. lib. 2. c. 5. *f*) Vid. Differt. de Pueritia LL. cap. 3. §. 13. 14.

ſua nonnunquam abuſos fuiſſe, vel ex eo patet, quod legibus XII. Tabularum iam tum iſtud prohibere conſultum putauerint, ac enunciare: vt ſi quis pipulo occentauerit, carmenue condiderit, quod infamiam flagitiumque faceret alteri, fuſte feriatur; item, qui malum carmen incantauerit &c. vt parricida vltimo ſupplicio afficiatur. Nec defuere, qui vaticiniis editis populi Romani fata deſcripſerunt, vt P. Licinius Tegula, & Martius vates, qui perobſcuris verſibus futuras clades Punicis bellis praenunciauit, ac de ludis Apollinaribus carmen reliquit. *g)* Sic quoque relatum legimus, ſolitos eſſe in epulis canere conuiuas ad tibicinem, de clarorum hominum virtutibus. *h)* Hinc VARRO: *i)* *In conuiuiis Pueri modeſti, vt cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, & aſſa voce & cum tibicine.* Praeterea fidibus haec fuiſſe cantata QVINTILIANVS *k)* teſtatur, vbi: *veterum*, dicit, *quoque Romanorum Epulis fides & tibias adhibere moris fuit.* Et quidni credamus, carmina qualia quanta veteres fudiſſe etiam aliis publicis atque priuatis concionibus actibusue, tibicinum vbi vſus obtinuiſſe conſtat? Ille vero ſatis erat frequens in omnibus ſacris, ludis & funeribus. Digna ſunt eum in finem euoluantur carmina, quae ma-

 giſter

g) Vid. LIVIVS Hiſt. Rom. l. 25. c. 12. CICERO orat. de Aruſpicum reſponſis: *Fatorum veteres praedicationes Apollinis, vatum libris, portentorum explanationes, Hetruſcorum diſciplina contineri putarunt: quae quidem tanta eſt, vt noſtra memoria primum Italici belli funeſta principia, poſt Syllani Cinnanique temporis extremum pene diſcrimen tum hanc recentem vrbis inflammandae delendique imperii coniurationem non obſcure nobis paulo ante praedicauerint.* HORATIVS Epiſt. 1. lib. 2. Antiqua illa vatum praedicta vocat

--- *annoſa volumina vatum.*

h) CICERO Tuſcul. quaeſt. lib. 1. ab exord. VALERIVS MAX. lib. 2. c. 1. n. 10. *i)* De vita populi Romani lib. 2. apud NONIVM cap. 2. n. 70. *Aſſa.*
k) Inſtit. Orat. lib. 1. c. 17.

gister amorum *l*) scripto reliquit:

Cur vagus incedit tota tibicen in vrbe?
Quid sibi personae, quid stola longa volunt?
Sic ego: sic posita Tritonia cuspide dixit.
Pace velim doctae verba referre Deae.
Temporibus veterum tibicinis vsus auorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:
Cantabat moestis tibia funeribus.

Cetero carmina veterum commemorantur plurima. Carmen rogationis a M. Duellio recitatum; *m*) Carmen detestationis in execrationem capitis familiaeque & stirpis compositum, quod iurisiurandi quaedam quasi formula fuit; *n*) Aliud carmen decreuere Pontifices, vt virgines ter nouenae per vrbem euntes canerent; *o*) Fuere carmina militaribus iocis in C. Claudium & M. Liuium triumphantes iactata; *p*) Sic quoque Romani carmen precationis habebant, quod praefari consueuere magistratus, priusquam populum alloquantur; *q*) &c. Sed, quod Antiquitatis illius vitium erat, inculta inconditaque omnia, *r*) proinde seculis posterioribus parum intellecta: vt abscondita & longa obliuione sepulta, ne hilum quidem nobis nunc suppeditare queant.

§. V.

Isthac vero aetate tandem aliquando post diuturna sermonis neglecti secula, vt scriptores alii, prodierunt etiam frequentiores

---

l) OVIDIVS Fastor. lib. 6. v. 655. seqq. Confer. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 20. c. 2. 3. *m*) Apud LIVIVM Histor. Rom. lib. 3. c. 64. *n*) Ibid. l. 10. c. 38. *o*) Ibid. lib. 27. c. 39. & l. 31. c. 12. *p*) Ibid. l. 28. c. 9. *q*) Ibid. l. 39. c. 15. *r*) FABIVS QVINTILIANVS Instit. Orator. lib. 9. c. 4. Proinde *Poema,* inquit, *nemo dubitauerit imperito quodam initio fusum, & aurium mensura, & similiter decurrentium spatiorum obseruatione esse generatum, mox in eo repertos pedes.*

quentiores Poetae, quos magis magisque ſuam excolere linguam & ea nunc quidem paulo caſtigatiori emolitaque vti conſpicimus: quamuis & illi creſcente Latinitatis aetate florentes ex prioribus ſeculis archaiſmos retinuerint quamplurimos; & qui prae reliquis linguae ornatum addidiſſe videri volebant, non vno pede ſuos claudicare verſus fecerint ſatis adhuc arte rudes.

§. VI.

Operam dabimus, vt enumerentur in hoc noſtrae Diſſertationis capite praecipui eorum, quorum nihil, praeterquam fragmenta hinc inde multo multorum ſtudio & labore collecta, nobis reliquum eſt. Tum proxime ſubſequenti capite paulo altioris indaginis obuenient illi, quorum etiamnum nos integra ſcripta & opera poſſidemus. Ad hos referemus Plautum, Terentium atque Lucretium; ad iſtos, qui ſequuntur heic ſuo ordine expoſiti. L. LIVIVS ANDRONICVS Poeta, qui anno ab vrbe condita IↃXIII, Mundi circiter 3725. proxime poſt bellum Punicum primum, apud Romanos Caio Claudio Cethego, Appii Caeci filio& M. Sempronio Tuditano Coſſ. anno ipſo antequam natus eſt Ennius, omnium primus fabulam dedit ſuaque carmina produxit in ſcenam. *s*) Martialis

ſcilicet

s) M. TVLLIVS de claris Orator. c. 18. *Hic Liuius, qui primus fabulam C. Claudio Caeci filio & M. Tuditano Coſſ. docuit anno ipſo antequam natus eſt Ennius, poſt Romam conditam autem quadringenteſimo decimo vt hic* (Pomponius Atticus ille, qui inter collocutores erat, in annalibus) *ait, quem nos ſequemur. Eſt enim inter ſcriptores de numero annorum controuerſia* &c. Idem Tuſcul. Quaeſtion. lib. 1. c. 1. *Quum apud Graecos antiquiſſimum e doctis genus ſit Poetarum, ſiquidem Homerus fuit & Heſiodus ante conditam Romam, Archilogus regnante Romulo, ſerius Poeticam nos accepimus. Annis enim fere CCCCX. poſt Romam conditam Liuius fabulam dedit, Caio Claudio Caeci filio, Marco Tuditano conſulibus, anno ante natum Ennium, qui fuit maior natu, quam Plautus & Nae-*

ſcilicet populus Romanus inter alia quondam inſtituit ſcenicos etiam ludos: ſed perexiguis, vt eſſe omnia ſolent, principiis, hominibus ſine carmine vllo, ſine imitandorum carminum actu ad tibicinis modos ſaltantibus. Deinde iouentus illos imitata verſibus inconditis coepit inter ſe iocularia fundere, nec abſonos a voce dare motus. Quod cum aliis haud diſplicere viderent, eiuſmodi ludos ſaepius iterarunt, eaque exercitatione alacriores, deſcripto iam ad tibicinem cantu, ſatyras motu congruenti peragebant. Quare illis *Hiſtrionum* nomen inditum eſt. *Hiſter* autem Tuſcis *Ludio* vocatur. t) *Liuius poſt aliquot annos, qui ab ſatyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere, idem ſcilicet, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor, dicitur, cum ſaepius reuocatus vocem obtudiſſet, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem cum ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis viginti motu, quia nihil vocis vſus impediebat. Inde ad manum cantari hiſtrionibus coeptum, diuerbiaque tantum ipſorum voci relicta. Poſtquam lege hac fabularum ab riſu ac ſoluto ioco res auocabatur, & ludus in artem paulatim verterat, iuuentus hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus iactitare coepit, quae inde exo-*

---

nius. Sero igitur a noſtris Poetae vel cogniti vel recepti. Et in libro eius de Senectute Cato: *Vidi*, inquit, *etiam ſenem Liuium, qui quum ſeptem annis antequam natus ſum fabulam docuiſſet Cethego & Tuditano Coſſ. vſque ad adoleſcentiam meam proceſſit aetate.* Sed Faſti conſulares, quibus in eiuſmodi negotio maximam fidem habemus, memoratos Conſules illos poſt quingenteſimum anno XIII. conſtituere. Quod etiam A. Gellivs noct. Attic. lib. 17. c. 21. comprobauit. Vid. inſuper Lilivs Greg. Gyraldvs de Poetis hiſtor. dialog. 8. Oper. tom. 2. p. 297. Ioh. Fvnccivs Chronol. fol. 79. E. Heinr. Bvnting Chronol. fol. 143. Alii. Adde CCXXI. ante Virgilii Maronis exceſſum, qui Horatii mortem nouennio anteceſſit. t) Vid. omnino Octavii Ferrarii de pantomimis & mimis diſſertatio elegantiſſima.

de exodia postea appellata. Haec LIVIVS Patauinus Historicus. *v)* Ita paulatim ars ludicra ad modos Satyrarum peruenit, Liuio Poeta omnium primo spectantium animos a ridiculis ad fabularum argumenta, nec infelici successu, transferente. DONATVS ergo incertum esse scribit, qui primus apud Latinos poemata inuenerit, certum tamen esse & Tragoediam & Comoediam Liuium Andronicum nostrum reperisse. Et FABIVS, nihil, inquit, in Poetis supra Liuium Andronicum habemus. Item ille carminum lyricorum Princeps & Venusinus Poeta *x)* primum isthunc eius aeui scriptorem fuisse innuit, vbi:

--- Habet hos numeratque Poetas,
Ad nostrum tempus Liui scriptoris ab aeuo.

EVSEBIO vel, qui eum Latine vertit, HIERONYMO *y)* teste, prius noster fuerat seruus Liuii Salinatoris *z)* Ἀνδρονικὸς vocatus, cuius liberos erudiebat, ac propter ingenium a Domino suo valde amabatur. *a)* Tandem manumissus, & libertate, nomine familiaque donatus, id quod ipsi ante nomen fuit, retinuit ac in cognomen conuertit. Fuerunt & alii eiusdem nominis viri, nec obscurioris famae, a quibus Poeta ille noster antiquissimus probe distinguendus est. Liuius Patauinus Historicus vulgo notus & celebris cum isto a nemine, nisi qui forsan hospes fuerit in omni re literaria, confundi nequit. Ita quoque Iuliani Caesa-

H 3 ris tem-

v) Histor. Rom. lib. 7. c. 2. Confer. DIONYS. HALIC. Rom. Antiq. lib. 7. c. 9. VALERIVS MAX. lib. 2. c. 4. E recent. modo laudatus FERRARIVS Differt. de pantomimis §. 13. *x)* HORATIVS Epist. 1. lib. 2. *y)* In libro de temporibus. *z)* Ille diuersis temporibus Praetor, Consul, Pontifex in Historia Romana haud innobilis. Vid. LIVIVS Patauinus Histor. Rom. lib. 25. c. 14. l. 38. c. 35. lib. 43. c. 11. & passim. LVC. FLORVS Histor. Rom. lib. 2. c. 6. VALERIVS MAX. lib. 2. c. 9. n. 6. lib. 3. c. 7. n. 4. lib. 4. c. 1. n. 9. Plures alii. *a)* CICERO de claris Oratoribus c. 18. Liuium *docuisse fabulam annis post XI. C. Cornelio & Q. Minutio Coss. ludis Iuctatiis, quos Salinator Senensi praelio vouerat.*

ris temporibus vixit quidam Andronicus Poeta, vt MARCELLINVS scribit, studiis liberalibus & carminum splendore notus. Etiam non nemo Andronicus illustres inter Grammaticos vocatur, qui Syrus cum esset Romae docuit, deinde Cunis agens in otio vixit. *b*) De scriptis Liuii Andronici Poetae superest vt pauca moneamus. Istorum quidem nihil ad nos peruenit: sed passim a veteribus Grammaticis a Gellio, Macrobio, Terentiano, Festo, Nonio, Prisciano atque aliis citantur: ex quibus sero postmodum reuiuiscentibus literis homines antiquitatis studiosi fragmenta quaedam collegerunt, cum aliis vetustioris aeui monumentis paulo curiosius asseruanda. *c*) Odyssea omnium notissima est. A. GELLIVS *d*) testatur, se in bibliotheca Patrensi offendisse librum verae vetustatis Liuii Andronici, qui inscriptus fuisset ὀδύσσεια, & primum eius versum fuisse:

Virum mihi Casmena insece versutum.

Eiusdem & alibi mentionem facit, *e*) vbi singulatim examinat versum:

Quando dies adueniet, quem praefata morta est;

atque monet *mortam* quasi μοῖραν accipi debere. Rursum: *f*) *Adprimus* autem *longe primum* L. Liuius in Odyssea dicit in hoc versu:

Ibi denique vir summus adprimus Patroclus.

Idem Liuius in Odyssea *praemodum* dicit quasi *admodum.* *Parcen-*

---

b) Vid. SVETONIVS de illustr. Gramm. c. 8. *c*) Prodiere apud Stephanos inter fragmenta veterum Poetarum Latinorum Parisiis 1564. in 8. Apud Scriuerium inter fragmenta veterum Tragicorum Latinorum Lugduni Batauorum 1620. in 8. In corpore omnium veterum Poetarum Latinorum in 4. sumtibus Iacobi Crispini primum 1611. altera vice 1627. pag. 1. & 2. *d*) Noct. Attic. lib. 18. c. 19. *e*) lib. 3. c. 17. *f*) lib. 7. cap. 7.

Parcentes, inquit *praemodum*, quod significat *supra modum*, dictumque est quasi *praeter modum*. Haec Gellius, de quibus nos alibi ex professo agemus. Ita non nihil ex reliquis eius fabulis antiquioribus citatis eruere, ex his nominatim ordine, quem alphabeticum vocat, dispositis, Achille, Aegistho, Aiace, Andromeda, Antiopa, Centauris, Equo Troiano, Ερωτοπαιγνίοις, Gladiolo, Helena, Hermiona, Laodamia, Lydio, Polymetris, Protesilao, Sereno, Tereo, Virgine. Composuit & hymnos in Deos, ex quibus de Iunone versus miuros nominat MAVRVS TERENTIANVS: *g*)

> *Si nusquam hoc aliquis lectum putat, ecce dabitur*
> *Versus Homericus ausonio resonans ita modo,*
> *Quem μείουρον Achaica gens vocitare solita est:*
> *Attoniti Troes viso serpente pauitant.*
> *Liuius ille vetus Graio cognomine h) suae*
> *Inserit Iunonis versu puto tale docimen:*
>
> — — — — —
>
> *Et iam purpureo suras include cothurno;*
> *Balteus & reuocet volucres in pectore sinus:*
> *Pressaque iam grauida crepitent tibi terga pharetra:*
> *Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.*

Et istud propemodum fuit carmen ab Andronico Liuio factum in honorem Iunonis Reginae, quod olim a ter nouenis puellis per vrbem celebratum fuisse legimus. *i*) Hinc ipsi maximus ab Romanis dabatur honos, vt Scribis (ita tunc temporis vocabantur Poetae) histrionibusque in Auentino aedi Mineruae liceret consistere ac ponere dona in gratiam eius magistri sui, qui consueuerit & scribere & agere fabulas. *k*) An idem Liuius

g) Libro de metris. *h*) Ανδρονικός, illud enim cognomen Graecum est. *i*) Vid. LIVIVS Patau. Histor. Rom. lib. 27. c. 37. *k*) FESTVS in

uius etiam annales scripserit, maxime ab illis quaeri solet, qui omnem DIOMEDI *l*) verentur abrogare fidem, vbi testatur eum XVIII. libris res Romanorum, qui Annales inscriberentur, reliquisse. Sed nostrum nunc non est de illis differere pluribus, vel, quod aiunt, actum agere denuo. Etenim plerisque iam visum est apud GYRALDVM *m*) vel Liuium alium, vel Ennium pro Liuio in Diomedis textu legendum esse. GERH. vero IOH. VOSSIVS *n*) apertius Caesarium Virum quidem eruditum, sed nimis etiam audacem Diomedis interpolatorem fuisse docet: & nihil eiusmodi veteres de Liuio prodidisse; sed Ennium fuisse illum, qui res Romanorum XVIII. libris complexus sit, qui & annales inscribuntur, vt adeo Ennius pro Liuio apud Diomedem legi debeat. Quae, vt omnia, fuse & docte Criticorum ille maximus comprobauit. Quo etiamnum nos ad alia properantes curiosum lectorem ablegamus. Istud vero nemo facile negauerit, nostrum Poetam bonis artibus & linguae suae laudabilem pro temporis ratione operam dedisse, & Romanam iuuentutem, vtut Graeca lingua magis fuerit vsus, manu quasi ad cultiorem vitam & literas humaniores duxisse. Hinc Poeta & Orator semigraecus cum Ennio audit apud TRANQVILLVM, *o*) qui vtraque lingua domi forisque docuerit. Sed, quod se-

---

voce Scriba: *Scribas proprio nomine antiqui & librarios & Poetas vocabant &c. Itaque cum Liuius Andronicus bello Punico secundo scripsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius Resp. populi Romani geri coepta est, publ. attributa est & in Auentino aedis Mineruae, in qua liceret Scribis histrionibusque consistere & dona ponere in honorem Liuii, quia is & scribebat fabulas & agebat.* *l*) Lib. 3. loco satis vulgari, vbi haec verba in Ioh. Caesarii editione legimus: *Epos Latinum primus digne scripsit Liuius, qui res Romanorum decem & octo complexus est libris, qui & Annales inscribuntur, quod singulorum ferę annorum actus continent.* *m*) De Poetis hist. dial. 8. Oper. tom. 2. p. 297. *n*) De Historicis Latinis lib. 1. c. 2. *o*) De illustr. Grammat. c. 1.

quod feculi vitium erat, gloriam Latinae linguae aſſequi nulla ratione potuit ipſe, cum ſunderet carmina, deſtitutus arte: vt CICERONIS *p*) iudicio, quod inſtar omnium ſuo merito nobis eſſe debet, *Liuianae fabulae non ſatis dignae ſint*, *quae iterum legantur*.

§. VII.

Liuium proxime ſequitur CN. NAEVIVS Poeta comicus, natione Campanus, qui Ennio natu maior fuit. Nec obſtat CICERONIS locus: *q*) *Liuius fabulam dedit Caio Claudio Caeci filio, Marco Tuditano Coſſ. anno ante natum Ennium, NB. qui fuit maior natu quam Plautus & Naeuius*. Nam relatiuum pronomen *Qui* non ad Ennium, ſed ad Liuium ſpectat: vt verborum ſenſus ſit, Liuium, qui anno ante natum Ennium fabulam docuit, quam Plautus & Naeuius natu maiorem fuiſſe. Quod ipſe TVLLIVS noſter *r*) haud obſcure innuit, quando Naeuium introducit, quomodo ab Ennio taxetur. *Sit Ennius ſane*, inquit, *vt eſt certe, perfectior, qui ſi illum* (Naeuium) *vt ſimulat, contemneret, non omnia bella perſequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquiſſet. Sed ipſe dicit, cur id faciat. Scripſere, inquit, alii rem verſibus. Et luculente quidem ſcripſerunt, etiamſi minus quam tu.* Enni, *polite. Nec vero tibi aliter videri debet, qui a Naeuio NB. ſumſiſti multa, ſi fateris, vel, ſi negas, ſurripuiſti.* Oportet ergo Naeuium floruiſſe iam ante Ennium. Quomodo alias ex ſcriptis illius hic aliquid ſurripere potuit? Teſtibus CICERONE ipſo, VARRONE atque GELLIO, natus eſt Ennius Valerio & Manilio Coſſ. Anno ab V. C. DXIV. Naeuius autem *s*) Anno ab V. C. DXIX. quinquennio poſt natum Ennium atque Liuium inclareſcentem, coepit ſuas

I populo

p) De clar. Orat. c. 18. *q*) Tuſcul. quaeſt. lib. 1. c. 1. *r*) De claris Oratoribus. *s*) Si A. GELLIO credimus, iſtud referenti Noct. Attic. l. 17. c. 21.

populo exhibere fabulas. Eundem M. VARRO t) primo ſtipendia feciſſe ait bello Punico primo. Deſiit vero bellum iſtud anno circiter DXIV. Idque ipſum Naeuium dicere in eo carmine, quod de eodem bello ſcripſit. Valde maledicus ille Poeta fuit, ac probra aſſidue, ad Graecorum Poetarum imitationem, in ciuitatis Principes dictitauit. Cumprimis lacerauit uſque quaque dicteriis ſuis P. Scipionem Africanum. Neque, vt hoc verbi gratia in medium proferam, dubitauit ſequentes de eo ſcribere verſus: tt)

Etiam qui res magnas manu ſaepe geſſit glorioſe,
Cuius facta viua nunc vigent, qui apud genteis ſolus
Praeſtat, eum ſuus Pater cum pallio vna ab Amica
abduxit.

Ita quoque Metellos odio proſecutos eſt peſſimo, verſibusque ſatyricis perſtrinxit plurimum, ſcomma illis inter alia obiiciens:

Fato Metelli Romae fiunt Conſules.

Magis fato, voluit, quam Metellorum virtutibus tribuendum eſſe, quod non anno ſuo, vt maiores, ſed ante aetatem lege annaria praefinitam conſulatum adepti ſint. Quare illi contra Saturnio carmine luſerunt in Naeuium:

Et Naeuio Poetae,
Cum ſaepe laederentur,
Dabunt malum Metelli,
Dabunt malum Metelli,
Dabunt malum Metelli. v

Hinc

t) In libris de Poetis, apud GELLIVM l. c. tt) Ibid. lib. 6. c. 8.

v) *Sic ferunt Metellos*
Eſſe comminatos
Naeuio Poetae.

MAVRVS TERENTIANVS lib. de metris, vbi ſigillatim de Saturnio carmine.

Hinc factum eſt, vt Naeuius Romae ab Triumuiris in carcerem coniiceretur, ſuamque verborum immoderatam petulantiam iuſta lueret poena. Quo PLAVTVS *x*) reſpicit ludens verſibus:

Nam os columnatum Poetae eſſe inaudiui barbaro,
Cui bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.

Vbi *os columnatum* vocat os brachio tanquam columna ſubnixum. Naeuius enim, quem Graecanico more barbarum, h. e. Latinum, Poetam nominat, in commentando, mento manum ſuffulcire ſolebat. *y*) Atque iſti binos, inquit, affuiſſe cuſtodes, quibus canes intelligit; quod veteres illi canes vocarent *cuſtodes*, & vice verſa cuſtodiae praefectos *canes*. Sic quoque *canem* genus aliquod vinculi dictitatum fuiſſe, paulo humanior nemo eſt qui ignorat. Alii exiſtimant, *binos cuſtodes* dici binos teſticulos. Scilicet illi volunt in vocabulo *bini* aliquid ſubeſſe flagitii, vt Naeuio, quod laſciuior eſſet, obiiceret obſcoenitatem oris; freti CICERONIS z) teſtimonio: *Cum loquimur terni, nihil flagitii dicimus, at cum bini, obſcoenum eſt.* Nam & βινεῖν apud Theocritum & Ariſtophanem *coire* ſignificat. Poſteaquam in vinculis publicis aliquandiu fuit, ſuaque delicta & effrenam dictorum petulantiam, quibus ante laeſerat multos, expiandum, duas fabulas *Hariolum* & *Leontem* conſcripſit: e carcere a Tribunis plebis exemtus eſt, ea lege, vt dilueret probra delictaque illa, quae ſcriptis ſuis aduerſus quamplurimos & ipſos Romanorum nobiles patriciosue inſeruerat hactenus. Atque ita tum quidem ille vitae periculum euaſit. *a*) Sed tamen, nec longe poſt, denuo Metellis aliisque nobilibus, quos implacabili videbatur odio proſequi, inuiſus factus Roma eiicitur, tandemque in Vtica Africae, M. Cornelio Ce-

 thego

x) Milit. glorioſ. A. 2. S. 2. v. 56. *y*) Confer. TAVBMANNVS ad cit. Plauti locum. Et G. I. VOSSIVS Inſtit. Orator. lib. 4. c. 13. *z*) Ad famil. lib. 9. epiſt. 22. *a*) Vid. A. GELLIVS Noct. Attic. lib. 3. c. 3.

thego & P. Sempronio Tuditano Coss. anno ab V. C. DL. morti succumbit acerbae. *b*) Traditur ipsum sibi suum funeris epigramma superbiae quidem plenum posuisse Campanae: quod testimonium, GELLIVS *c*) inquit, esse iustum potuisse, nisi ab ipso dictum esset; eiusque verba refert in hunc modum:

Mortales immortales flere si foret fas:
Flerent diuae Camoenae Naeuium Poetam.
Itaque postquam est Orchino traditus thesauro,
Obliti sunt Romae loquier Latina lingua.

Inter alia bellum Punicum primum descripsit carmine, & luculente quidem, vt M. TVLLIVS ait in Bruto, cuius testimonium paulo ante citauimus. Sed tamen id postea politius perfectiusque versibus heroicis ab Ennio exaratum fuisse, tum vidimus quoque. Et hoc est illud ipsum opus, quod Auctori cumprimis placuisse testatur CICERO. *d*) Inclaruit vero maxime suis in scenam productis comoediis tragoediisque, de quibus qui agunt, citant Poetam in Alceste, Aureolo, Lycurgo, Tripholo, Leonte, in Colace, Aegystho, Tereo & Zenone. TERENTIVS VARRO in li-

b) CICERO de claris Orator. *At hic Cethegus Cos. cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo, quaestorque his consulibus M. Cato, modo plane annis CXL. ante me consulem: & idipsum nisi vnius esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas, vt alios fortasse multos, obliuione obruisset. Illius autem aetatis, qui sermo fuerit, ex Naeuianis scriptis intelligi potest. His enim consulibus, vt in veteribus commentariis scriptum est, Naeuius est mortuus: quanquam Varro noster, diligentissimus inuestigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Naeuii producit longius.* EVSEBIVS in Chronic. olymp. 144. *Naeuius Comicus Vticae moritur, pulsus Romae factione nobilium, ac praecipue Metelli.* Conf. IOHAN. FVNCCIVS chronol. fol. 81. D. GYRALDVS de Poetis histor. dialog. 8. Oper. tom. 2. p. 298. VOSSIVS de Historicis Latinis lib. 1. c. 2. *c*) Noct. Attic. lib. 1. c. 24. *d*) De Senectute: *Quam gaudebat bello suo Punico Naeuius? Quam Truculento Plautus, quam Pseudolo?*

RO in libris de Latina lingua ad M. Tullium pro Naeuianis commemorat etiam ſequentes, Eſionam, Claſtidium, Dolum, Demetrium, Perſas, Lampadionem, Agedonem, Romulum, Stigmatiam &c. Plures alii alias. Vbi tamen & hoc probe notandum eſt, nonnulla promiſcue Nouio & Naeuio tribui: quod ex. gr. aperte videmus in Colace, Exodio, Lycurgo, Pedio; iſtud ſiue ex ſimilitudine nominis, ſiue ex incuria librariorum irrepſerit. Etenim diuerſa non tantum eſt in diuerſis exemplaribus ſcriptura; verum, nec illius habita ratione, in vno eodemque codice iidem verſus eiuſdem fabulae, ab eodem Grammatico, Naeuii vno in loco, in altero Nouii nomine, citati reperiuntur. Sic quoque GELLIVS (ſi modo vulgatis editionibus fidem habemus) tribuit quaedam Naeuio, quae NONIVS MARCELLVS Nouio adſcribit. Etiam Nauius alicubi pro Naeuio legitur. Caetero haud pauci eiuſdem nominis viri celebres obueniunt in hiſtoria Romana, quos nemo facile cum Poeta noſtro confundere poteſt. Sunt autem inter alios ſequentes, Naeuius Turpio, qui, C. Sacerdote praetore, iniuriarum damnatus eſt; *e)* Naeuius Criſpinus quidam, vir impiger militiaeque peritus; *f)* L. Naeuius balbus Triumuir; *g)* M. Naeuius accuſator Africani; *h)* Q. Naeuius Triumuir; *i)* Q. Naeuius Matho Praetor; *k)* Ex omnibus Naeuii Poetae operibus nihil nobis reliquum eſt, praeter fragmenta quaedam, induſtria veterum Grammaticorum conſeruata: *l)* quae modum loquendi eius adhuc valde durum

 & aſpe-

e) CICERO Action. in C. Verrem lib. 7. *f)* LIVIVS Hiſtor. Roman. lib. 24. c. 40. *g)* Idem l. 45. c. 13. *h)* Idem l. 38. c. 56. *i)* Idem l. 34. c. 52. l. 35. c. 40. *k)* Idem l. 39. c. 32. *l)* Haec cum aliis Poetarum fragmentis HENR. STEPHANVS collecta euulgauit Pariſiis 1564. in 8. Extant quoque in corpore omnium veterum Poetarum Latinorum p. 289. ſeqq. Et inter fragmenta veterum Tragicorum Latin. apud SCRIVERIVM Lugd. Batau. 1620. in 8.

& asperum fuisse probant; maxime si versus initiales modo commemorati operis de bello Punico primo velimus respicere, prout ab GVILIELMO MERVLA *m*) restituti leguntur:

Qui terrai Latiai hemones tuserunt,
Vires frudesque Poinicas fabor.

Iuniores in hunc modum ea verba protulissent:

Qui terrae Latiae homines tuderint, *n*)
Vires fraudesque Punicas fabor.

Ita vero perierint numeri, qui sunt iambici, vt in illo eiusdem, quod CHARISIVS adducit:

Marcus Valerius consul partem exercitei
In expeditionem ducit. ---

Prisca eius verba, quibus in Alcesti carmine haud infimi nominis vtebatur, quaeque inaudita vel monstra potius verborum dixeris, A. GELLIVS *o*) ruminari olim instituit, maxime illud: *Corpore pectoreque vndique obeso, ac mente extensa, tardigemulo senio oppressum.* Vbi *obesus* ponitur pro exili atque gracilento; *mens extensa*, vel quod alii legunt *exsensa*, pro ea, quae sensu caret; *tardigemulus* qui tarde gemit. Idem notauit, quod *oblitteram gentem* dixerit, pro oblitterata; *foedifragos*, pro foederifragis, hostes, qui foedera frangunt. Rubentem auroram *pudoricolorem* appellat; *Memnonem nocticolorem*, i. e. nigrum; *silenta loca*, vbi omnia silent; item *pulverulenta* & *pestilenta*, & *carendum tui est*, pro carendum est te; *Magno impete* pro impetu; *fortescere*

m) In erudito ad Ennium commentario. *n*) i. e. *fregerint.* *o*) Noct. Attic. l. 19. c. 7. Vbi quidem in vulgatis editionibus pudendo errore *Leuius* pro Naeuio legitur.

tescere pro fortem fieri; *dolentiam* pro dolore & *auens* pro libens; *curis intolerantibus* pro intolerandis; *manciolis tenellis* pro manibus; *fuere impendio infit* pro impense fieri incipit; *accipitret* pro iaceret; Nestor vocatur *trisaeclisenex* quod tres hominum aetates vixisse dicatur, *p*) & *dulciorelo-quens*, quod tantae eloquentiae fuit, vt ab eius ore flueret oratio dulcior melle. *q*) De tumidis magnisque fluctibus inquit *multigrumis*, & flumina gelu concreta *tegmine* esse *onychino*; sed vituperones suos *subducti supercilii captores* appellauit. Caetero suas, vt Comicum decet, lepore non vno condidit fabulas; & eo facetiarum genere vsum fuisse, quae, praeter expectationem & ambiguum, risum mouent, CICERO *r*) testis est & nonnulla huius rei exempla adducit; inter alia: *ridiculum illud Naeuianum vetus in furace seruo, solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum, quod idem in bono seruo dici solet, sed hoc iisdem etiam verbis.* Rursum: *Apud Naeuium, videtur esse misericors ille, qui iudicatum duci videt, percontator ita: Quanti addictus? mille nummûm. Si addidisset tantummodo ducas licet, esset illud genus ridiculi praeter expectationem; sed quia addidit, Nihil addo, ducas licet, addito ambiguo altero genere ridiculi fuit, vt mihi quidem videtur, salsissimus.* Sic quoque Hector ille placuit summo Oratori *s*) apud Naeuium Poetam nostrum, qui laetatur non tantum laudari se, verum etiam addit, a laudato viro. VOLCATIVS SEDIGITVS *t*) tertium illi constituit locum post Caecilium & Plautum; neque Licinio tantum, verum etiam Attilio Te-

p) HOMERVS Iliad. l. 1. v. 250. seqq. *q*) Ibid. v. 247. seqq. *r*) De Oratore lib. 2. *s*) Ad famil. lib. 5. epist. 12. omnium elegantissima. *t*) Apud GELLIVM noct. Attic. lib. 15. c. 24.

lio Terentioque eum praepoſuit. Eos quondam Romanos inter admiratores inuenit, qui carmina eius prope ediſcerent. Hinc Venuſinus Poeta: *v*)

> *Naeuius in manibus non eſt, & mentibus haeret*
> *Pene recens: adeo ſanctum eſt vetus omne poema.*

§. VIII.

Naeuium eloquentia & genere ſcribendi multum ſuperauit QVINTVS ENNIVS, qui propter ſuam velut maieſtatem, ac ſummum, pro temporis ratione, ſtudium, nunc *Poetarum Latinorum Pater*, nunc *primus Romani carminis Auctor*, *x*) nunc *antiquiſſimus Vates* audit, *y*) Rudiis *z*) Calabriae oppido prope Tarentum natus eſt, olympiadis CXXXV. año 2. ab V. C. DXIV. C. Manlio & Q. Valerio Coſſ. *a*) Ordinum ductor & centurio interſuit

v) Horatius lib. 2. epiſt. 1. v. 53. *x*) Lucretius de rerum natura lib. 1. v. 117.

> *Ennius vt noſter cecinit, qui primus amoeno*
> *Detulit ex Helicone perenni frunde coronam,*
> *Per gentis Italas, omnium quae clara clueret.*

y) Plinius Hiſt. natur. lib. 17. c. 8. *z*) Ex quo *Rudium hominem* Cicero eum vocat Orat. pro Archia c. 10. Silius lib. 12. v. 396. de Poeta noſtro ita cecinit:

> *Miſerunt Calabri; Rudiae genuere vetuſtae.*

Strabo Geogr. lib. 6. p. 194. edit. Caſaub. Geneu. 1587. ἐκβάντες δὲ πεζεύουσι συντομώτερον ἐπὶ Ῥωδαίων πόλεως Ἑλληνίδος, ἐξ ἧς ἦν ὁ ποιητὴς Ἔννιος. *Vnde Tarentum verſus compendioſo itinere per Rudias* (Rodacos Strabo nominat Graece) *proficiſcuntur, vrbem Graecam Ennii Poetae patriam.* Confer. Plinius Hiſt. natur. lib. 3. c. 11. Pompon. Mela de ſitu orbis lib. 2. c. 4. Ita plerique patriam Ennii habuere Rudiam prope Tarentum, de qua vid. Christ. Cellarius Notit. orbis veter. tom. 1. p. 901. At Dominicus de Angelis Rudiae hoc tribuit alteri, quae duobus Aletio milliaribus diſtat. Vid. eius Differt. ſatis erudita de Patria Ennii Romae 1701. 8 Italice edita. *a*) Vid. Tullius de clar. Orator. c. 18. A. Gellius noct. Attic. lib. 17. c. 21. Confer. Ioh. Funccius Chronol. fol. 79. D. Chronologi & Hiſtorici alii. Blount cenſura celebr. Auctor. p. 49.

interfuit bello Punico secundo, suamque virtutem, in experiundis hostibus, abunde probauit. Quod dignis proinde laudibus effert SILIVS: *b*)

Ennius antiqua Mesapi ab origine Regis,
Miscebat primas acies, Latiaeque superbum
Vitis c) adornabat dextra decus.

Perdilectus erat Scipioni Africano seniori, sub cuius imperio traditur stipendia meruisse. Quod CLAVDIANVS *d*) describit elegantissime:

Maior Scipiades, Italis qui solus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput,
Non sine Pieriis exercuit artibus arma:
Semper erat Vatum maxima cura Duci.
Gaudet enim virtus teste sibi iungere Musas:
Carmen amat quisquis carmine digna gerit.
Ergo seu patriis primaeuus Manibus vltor,
Subderet Hispanum legibus Oceanum,
Seu Tyrias certa fracturus cuspide vires,
Inferret Libyco signa tremenda mari:
Haerebat doctus lateri, castrisque solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas. &c.

Atque etiam cum Q. Fuluio nobili Romano castra sequebatur, cum ille a Senatu aduersus Aetolos Imperator missus esset. *e*) Ratione belli ita ferente, perductus in Sardiniam, Romanam prouinciam, ab Afris defendendam: vbi quadragenarius vixit, ac M. Portium Praetorem Graecas literas docuit. *f*) Quod fu-

K

it anno

b) Punic. Bell. lib. 12. v. 392. *c*) De isthoc centurionum insigni vid. PLINIVS Hist. natur. l. 14. c. 1. *d*) Praefat. in lib. 3. de laudibus Stiliconis. *e*) CICERO in Orat. pro Archia tract. parte vltima, *Iam vero ille*, inquit, *qui cum Aetolis Ennio comite bellauit Fuluius, non dubitauit Martis manubias Musis consecrare.* *f*) Vt est apud AVRELIVM VICTOREM lib. de Viris illustr. c. 47. Confer. G. I. VOSSIVS de Poetis Latinis c. 1.

it anno ab V. C. DL. L. Cornelio Lentulo & P. Villio Tappulo Coss. Anno sequenti Cato quaestor ex Africa decedens, perspecto eius ingenio, Romam deduxit Poetam, quod non minoris existimat CORNELIVS NEPOS *g*) quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Heic ciuitate donatus *h*) habitauit in monte Auentino, admodum parco sumtu & vnius ancillae ministerio contentus. *i*) Aliquando Nasica nostrum conuenire cupit; sed illi ab ostio quaerenti ancilla dixit, eum domi non esse: Quam cum Nasica sentiret domini iussu hoc dixisse, & illum ipsum intus fuisse; paucis post diebus Ennio veniente ac eum à ianua quaerente, se domi non esse, clamauit. Tum Ennius, quid ego non cognosco vocem, inquit, tuam? At Nasica: Homo es impudens, ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse; tu mihi non credis ipsi? *k*) Ennius tria solebat dicere se corda habere, quod Graece, & Osce, & Latine loqui sciret. *l*) In omnibus suis scriptis studio indefesso visus est exprimere Homerum, quem tanti faciebat, vt interdiu vigilans saepissime de eo cogitare & loqui, atque etiam noctu per somnium agere cum isto solitus fuerit. *m*) Quod, quum somniauit aliquando, ipse ita narrauit: *n*)

Visus Homerus adesse Poeta.

Et alibi:

Nam videbar somniare me & ego esse mortuum.

Inde fabulantur q idam, Homeri animam sortitum esse per palingenesiam, quam vocant Pythagorici. Quo & ipse LVCRETIVS *o*) respicere videtur, vbi,

Vnde sibi

g) De excellentibus Viris in vita Catonis cap. 1. *h*) CICERO in Orat. pro Archia: *Rudium hominem maiores nostri inciuitatem receperunt.* &c. *i*) Vid. HIERONYMVS in Chron. Euseb. *k*) CICERO de Oratore lib. 2. *l*) A. GELLIVS noct. Attic. lib. 17. c. 17. *m*) Vid. CICERO de Somnio Scipion. c. 1. *n*) Apud CICERONEM Academ. Quaestion. lib. 2. *o*) De rerum natura lib. 1. v. 124.

Vnde ſibi, inquit, *exortam ſemper florentis Homeri*
Commemorat ſpeciem, lacrumas & fundere ſalſas
Coepiſſe, & rerum naturam expandere dictis.

Et HORATIVS: *p*)

Ennius & ſapiens & fortis & alter Homerus,
Vt critici dicunt, leuiter curare videtur,
Quo promiſſa cadant & ſomnia Pythagorea.

i. e. Ennium, qui alterum Homerum ſe finxit inductus ſomnio, & ſecundum Pythagorae ſententiam iſtius in ſe dixit animam immigraſſe, ita negligenter ſcribere, vt parui facere videatur, quid de ſe promiſerit, vel ſomniauerit. Vitam ad plures annos perduxit. Nam ſeptuagenario maior diem obiit ſupremum anno V. C. DLXXXV. Q. Martio & Q Seruilio Coſſ. *q*) correptus articulari morbo, quem nimio ſibi contraxerat potu. Vini enim, quoad vitae halitum duxit, appetentior fuit,

--- *nec vnquam niſi potus ad arma*
Proſiluit dicenda ---

vt HORATII verba mea faciam. Poſt mortem epitaphio nobilitari voluit in hunc modum: *r*)

Aſpicite, o ciues, ſenis Ennii imaginis vrnam
Hic veſtrum pinxit maxima facta patrum. *s*)

Item:

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit. Quur? volito docta per ora virum.

 Sepul-

p) Epiſt. 1. lib. 2. *q*) CICERO de claris Oratoribus & lib. de Senectute. Vbi teſtatur, paupertatem & ſenectutem, quae duo maxima putantur onera, noſtrum tuliſſe Poetam adeo, vt eis pene delectari viſus fuerit. HIERONYMVS in Chron. Euſeb. olymp. CLIII. an. 1. vbi ergo obitum eius vno anno poſt refert, quam Cicero. *r*) Apud CICERONEM Tuſcul. quaeſt. lib. 1. *s*) *Ergo mercedem gloriae flagitat ab illis, quorum patres affecerat gloria.* CICERO l. c.

Sepultus est in Scipionis Africani summi Imperatoris monumento, via Appia, intra primum ab vrbe lapidem. Ita CICERO: t) *Charus fuit Africano superiori noster Ennius: itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus.* Istud LIVIVS v) quoque testatur, vbi, *Romae,* inquit, *extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt: quarum duae P. & L. Scipionum dicuntur esse, tertia poetae Q. Ennii.* PLINIVS: x) *Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulchro suo imponi iussit, imo vero spolium ex tertia orbis parte raptum in cinere supremo cum poetae titulo legi.* Et HIERONYMVS: y) *Ennius Poeta septuagenario maior articulari morbo periit: sepultus in Scipionis monumento, via Appia, intra primum ab vrbe miliarium. Quidam ossa eius Rudiam ex ianiculo translata affirmant.* Denique OVIDIVS: z)

> *Ennius emeruit Calabris in montibus ortus*
> *Contiguus poni, Scipio magne, tibi.*
> *Nunc ederae sine honore iacent: operataque doctis*
> *Cura vigil Musis nomen inertis habet.*

Ingenium & pulcherrimas inuentiones Ennii Virgilius ipse imitatus est. a) Et relatum legimus, eum, cum aliquando deprehenderetur Ennii poemata legere, & quid ageret, interrogaretur, respondisse: Aurum se ex Ennii stercoribus legere. b) Quod fecit, dum elegantiori forma disposuit, quae ab isto negligentius dicta fuere. Marcus Tullius, quem totus nunc celebrat orbis, ille pater Eloquentiae, assiduus quoque fuit lector Ennii poetae, cuius dictamina in ore continuo habuit, citauit ac hone-

---

t) In oratione pro Archia c. 9. v) Histor. Rom. lib. 38. c. 56. x) Histor. natur. lib. 7. c. 30. y) Chron. Olymp. CLIII. an. 1. Videantur etiam VALERIVS MAXIM. lib. 8. c. 15. & SOLINVS Polyhist. cap. 7. z) Artis amator. lib. 3. a) Quod MACROBIVS Saturnal. lib. 6. cap. 1. multis exemplis probat. b) Ibidem.

ac honestis passim condecorauit laudibus. Vbi de claris oratoribus sermo est, *quid vero extet*, inquit, *& de quo sit memoriae proditum, eloquentem fuisse, & ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius eloquentiae est auctor & idoneus quidem mea sententia Q. Ennius Praesertim cum & ipse eum audiuerit, & scribat de mortuo.* &c. De Oratore libro, quempiam, se delectari Ennio, dicentem introducit, quod non discedat communi more verborum. De optimo genere Oratorum, circa initium quidem vocat Ennium *summum Epicum Poetam.* Denique *c*) ingenuos omnes rogat: *quis tam inimicus pene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuuii spernat, aut reiiciat.? Qui se iisdem Euripidis fabulis non delectari dicat, Latinas literas oderit.* Sed omnia pene superat VITRVVII *d*) de nostro iudicium: *Quicunque literarum iucunditatibus instructas habent mentes, non possunt non in suis pectoribus dedicatum habere, sicuti Deorum, sic & Ennii Poetae simulacrum.* Quamuis ita noster laude sua minime destituendus sit, quod ornatius paulo fecerit, quae carminibus ante eum describere Auctores coeperunt: & quum paucissimi literarum studiosi erant, ille squalentem hucusque ac desertum linguae Romanae campum, insertis commode hinc inde flosculis, colere ac studio indefesso exornare tentauerit, quare celebratur ab optimis Auctoribus: existimare tamen nullo modo debemus, ita exacte casteque illum scripsisse, vt cum aliis seculo aureo, vel, prout nos loqui coepimus, adulta Latinitatis aetate florentibus aliquomodo comparandus sit, vel cum istis absque omni discrimine etiamnum nos eum imitarier mereatur. Nam vt argumentorum vim atque vitiosas expositiones in sublimiori grandique illa dicendi arte silentio transeamus, quae nimis longe ab

c) CICERO de finibus bonorum & malorum lib. 1. Confer. ANGELVS POLITIANVS Miscellan. cap. 27. *d*) Lib. 9. c. 3.

ge ab veteribus poetis plerumque repetuntur: quamobrem diserte CORNIFICIVS *e*) monet, ne Ennium & caeteros Poetas imitemur: habuit cumprimis hoc aeuum peculiare quid, linguam ipsam respicere velis. Crebros retinuit ex antecedentibus temporibus archaismos, abs quibus decet nos nunc merito cum istis, qui feliciori Ciceronis aetate vixerunt, scriptoribus plane abhorrere. Frequens obseruatur syllabarum atque vocum dilatatio & contractio. *f*) Crebro obseruantur verba obsoleta, vel aliter saltem atque nunc vsurpata & pronunciata, vt est in illo carmine quoque: *g*)

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes.

Vocabula finxit quam plurima noua, cuius furfuris sunt illa: Tum pater sapientiam mihi omnem ex animo *expectorat.* Num non vis huius me *versutiloquas* malitias. Videtis enim & *versutiloquas* & *expectorat* facta esse verba, non nata. Vel, quod fieri saepe solet, ab illo etiam nouata sunt verba sine coniunctione, vt *ille senius Dii genitales*, *vt baccarum* vbertate *incuruescere* &c. *h*) Ita quoque Venusinus Poeta *i*) fidem nobis facit, quod

--- Lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditauerit & noua rerum
Nomina protulerit.

Quod licet virtuti magis ipsi quam vitio vertendum; mihi tamen val-

e) Rhetor. ad Herennium lib. 2. *f*) De quibus prolixe agit TVLLIVS in Oratore. *g*) Apud CORNIFICIVM Rhetoric. ad Herenn. lib. 2. Is enim verus Auctor esse dicitur. Confer. ANGELVS POLITIANVS Miscell, cap. 27. *h*) CICERO de Oratore lib. 3. Confer. Celeberr. REIMANNI Introductio in histor. vocab. ling. Lat. p. 13. *i*) HORATIVS Art. Poet. v. 56.

men valde probatur iudicium, quod OVIDIVS *k*) tulit de Poeta nostro versibus:

Vtque suo Marte cecinit grauis Ennius ore:
Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Et alibi: *l*)

Ennius arte carens, animosique Accius oris
Casurum nullo tempore nomen habent.

Quocum FABIVS *m*) sentit, vbi, *Ennium*, inquit, *sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem. Propiores alii, atque ad hanc phrasin, de qua loquimur, magis vtiles.* Haec vero non tam Auctoribus ipsis, quam iniquiori temporum genio tribuenda sunt. Et diu laborauit subsequens aetas stilo assueta seculi Enniani, qui solus omnibus placebat; vt, quicquid tandem viri ingenui & Musae cultioris patroni fuerint conati, ad genus dicendi paulo elegantius perfectiusue duceretur. Hinc MARTIALIS: *n*)

Ennius est lectus, saluo tibi, Roma, Marone;
Et sua riserunt secula Maeonidem.

Scripsit quamplurima, & vario carminum genere Latinam linguam, pro temporum ratione studuit excolere. Sunt eius Annales *o*) & historia belli Punici secundi versibus hexametris conscripta; Phagetica, Epigrammata, Scipio, Epicharmus, Asotus & aliae satyrae, Protrepticus & Praecepta; tum *tragoediae*, Achilles, Aiax, Alcestis, Alcmaeon, Alexander, Andromache,

k) Tristium lib. 2. v. 424. Confer. les Reflexions du Monf. RAPIN sur la Poetique en general §. 37. *l*) Amorum lib. 1. eleg. vlt. *m*) Instit. Orator. lib. 10. c. 1. *n*) Lib. 5. epigr. 10. Confer. HORATIVS Epist. 1. lib. 2. MACROBIVS Saturnal. lib. 6. c. 3. *o*) Annales Ennii in libros dispescuit Quintus Vargonteius. Vid. SVETONIVS de Grammaticis cap. 2.

-mache, Andromeda, Athamas, Cresphontes, Cressae, Dulorestes, Erechtheus, Eumenides, Hectoris lustra, Hecuba, Iliona siue Polydorus, Iphigenia, Medea, Melanippe, Nemea, Phoenix, Telamon, Telephus, Thyestes; *Comoediae*, Amphithraso, Ambracia, Pancratiastes; Denique Euemerus sacra historia Euemeri soluto sermone conuersa. Tradunt nonnulli eum quoque libros de literis syllabisque duos, item de metris edidisse. Enimuero iam pridem LVCIVS COTTA *p*) iure arguit, non nostri Poetae, sed posterioris alicuius Ennii ea scripta esse, cuius de augurandi disciplina circumferantur volumina. Ex omnibus Ennii scriptis nihil ad nos peruenit, versibus aliquot exceptis illis a Cicerone, Gellio, Macrobio & Grammaticis veteribus passim citatis. Fragmenta haec dispersa in vnum velut corpus redigere, iam tum LVDOVICVS VIVES in animo habuit. *q*) Postea id tentatum est ab ROBERTO & HENRICO STEPHANIS. *r*) In colligendis tragoediis quoque MARTINVS DELRIO *s*) & PETRVS SCRIVERIVS *t*) haud contemnendam praestiterunt operam. HIERONYMVS COLVMNA vero nobilis Romanus politissimi ingenii ex XVIII. Annalium libris aliisque Ennii scriptis quicquid reperire potuit, maximo studio collegit, digessit, eruditissimoque commentario illustrauit. *v*) Haec non ita longe post PAVLVS MERVLA magis luculente disposuit suisque animaduersionibus euulgauit.

p) Apud SVETONIVM lib. de illustrib. Grammaticis cap. 1. *q*) Vt pollicetur in Augustini lib. 1. de Ciuitate Dei, occasione huius Enniani versus:

Moribus antiquis res stat Romana viriisque.

r) Qui fragmenta veterum Poetarum Latinorum ediderunt Parisiis 1564. in 8. *s*) In parte prima Syntagmatis tragoediae Latinae, cuius pars altera Senecae tragoedias comprehendit. Antuerpiae 1594. in 4. Parisiis 1607. & 1620. in 4. *t*) Ille fragmenta veterum Tragicorum Latinorum euulgauit Lugd. Batau. 1620. in 8. *v*) Neapoli 1590. in 4.

gauit. *x*) Ennianorum fragmentorum COLVMNAE editionem nostro ſeculo typographus inſignis & de Rep. literaria optime meritus H. WETSTENIVS nitide curauit recudi, *y*) e recenſione FRANC. HESSELII, qui eruditorum emendationes, ad tragoediarum fragmenta Voſſii & Delrionis notas, itemque fragmenta Annalium e collectione Merulae, omiſſis tamen eius animaduerſionibus, fideliſſime adiunxit.

§. IX.

STATIVS CAECILIVS Poeta, natione Gallus, eaque propter *Mediolanenſis* vocatus, *a*) Romae vixit, ac principem in ſcribendis comoediis locum tenuit Olympiade CL. *b*) eo ipſo tempore, quo Portius Cato etiam floruit. *c*) Seruilis primo fuit conditionis homo, quod A. GELLIVS *d*) ex eius nomine affirmat. . *Statii* quippe nomen ſeruile apud antiquos habebatur, ac proinde ſerui quondam plerique ita vocati, donec id nominis poſtea in cognomentum reputauerint eſſe conuerſum. Illud pro certo haberi debet, ſumma familiaritate eum cum Ennio Poeta vixiſſe, cuius primum contubernalis fuit, atque etiam eodem, quo ille, vel vno poſt anno vitam cum morte commutauit. *e*) Neque dubitamus, quod ille ſenex in vita etiam dilectus ſit

x) Lugdun. Batau. 1595. in 4. *y*) Amſtelodami 1707. in 4. *a*) Quod ex HIERONYMI Annalibus PETRVS CRINITVS in vita Caecilii; & poſt eum L. G. GYRALDVS de Poetis hiſt. dial. 8. Oper. tom. 2. p. 300. notarunt. *b*) HIERONYMVS in Chron. Euſeb. *c*) Vt ipſe fatetur apud CICERONEM in dialogo de Senectute; vbi fabulam eius Synephebos i. e. coadoleſcentes commemorat. *d*) Noct. Attic. lib. 4. c. 20. in fine: *Statius autem ſeruile nomen fuit. Plerique apud veteres ſerui eo nomine fuerunt. Caecilius quoque ille comoediarum Poeta inclutus ſeruus fuit; Et propterea nomen habuit Statius. Sed poſtea verſum eſt quaſi in cognomentum, appellatusque Caecilius Statius.* *e*) Ita ex Tranquillo HIERONYMVS in Chron. *Olymp. CL. ann. 2. Statius Caecilius Comoediarum ſcriptor clarus habetur, natione Inſuber Gallus, & Ennii primum contubernalis.* Qui-

ctus sit a Terentio. Nam Q. Ennius & Caecilius & Terentius non magno interuallo fuere. *f*) Sed falluntur qui corrupta Hieronymi *g*) atque Donati *h*) lectione perhibent, Terentium, cum Andriam composuisset, eam prius, quam Aedilibus venderet, Caecilio legisse; qui proin Terentii elegantiam & ingenium vsque adeo miratus sit. Terentius enim iussus est comoediam suam praelegere Acilio Aedili, non Caecilio: vt suo loco demonstrabimus. Enumerantur quadraginta circiter Statii Caecilii Comoediae ab veteribus Grammaticis, quae quidem iniuria temporum omnes interciderunt: vt, praeter obscuriora quaedam fragmenta, nihil nobis reliquum sit. *i*) Citatur vero in Aethrione, Amphitryone, Androgyno, Ariolo, Aristasis, Asoto, Calchis, Carine, Chrysio, Cratino, Dardano, Dauo, de Mandatis, Embono, Ephaestione, Epiclero, Epinausimache, Epistola, Exule, Fallacia, Foeneratore, Gamo, Harpazomene, Hymnide, Hypobolimaeo, Aeschino, Hypobolirostraria, India, Nauclero, Notonicasione, Obolastrate, Pausimacho, Periboea rastraria, Plotio, Pugile, Subdititio, Symbolo, Synaristusis, Synephebis, Syracusis, Tithe, Triumpho, Tyche, Venatore, Vmbris. Multa transtulit a Menandro parum apte & concinne. *k*) Laudibus tamen eum veteres maximis ferre Qvintilianvs *l*) innuit, vbi comicos recenset quodam quasi trifolio summos Plautum, Caecilium atque Terentium; & nihilominus comoediam claudicare conqueritur. Suo ordine & suo quemque istorum en-

dam Mediolanensem ferunt. Mortuus est anno post mortem Ennii, & iuxta Ianiculum sepultus. *f*) A. Gellivs noct. Attic. lib. 17. in fine cap. vlt. *g*) In Chron. Euseb. Olymp. CLV. ann. 3. *h*) In vita Terentii, quae consueuit editionibus vulgatis praemitti. *i*) Extant apud Stephanos Parisiis 1564. in 8. & in corpore omnium veterum Poetarum Latinorum pag. 299. seqq. *k*) Vid. A. Gellivs noct. Attic. lib. 2. c. 23. & lib. 3. c. 16. *l*) Instit. Orator. lib. 10. c. 1.

rum encomio HORATIVS *m)* quoque condecorauit, vbi dicitur

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Caecilius grauitate, Terentius arte.
Hos ediscit, & hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens.

VOLCATIVS SEDIGITVS *n)* vero inter istos Caecilium primo loco ponere, & ipsi prae reliquis omnibus quandam veluti palmam vindicare nullus dubitauit in illis:

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poetae comico cui deferant.
Cum meo iudicio errorem dissoluam tibi:
Vt contra si quis sentiat, nihil sentiat.
Caecilio palmam Statio do comico. &c.

Quocum, nescio, an videri possit ipse TVLLIVS noster *o)* consentire, vbi Caecilium facile summum inter Latinos comicum haberi docet: cum eo tempore Plautus & Terentius obtinuerint Poetae, quibus nihil dulcius, nihil castius esse potuit. Certe illi, vt plerisque huius aeui scriptoribus, decantata linguae elegantia & verus Latinitatis nitor maxime defuit. Quamobrem idem ille TVLLIVS alibi *p)* aetatis huius laudem quasi innocentiae sic Latine loquendi praedicans Caecilium & Pacuuium male loquutos fuisse testatur.

§. X.

MARCVS PACVVIVS inter tragicos Poeta celeberrimus, *q)* Q. Ennii ex sorore nepos, iisdem ferme temporibus, quibus Cato quaestorius & Metellus in vrbe clariores habeban-

L 2 tur,

m) Epist. lib. 2. epist. 1. *n)* Apud GELLIVM l. 15. c. 24. *o)* De optimo genere Oratorum ab Exord. *p)* De claris Oratoribus c. 74. *q)* VELLEIVS PATERCVLVS lib. 2. c. 9. *Clara per idem aeui spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuuii, vsque in Graecorum ingeniorum comparationem euecti.*

tur, Brundusii Calabriae natus est. Romam traiectus in summa nominis claritate vixit, propter felicissimum, quod ipsi fuit, ingenium & natiuam in disciplinis liberalibus capiendis facilitatem. Nam & ille, quoad Romae vixit, picturam exercuit summa arte, vt vel ideo ciues eum maximi fecerint. *r*) Paulo senior fuit L. Accio, quocum iisdem Aedilibus (non aedibus, vt perperam alii legunt) fabulas docuit, *s*) vixitque ad extremam senectutem; cuius & morbo & taedio cum detineretur, Tarentum se contulit: vbi prope nonagenarius diem obiit supremum, *t*) epigrammate sibi prius composito verecundiae pleno: *v*)

Adolescens, tametsi properas, hoc te saxum rogat,
Vt se aspicias: deinde quod scriptu' st legas.
Heic sunt poetae Pacuuii Marci sita ossua.
Hoc te volebam, nescius ne esses. Vale.

Lepidum est, quod in epistola VALERII cuiusdam ad Ruffinum de Pacu-

---

r) PLINIVS Hist. natur. lib. 35. c. 4. *Apud Romanos quoque honos mature huic arti pingendi contigit. Siquidem cognomina ex ea pictorum traxerunt Fabii clarissimae gentis, princepsque eius cognominis ipse aedem salutis pinxit anno vrbis conditae CCCCL. quae pictura durauit ad nostram memoriam, aede Claudii principatu exusta. Proxime celebrata est in foro boario aede Herculis Pacuuii Poetae pictura. Ennii sorore genitus hic fuit: clarioremque eam artem Romae fecit gloria scenae.* *s*) CICERO de claris Oratoribus. *t*) HIERONYMVS in chron. Euseb. Olymp. CLVII. an. 3. *Pacuuius Brundusinus, tragoediarum scriptor clarus habetur, vixitque Romae, quoad picturam exercuit ac fabulas vendidit. Deinde Tarentum transgressus prope nonagenarius diem obiit.* Confer. PETRVS CRINITVS in eius vita. LILIVS GREG. GYRALDVS de Poetis hist. dial. 8 oper. tom. 2. p. 303. & G. I. VOSSIVS de Poetis Latinis cap. 1. *v*) Istud A. GELLIVS noct. Attic. lib. 1. c. 24. nobis conseruauit: vbi id *verecundissimum & purissimum dignumque eius elegantissima grauitate,* nostri senis epigramma esse dicit.

de Pacuuio habetur. Pacuuius flens ait Actio vel Ario vicino ſuo: Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima vxor mea ſe ſuſpendit, poſtmodum ſecunda, iam nunc tertia. Cui Arius: Miror te in tot ſucceſſibus lacrumas inueniſſe Et iterum: Dei boni, quot tibi diſpendia arbor illa ſuſpendit. Et tertio: Amice dede mihi de arbore illa ſurculos, quos ſeram. *x*) Scripſit tragoedias, in quibus illi permultum veteres Grammatici conceſſerunt, vtpote qui laudem non mediocrem iſtis ſuis fabulis acceperit. Citatur autem *y*) in Peribea, Hermiona, Atalanta, Iliona, Antiopa, Teucro, Medea, Chryſe, Nyptris, Paulo, Oreſte *z*) & in Armorum iudicio. Ex ea fabula carmen traditur fuiſſe decandatum:

Men' me ſeruaſſe, vt eſſent qui me perderent;

cum ludi haberentur in funere Iulii Caeſaris: vt eo magis commiſeratio & inuidia contra ipſius interfectores excitaretur. *a*) Sua laude meritisque, ſi veteres auſcultabimus, ille minime defraudandus eſt. Doctrinam illi HORATIVS tribuit, & docti famam ſenis. *b*) MARCVS TVLLIVS *c*) vero inimicum pene nomini Ro-

x) Idem allegat M. TVLLIVS de Oratore lib. 2. *Salſa,* inquit, *ſunt etiam, quae habent ſuſpicionem ridiculi abſconditam, quo in genere eſt illud Siculi, cui quum familiaris quidam quereretur, quod diceret vxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu, amabo te, inquit, da mihi ex iſta arbore, quos ſeram, ſurculos.* *y*) Nihil enim integri ad nos peruenit. Fragmenta extant apud Stephanos Pariſiis 1564. in 8. Etiam in corpore omnium veterum Poetarum Latinorum p. 294. ſeqq. & apud Scriuerium Lugd. Batau. 1620. in 8. *z*) Eius argumentum habetur apud TVLLIVM de Amicitia. Acta eſt haec fabula Romae anno vrbis IↃCXXIV. C. Sempronio Tuditano & M. Aquilio Nepote Coſſ. *a*) SVETONIVS Iul. Caeſ. c. 84. *b*) HORAT. lib. 2. epiſt. 1. ad Octau. Aug. vbi de antiquis Poetis inſtituit ferre iudicium, inter alia ſcribit:

--- Aufert
Pacuuius docti famam ſenis ---

c) De Finibus lib. 1.

ni Romano vocat eum, qui Ennii & Pacuuii ſcripta ſpernat & reiiciat. Sophocli eum praefert, quod prudentius Vlyſſis perſonam induxerit, quam ille, apud quem in vulnere flebiliter lamentatur. *d*) Alibi *e*) ſummum inter Latinos tragicos Pacuuium nominat. Rurſum *f*) omnes eius verſus ipſi ornati elaboratique eſſe videntur; vbi quidem varia variorum iudicia inſtituit paulo accuratius, pro difficultate, quae in formis eſt, maxima proponere. Sed tamen illi deeſt quoque flumen eloquentiae & linguae maieſtas, vel etiam ipſa, quae forſan adoleſcentiae quaſi propria fuit, innocentia. Ita enim ipſe TVLLIVS: *g*) *Aetatis illius iſta fuit laus tanquam innocentiae, ſic Latine loquendi: nec omnium tamen. Nam illorum aequales, Caecilium & Pacuuium male loquutos videmus.* Et FABIVS: *h*) *Tragoediae ſcriptores Accius atque Pacuuius clariſſimi, grauitate ſententiarum, verborum pondere & auctoritate perſonarum. Caeterum nitor & ſumma in excolendis operibus manus magis videri poteſt temporibus, quam ipſis defuiſſe.*

§. XI.

LVCIVS ACCIVS, vel *Actius, Attius*ue, quod aliis legitur, Poeta tragicus, Serrano & Mancinno Coſſ. parentibus libertinis natus, Pacuuio iam ſene floruit, *i*) quocum ipſe *k*)

d) CICERO Tuſcul. quaeſtion. lib. 2. *e*) Lib. de optimo genere Oratorum ab initio: *Licet dicere & Ennium ſummum epicum Poetam, ſi cui ita videtur, & Pacuuium tragicum, & Caecilium fortaſſe comicum.* *f*) In Oratore: *Sed in omni re*, inquit, *difficillimum eſt, formam, quod* χαρακτὴρ *Graece dicitur, exponere optimi, quod aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quiſpiam, quod non diſcedit a communi more verborum. Pacuuio, inquit alius, omnes apud hunc ornati elaboratique ſunt verſus, multa apud alterum negligentius. Fac alium Accio, varia enim ſunt iudicia, vt in Graecis, nec facilis explicatio, quae forma maxime excellat.* *g*) De claris Oratorib. cap. 74. *h*) Inſtit. Orator. lib. 10. c. 1. *i*) A. GELLIVS noct. Attic. lib. 17. c. 21. ſub fin. HIERONYMVS in Chron. Euſeb.

ipſe *k*) teſtatur, ſe fabulam docuiſſe, iiſdem Aedilibus *l*) quum ille octoginta, ipſe triginta annos natus eſſet. Staturae breuis & puſillae fuit, nihilominus ſibi maxima forma ſtatuam in aede Camoenarum poſuit. *m*) Romanis adeo gratus fuit, vt P. Mutius condemnarit eum, qui L. Accium poetam noſtrum contumelioſe nominauerat. Aliquando interrogatum, aiunt, cauſas cur non ageret, cum apud eum in tragoediis tanta vis eſſet, rationem reddidiſſe, quod illic ea dicerentur, quae ipſe vellet, ſed in foro eſſent dicturi aduerſarii, quae ipſe minime vellet. CICERO auctor eſt, *n*) quod Decius Brutus, ſummus ille vir & Imperator Accii amiciſſimi ſui carminibus templorum ac monimentorum ſuorum exornauerit aditus. Quod de temporis ratione L. G. GYRALDVM *o*) ambigere vſque adeo fecit, vt alium hunc Accium a priori fuiſſe autumarit, eum ſcilicet Accium Poetam, qui, referente VALERIO MAX. *p*) *Iulio Caeſari, ampliſſimo florentiſſimo Viro in collegium Poetarum venienti nunquam aſſurrexit: non maieſtatis eius immemor, ſed quod in comparatione communium ſtudiorum, aliquanto ſuperiorem ſeſe eſſe conſideret.* &c. Sed fallitur egregie. Fuit enim D. Iunius Bruto Callouius ille, qui anno vrbis IↃCXXII. Popilio Laenate & P. Rutilio Coſſ. de Luſitanis & Callaicis triumphauit, & templa a ſe ex manubiis conſecrata noſtri Poetae verſibus exornauit. *q*) Fabulas ſcripſit quam plurimas, ſed nihil ad nos peruenit, praeter fragmen-

Olymp. 160. *k*) Apud CICERONEM de claris Oratoribus. Vbi quidem pro *Aedilibus*, *aedibus* alii perperam habent. *l*) Ex Aedilibus iſtis ſine dubio fuit P. Licinius Craſſus Mucianus, qui aedilis curulis fuit anno vrbis IↃCXIV. C. Laelio Sapiente & Q. Seruilio Caepione Coſſ. Confer. A. GELLIVS lib. 1. c. 13. & VOSSIVS de Poetis Latinis cap. 1. *m*) Vid. PLINIVS Hiſt. natur. lib. 34. c. 5. *n*) In Orat. pro Archia. Idem in Bruto. & VALERIVS MAX. lib. 8. c. 14. ex. 2. *o*) De Poetis hiſt. dial. 8. Oper. tom. 2. p. 304. *p*) Lib. 3. c. 7. in Rom. ex. 11. *q*) Confer. VOSSIVS de Poetis Latinis cap. 1.

fragmenta quaedam, *r*) a veteribus Grammaticis citata ex Achille, Aedilitia, Aegiftho, Aeneadis aut Decio, Agamemnonidibus, Alceftide, Alcmaeone, Alphefiboea, Amphitryone, Andromache, Andromeda, Annalibus, Antenoridis, Antigona, Argonautis, Aftyanache, Athamante, Atreo, Bacchis, Bruto, Chryfippo, Clytaemneftra, Conciliatrice, Deiphobo, Demetrio, Diomede, Dulorefte, Epinaufimache, Erigona, Eriphila, Euryface, Fidicinis, Hecuba, Helenibus, Honila, Iliona, Ione, Meda, Meleagro, Menalippo, Minotauro, Myrmidonibus, Neoptolemo, Niptris, Nictegrefta, Oenomao, Pelopidis, Perfidis, Philoclete, Phoeniffis, Prometheo, Putatoribus, Sotadicorum libris, Tropaeo, Telepho, Tereo, Thebaide, Troadibus. Sed vereor ne pluribus aliquando nominibus vna eademque fabula veniat. QVINTILIANVS *s*) Accium confert cum Pacuuio, vbi grauitatem fententiarum & verborum pondus vtrique vindicat. Sed tamen fubiungit: *virium Accio plus tribuitur; Pacuuium videri doctiorem, qui effe docti affectant, volunt.* Ita quoque apud HORATIVM *t*) facta Pacuuium inter & Accium collatione:

Ambigitur quoties vter vtro fit prior, aufert
Pacuuius docti famam fenis, Accius alti.

i. e. elati Poetae. Iftius & animofitas celebratur apud OVIDIVM, *v*) quae immortalem nominis ipfi comparauerit gloriam:

Ennius arte carens, animofique Accius oris
Cafurum nullo tempore nomen habent.

CICERONIS *x*) vero iudicium conferri meretur; ille, *quid Accium me-*

---

r) Haec ROBERTVS & HENRICVS STEPHANI hinc inde cum aliis aliorum fragmentis follicite collegerunt Parifiis 1564. in 8. Extant quoque in corpore omnium veterum Poetarum Latinorum p. 303. feqq. Et apud SCRIVERIVM inter fragmenta veterum tragicorum Latinorum. Lugd. Batau. 1620. in 8. *s*) Inftit. Orator. lib. 10. c. 1. *t*) Epift. 2. lib. 2. *v*) Amor. lib. 1. eleg. vlt. *x*) De legibus lib. 1.

um memorem? inquit, *cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia; ſed ex libraiolis Latinis. In orationibus autem multus & ineptus.* Quin & ipſe ſua ſcripta cognouit duriora paulum & acerbiora fuiſſe. Cum enim Pacuuius, grandi iam aetate, & morbo corporis diutino affectus, Tarentum ex vrbe conceſſiſſet, & Accius Poeta, in Aſiam profecturus, apud eum diuertiſſet, ſuam deſideranti praelegit tragoediam, cui *Atreus* nomen eſt. Tum Pacuuius, ſonora quidem eſſe, dixit, quae ſcripſiſſet, & grandia; ſed videri ea tamen ſibi duriora paulum & acerbiora. Cui Accius, ita eſt, reſpondit, vti dicis; neque id ſane me poenitet, meliora enim fore ſpero, quae deinceps ſcribam. &c. *y*) Idem etiam HIERONYMVS z) innuit: *Olymp. CLX. Lucius Accius Tragoediarum ſcriptor clarus habetur, natus Mancino & Serrano Coſſ. parentibus libertinis: & ſeni iam Pacuuio Tarenti ſua ſcripta recitauit; a quo & fundus Accianus iuxta Piſaurum dicitur, quia illuc inter colonos fuerat ex vrbe deductus.*

§. XII.

CAIVS LVCILIVS, Eques Romanus, Satyricorum acerrimus Poeta, qui neque Diis neque hominibus pepercit, iiſdem prope temporibus floruit, quibus illi ſupra enumerati, Accius, Pacuuius atque Caecilius, in quorum poematibus obtrectandis ille totus, caeteriſque clarior fuit. *a*) Ex Aurunca nobili Auſoniae ciuitate, vel, ſi mauis, ex Sueſſa Pometia, Auruncorum oppido *b*) originem duxit. Hinc *alumnus Auruncae* dictus ab IVNIO IVVENALE. *c*) Aliqui tamen eum Canuſi-

M num

y) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 13. c. 2. *z*) In Chron. Euſeb. num. 1878. *a*) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 17. in fin. cap. vlt. Confer. HORATIVS Sermon. lib. 1. Satyr. 4. & 10. *b*) Ita VOSSIVS de Poetis Latinis cap. 1. & I. A. FABRICIVS Bibliotheca Latina lib. 4. c. 17. §. 2. *c*) Satyr. 1. v. 21.

num fecere. Natus eſt, quod EVSEBIVS notat *d*) Olymp. CLIII. per ea tempora, quibus Carthago Romanis deditionem fecit. Parentes habuit ſatis nobiles, & maior Auunculus dicitur fuiſſe Pompeii magni *e*) cuius auia Lucilii ſoror erat. Eques militauit Numantino bello, ſub P. Africano. *f*) Caeterum vir optimis moribus, neque fucatus alienae iniquitatis accuſator, magno praeditus ingenio & in ſcribendis verſibus feſtiuo ſatis ac vrbano. Primus ſatyram condidit, in qua vſus libertate magna, ſi non nimia, dignos reprehenſione ciues Romanos, quorum ſcelera flagitiaque animo nunquam potuit aequo ferre, inſigni acerbitate lacerauit; neque ſummis in Rep. viris, Scaeuolae, Rutilio Lupo, Carboni, L. Tubulo, neque aliis veniam dedit. *g*) Amicos habuit Africanum Aemilianum, ſub quo ad Numantiam militauit, C. Laelium, Q. Attam Poetam comicum, Albutium Lapathum, Albinum & C. Perſium, ad quos ſcribere multum inſtituit; cumprimis Q. Philocomo familiariter vſus eſt. Amore flagrauit Collyrae, egregia forma puellae, cuius nomine ſextum decimum libri ſui volumen inſcripſit. *h*) Dicere ſolebat, ea, quae ſcriberet, neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortaſſe quam ipſe. Et ea ſententia de ſemetipſo ſcribit: ***Perſium non curo legere.*** Hic enim fuit, vt nouerat, tunc tempo-

---

d) Vid. HIERONYMVS in Chron. Euſeb. *e*) Vt apud Horatium PORPHYRION obſeruat. *f*) VELLEIVS PATERCVLVS Hiſt. Rom. lib. 2. c. 9. *Celebre*, inquit, *& Lucilio nomen fuit, qui ſub P. Africano, Numantino bello eques militauerat.* *g*) Confer. Trebonius apud CICERONEM ad famil. lib. 12. epiſt. 16. Vbi ſummo Oratori ſcribit: *Ignoſces iracundiae noſtrae, quae iuſta eſt in eiuſmodi & homines & ciues. Deinde qui magis hoc Lucilio licuerit aſſumere libertatis, quam nobis? quum etiamſi odio par fuerit in eos, quos laeſit, tamen certe non magis dignos habuit, in quos tanta libertate verborum incurreret.* *h*) Teſte PORPHYRIONE apud Horatium.

temporis omnium doctissimus: *Laelium Decimum volo*, inquit porro, quem cognouit virum esse bonum & non illiteratum, sed nihil ad Persium. *i*) Alacritate maxima fecit versus, & eos proin cumulare assueuit. Quod illi HORATIVS vitio vertit: *k*)

> *Quid vetat, & nosmet Lucili scripta legentes,*
> *Quaerere, num illius, num rerum dura negarit*
> *Versiculos natura magis factos, & euntes*
> *Mollius? ac si quis pedibus quid claudere senis*
> *Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos*
> *Ante cibum versus, totidem coenatus: Etrusci*
> *Quale fuit Cassi rapido feruentius animi*
> *Ingenium: capsis quem fama est esse librisque*
> *Ambustum propriis.* ---

Naturae debitum soluit Neapoli Olymp. CLXIX. *l*) publico funere elatus, anno aetatis sexto supra quadragesimum; eodem circiter tempore, quo Furius Bibaculus natalem vidit. Cumulauit, quod obseruauimus dudum, sua scripta, ex omnibus vero tantum fragmenta quaedam, veterum Grammaticorum industria, nobis conseruata prostant. Illa ex libris XXX. Satyrarum, Epodis, Hymnis, Serrano & Numularia comoedia, post STEPHANOS diligentius collegit FRANCISCVS DOVZA Iani filius, atque notas suas attexuit. *m*) Vtrum Lucilius etiam Scipionis Africani maioris vitam scripserit, disquirentem vide BAELIVM *n*) qui recte notat, huius Poetae fragmenta post Dousae industriam, etiamnum indigere, vt ab alio quodam viro docto plus

M 2 lucis

i) CICERO de Oratore lib. 2. c. 9. PLINIVS praefat. Hist. natur. *k*) Sermon. lib. 1. satyr. 10. *l*) HIERONYMO teste in Chron. Euseb. *m*) Lugduni Batau. apud Franciscum Raphelengium ex officina Plantiniana 1597. in 4. editio nitidissima & rarissima. Exstant quoque fragmenta Lucilii, sed minus accurate in omnium veterum Poetarum Latinorum corpore p. 396. seqq. Alibi. *n*) In Lexico.

lucis accipiant. Sunt etiam, qui Lucilio tragoedias adſcribunt. Ita enim ACRON vetus Horatii interpres ad illius verſus:

Vt nihil interſit, Dauus ne loquatur, an audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum.

Non dicit de Pythia Terentiana, ſed apud Lucilium inducitur tragoediographum ancilla per aſtutias accipere pecuniam a Domino. Nam fefellit Dominum & accepit ab eo argentum vel talentum. o) Acrius Romanos ciues notauit, ſed multo ſale: quamobrem TVLLIVS p) eum vocat hominem doctum & perurbanum; & FABIVS q) eruditiſſimum hominem. Atque etiam illud, qui totus quantus aduerſus eum eſt, HORATIVS ipſe innuit, licet poetam aſperum & duriuſculum fuiſſe in componendis verſibus dicat: r)

Nempe incompoſito dixi pede currere verſus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte eſt,
Vt hoc non fateatur? At idem, quod ſale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.

Rurſum FABIVS: s) *Satyra quidem tota noſtra eſt, in qua primus inſignem laudem adeptus eſt Lucilius, qui quoſdam ita deditos ſibi adhuc habet amatores, vt eum non eiuſdem modo operis auctoribus, ſed omnibus Poetis praeferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio* t) *diſſentio, qui Lucilium fluere lutulentum, & eſſe aliquid, quod tollere poſſis, putat. Nam & eruditio in eo mira & libertas, atque inde acerbitas & abunde ſalis.* Apud GELLIVM v) Lucilius dicitur vir apprime linguae La-

o) Confer. GYRALDVS de Poetis hiſt. dial. 4. Oper. tom. 2. p. 140.
p) De Oratore lib. 2. c. 9. q) Inſtit. Orator. lib. 1. c. 9. r) Serm. lib. 1. Satyr. 10. ab init. s) Inſtit. Orator. lib. 10. c. 1. t) Ille Sermon. lib. 1. Satyr. 10.

At dixi fluere hunc lutulentum, ſaepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis.

v) Noct. Attic. lib. 18. c. 5.

guae Latinae sciens; & apud PLINIVM *x*) primum stili condidisse nasum. Sed tamen inficias ire quisnam poterit? veram esse Poetae Venusini elegantissimi coniecturam: *y*)

--- Fuerit Lucilius, inquam,
Comis & vrbanus, fuerit limatior idem,
Quam rudis, & Graecis intacti carminis auctor,
Quamque Poetarum seniorum turba: sed ille
Si foret hoc nostrum z) fato dilatus in aeuum,
Detereret sibi multa, recideret omne, quod vltra
Perfectum traheretur, & in versu faciendo
Saepe caput scaberet, viuos & roderet vngues.

Neque enim FABIVS ipse *a*) negare potuit, multo tersiorem magisque purum fuisse Horatium. TVLLIVS vero noster, *b*) ille pater eloquentiae, qui prae omnibus reliquis in hac causa audiendus est, plus ipsi facetiarum tribuit, quam doctrinae. *Non, vt noster*, inquit, *Lucilius, recusabo, quo minus omnes mea legant. Vtinam esset ille Persius, Scipio vero & Rutilius multo etiam magis, quorum ille iudicium reformidans; Tarentinis, ait, se & Consentinis & Siculis scribere: facete is quidem sicut alias, sed neque tam docti tunc erant, ad quorum iudicium elaboraret, & sunt illius scripta leuiora, vt vrbanitas summa appareat, doctrina mediocris.* Quin & hoc in Poeta speciatim reprehendunt, quod continua verborum traiectione plurimum turbet compositionem, & proinde partes orationis minus aequaliter perpolitas faciat. *c*) Denique culpatum est, quod Graeca, saepius

x) Hist. natur. praefat. ad Vespasianum. *y*) Satyra iam aliquoties citata. *z*) Quo Horatius vixit, Latinitatis felicissimum. *a*) Loco citato. *b*) De finibus lib. 1. *c*) CORNIFICIVS, vel quisquis sit auctor Rhetor. ad Herenn. lib. 4. c. de ornamentis: *Compositio*, inquit, *est verborum constructio, quae facit omnes partes orationis aequaliter perpolitas. Ea conseruabitur, si verborum transiectionem vitabimus, nisi quae erit*

pius quam decet, miſcuerit Latinis. *d*) Interim nec hoc ſilentio praetermittendum eſt, pro temporis ratione, eum Latinitatis ſtudioſiſſimum & vindicem ſtrenuum fuiſſe. Quandoquidem relatum legimus *e*) quod Vectium Tuſcorum & Sabinorum & Praeneſtinorum ſermone vtentem inſectatus ſit, atque etiam, cuius rei ISIDORVS, TERENTIVS SCAVRVS, VELIVS LONGVS teſtes ſunt, etiamſi verſus nos deficerent in cauſa quidem ea ſufficientes, nono libro Satyrarum de literis egregie diſputauerit, & rectam verborum ſcripturam, contra librariorum imperitiam primus ſcripſerit.

§. XIII.

C. LAELIVS & P. CORNELIVS SCIPIO *Africanus Aemilianus* Terentio tam ſtudiis, quam aetate fuerunt aequales: abs quibus proinde creditus eſt in comoediis adiutari. Neque ipſe ita ſe adiutum negauit, quia famam iſthanc iuuenibus nobilioribus non ingratam eſſe intelligebat. *f*) C. LAELIVS filius illius Laelii, qui familiaris Africano ſuperiori erat. Diogenis Stoici in adoleſcentia, poſtmodum Panaetii auditor, vir vt ingenio doctrinaque pollens, ita etiam diuina poeſi & arte oratoria egregius euaſit. Eiuſdem ingenii & indolis fuit SCIPIO memoratus Laelii ſocius: de quo Hiſtoricus *g*) haec ſcripto reliquit: *Scipio Aemilianus vir auitis P. Africani, paternisque L. Pauli virtutibus ſimillimus, omnibus belli ac togae dotibus in-*

---

concinna. — quo in vitio eſt Lucilius & hoc eſt in prim. lib.
Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Aeli.

d) HORATIVS Serm. lib. 1. ſat. 10.
At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miſcuit.

e) QVINTILIANVS Inſtit. orator. lib. 1. c. 5. *f*) Vid. TRANQVILLVS ſiue DONATVS in vita Terentii, & TERENTIVS ipſe in prol. Adelphorum, & CICERO ad Attic. lib. 7. epiſt. 3. *Terentii fabellae propter elegantiam ſermonis putabantur a C. Laelio ſcribi.* *g*) VELLEIVS PATERCVLVS lib. 1. c. 12.

tibus ingeniique & studiorum eminentissimus. Vsque adeo familiaris fuit Terentio, vt VALGIVS & MEMMIVS scripserint, eum Scipionis fabulas pro suis edidisse. Sed de his plura, vbi Terentii vitam atque scripta pro instituti ratione examinabimus.

§. XIV.

SEXTVS TVRPILIVS Poeta comicus septimo loco a VOLCATIO SEDIGITO *h*) positus, in exhibendis fabulis ingenio fertur admodum facili ac idoneo fuisse. Hinc maximi comoedias ipsius fecerunt Romani, & praeclaram in scena Poetae gloriam tribuerunt. Olympiade CLXIX. grandaeuus Sinuessae diem obiit supremum. *i*) Singulari beneuolentia coniunctus fuit Pub. Terentio; ita vt fabulae vtriusque fuerint in eisdem ludis nonnunquam actae. *k*) NONIVS MARCELLVS *l*) comoedias nominat, a Turpilio compositas, in quibus legendis atque obseruandis studium diligentiamque probat. Ex omnibus nil nisi fragmenta quaedam *m*) supersunt. Citatur autem in Acta, Bethonibus, Canephoro, Demetrio, Demiurgo, Epiclero, Hetaera, Lemniis, Leucadia, Lindia, Paraterusa, Pedio, Philopatro, Thrasyleone, Veliterna.

§. XV.

CN. MATIVS haud infimi nominis mimorum Scriptor, quos mimiambos vocauit. Eius vel ex hoc capite MAVRVS TERENTIANVS *n*) mentionem facit:

Hoc mimiambos Mattius dedit metro.
Nam vatem eundem est attico thymo tinctum

Pari le-

---

h) Apud GELLIVM noct. Attic. lib. 15. c. 24. *i*) Vid. HIERONYMVS in Chron. Euseb. *k*) Vid. GYRALDVS de Poetis hist. dial. 8. Oper. tom. 2. p. 306. *l*) Comment. ad filium 15. *m*) Apud Stephanos Parisiis 1564. in 8. Atque ex eorum collectione in corpore omnium veterum Poetarum Latinorum p. 408. seqq. *n*) De metris, vbi sigillatim de Iambicis agit.

Pari lepore consequutus, & metro.

Quibus verbis docere voluit, Matium nostrum in mimiambis suis Hipponactio scazonte vsum fuisse, & eum Hipponactem Graecum Poetam & lepore & metro felicissime assecutum. A. Gellio o) teste, Cn. Matius vir eruditus in mimiambis suis non absurde neque absone finxit *recentatur*, pro eo, quod Graeci dicunt ἀνανέωται. Versus, in quibus hoc verbum est, hi sunt:

Iamiam albicascit Phoebus & recentatur
Commune lumen hominibus voluptasque.

Idem Matius in iisdem mimiambis *edulcare* dicit, quod est dulcius reddere, in his versibus:

Quapropter edulcare conuenit vitam,
Curasque acerbas sensibus gubernare.

Eodem teste, p) delectari mulcerique aures suas dicebat Antonius Iulianus figmentis verborum nouis Cn. Matii, hominis eruditi; qualia haec quoque essent, quae scripta ab eo in mimiambis memorabat:

Sinuque amicum reficere frigidam caldo,
Columbatimque labra conferens labris.

Item id quoque iucunde lepideque fictum dictitabat:

Iam tonsiles tapetes ebrii fuco;
Quos concha purpura imbuens venenauit.

Item illud:

Dein coquenti vasa cuncta deiectat:
Nequamue scitamenta pipulo poscit.

Praeter mimos Matius poeta composuit etiam, vt quidam existimant, opus hexametris versibus de Iliade inscriptum, quod M. Varro & alii Grammatici aliquando citant. Fragmenta ex omnibus

o) Noct. Attic. lib. 15. c. 25. p) A. Gellio lib. 20. c. 9.

omnibus pauciſſima exſtant in STEPHANORVM collectione & in corpore omnium veterum poetarum Latinorum. *q*) Fuit & alius Cn. Matius eques Romanus & Octauii Auguſti Caeſaris amicus, qui Tonſalia nemora primus excogitauit. *r*)

§. XVI.

LVCIVS AFRANIVS, Poeta Comicus, Romae iiſdem ferme temporibus floruit, quibus & P. Terentius *s*) & Sext. Caecilius in ſenium vergebant. *t*) Cumprimis operam ſuam locauit in togatis *v*) fabulis componendis; ſed & alias non paucas in ſcenam produxit. Vitio hoc ipſi ducere, nec immerito, voluerunt, quod impudentius paulo imprudentiusque proprios inſtituerit vulgare amores. Ita FABIVS: *x*) *Togatis excellit Afranius, vtinamque non inquinaſſet argumenta puerorum foedis amoribus, mores ſuos faſſus.* Et AVSONIVS: *y*)

Praeter legitimi genitalia foedera coetus
Repperit obſcenas Veneres vitioſa libido,
Herculis heredi quam Lemnia ſuaſit egeſtas,
Quam toga facundi ſcenis agitauit Afrani.

Extant ſolummodo fragmenta operum *z*) ab Grammaticis allegata ex Abducta, Aqualibus, Auctione, Auguribus, Brunduſinis, Cae-

N

q) Pag. 411. Confer. PETRVS CRINITVS in vita Cn. Matii. GYRALDVS de poetis hiſt. dial. 8. Oper. tom. 2. p. 312. *r*) Vid. PLINIVS hiſt. natur. lib. 12. c. 2. & lib. 15. c. 14. vbi de variis malorum generibus. *s*) Afranium Terentio fuiſſe iuniorem, ille eius oſtendit verſus:

Terentio non ſimilem dices quempiam.

t) VELLEIVS PATERCVLVS Hiſt. lib. 1. *Dulceque Latini ſermonis facetiae per Caecilium, Terentiumque & Afranium ſuppari aetate floruerunt.* *v*) Togatas vocitarunt fabulas a toga Romanorum, in quibus de magnatum & ciuium primorum rebus agebatur. VELLEIVS PATERC. lib. 2. c. 9. *Clara per idem aeui ſpatium fuere ingenia, in togatis Afranii &c.* *x*) Inſtit. Orator. lib. 10. c. 1. *y*) Epigr. 70. de pathico Philoctetae morbo, deliciarum Herculis. *z*) Apud STEPHANOS in fragmentis veterum Poetarum Latinorum Pariſiis 1564. in 8. & in corpore omnium veterum Poetarum Latinorum p. 412. ſeqq.

nis, Caedo, Cinerario, Compitalibus, Consobrinis, Crimine, Deditione, Deposito, Diuortio, Emancipato, Epistola, Excepto, Fatriis & Fratribus, Homine, Ida, Imis, Incendio, Inimicis, Liberto, Maritis, Materteris, Megalensibus, Nomo, Pantaleo, Pompa, Priuigno, Prodigo, Prodito, Promo vel Primo, Repudiato, Rosa, Sella, Simulante, Sororibus, Suspecta, Talione, Temerario, Thaide, Togata, Virgine, Vopisco. Orationis charactere atque stilo praecipue Menandrum Poetam Graecum imitatus est, quemadmodum Terentius quoque & plures hac tempestate alii. Hoc Venusinus Poeta innuit: *a*)

Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro.

i. e. Togatam comoediam Afrani Graecis Menandri operibus similem videri. Et ipse, vt omnibus demonstraret quam modestus in hoc capite & ingenuus esset, a Menandro permulta sumsisse, vltro fatetur *b*) & ita aduersus obtrectatores suos infit:

Fateor, sumsi non a Menandro modo,
Sed vt quisque habuit, quod conueniret mihi:
Quod me non posse melius facere credidi.

Hinc M. TVLLIVS: *c*) *Locos quosdam, si videbitur, transferam — quum inciderit vt id apte fieri possit, vt ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet.* Sententias eius & passim acute dicta & venustatem scriptores celebrant. CICERO: *d*) *Quem*, sc. C. Titium oratorem & Poetam tragicum, *studebat imitari L. Afranius Poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, vt scitis, disertus.* A. GELLIVS *e*) prae reliquis sententiam eius laudat, qua sapientiam vsus & memoriae filiam esse voluit, his versibus:

Vsus me

a) HORATIVS Epist. 1. lib. 2. *b*) In compitalibus apud MACROBIVM Saturn. lib. 6. c. 1. *c*) De finibus lib. 1. *d*) In Bruto. *e*) Noct. Attic. lib. 13. c. 8. Confer. pl. CRINITVS in vita Afranii & L. G. GYRALDVS de Poetis hist. dial. 8. Oper. tom. 2. p. 305.

Vſus me genuit, mater peperit memoria,
Sophiam vocant me Graii, vos ſapientiam,

§. XVII.

QVINTVS TRABEAS, Poeta comicus, octauo loco poſt Terentium & Turpilium inter celebriores fabularum ſcriptores a VOLCATIO SEDIGITO *f*) ponitur. Sed ille totus, quantus fuit, interiit, ac praeter famam recentioribus ſacram, nihil nobis ex omnibus eius ſcriptis reliquum eſſe, temporum iniuria voluit. Attamen quantum ſalis vrbanitatisque fuerit in eo, colligere quiſque poteſt ex illis CICERONI *g*) allegatis:

Lena delinita argento, nutum obſeruabit meum,
Quid velim, quid ſtudeam, adueniens digito impellam Ianuam,
Fores patebunt, de improuiſo Chryſis vbi me aſpexerit,
Alacris obuiam mihi veniet, complexum optans meum
Mihi ſe dedet. Fortunam ipſam anteibo fortunis meis.

§. XVIII.

CAIVS LICINIVS IMBREX, *h*) vetus comoediarum ſcriptor, a VOLCATIO SEDIGITO, *i*) de comicis iudicium formante, quarto loco, non Attilio ſolum atque Ennio, verum etiam Turpilio ac Terentio ipſi praefertur. Atqui ex eius ſcriptis nihil ſuperauit, exceptis duobus verſiculis, quos GELLIVS *k*) recenſet ex ea fabula, quae Neaera inſcripta fuit, in hunc modum:

Nolo ego Neaeram te vocent, ſed Nerienem;
Cum quidem Marti es in connubium data.

Vbi ne in iambico prima ſede ſit trochaeus, pro *cum quidem*

f) Apud GELLIVM l. 15. c. 24. *g*) Tuſcul. quaeſt. lib. 4. *h*) FESTVS in voc. *Imbrex* & *Obſtitum*. *i*) Apud GELLIVM l. c. *k*) Lib. 13. c. 21.

Vossivs *l)* mauult legere *quandoquidem.* Praeterea, ne sit sede tertia trochaeus, vocibus traiectis, *es Marti*; vel hoc pacto: *Quandoquidem in connubium Marti es data.* Idem ille *Imbrex* noster esse videtur atque *Licinius Tegula*, qui circa annum vrbis DLIV. inclaruit & carmen scripsit ad exemplum Liuii Andronici Poetae, ab ter nouenis virginibus cani per vrbem solitum. *m)* *Imbrex* namque est incuruum genus tegulae: vnde Imbrices & tegulae pro synonymis vsurpantur auctoribus passim. Sisenna: *n)* *Dissipatis imbricum fragminibus ac testis tegularum.* Plavtvs: *o)* *Quod meas confregisti imbrices ac tegulas.* Dicuntur autem *tegulae*, quod tegant aedes, & *imbrices*, quod accipiant imbres. *p)* Sed omne dubium in eo nobis relinquitur, quod Livivs *q)* *Publium*, Festvs *r)* autem *Caium* isti praenomen dederit.

§. XIX.

ATTILIVS post Licinium quinto loco ponitur a Volcatio Sedigito. *s)* Eius mentionem quoque facit Svetonivs, *t)* vbi in funere Iulii Caesaris, inter ludos quaedam fuisse cantata scribit, ad miserationem & inuidiam caedis accommodata, ex Pacuuii Armorum iudicio, & *ex Electra Attilii alia ad similem sententiam.* Quae verba Isaacvs Casavbonvs, vir caetero summi iudicii, nec vulgaris eruditionis, immerito quasi corrupta, vt ipse fatetur, contra omnium librorum lectionem, emendauit in hunc modum: *ex Electra Attii.* Sed quantus & qualis fuerit,

l) De Poetis Latinis c. 1. *m)* Livivs Patauinus lib. 13. c. 12. *Carmen praeterea ab ter nouenis virginibus cani per vrbem iusserunt, donumque Iunoni Reginae ferri. Ea vti fierent C. Aurelius Cos. ex decemuirorum responso curauit. Carmen sicut patrum memoria Liuius, ita tum condidit P. Licinius Tegula.* *n)* Apud Nonivm cap. 2. n. 433. *o)* Mostell. A. 2. sc. 6. *p)* Isidorvs Orig. lib. 15. c. 8. *q)* Hist. lib. 31. c. 12. *r)* In voc. *Obstitum.* *s)* Apud Gellivm lib. 15. c. 24. *t)* In Iul. Caesar. c. 84.

fuerit, praepropere nimis loco iſti manum admouit caſtigatricem, non reſpiciens vel TVLLII ſatis clara monimenta. Ille, *v*) *a quibus tantum diſſentio*, inquit, *vt cum Sophocles vel optime ſcripſerit Electram, tamen male conuerſam Attilii mihi legendam putem: de quo Licinius, ferreum ſcriptorem, verum opinor ſcriptorem tamen vt legendus ſit. Rudem enim eſſe omnino in noſtris Poetis aut inertiſſimae ſegnitiae eſt, aut faſtidii delicatiſſimi.* Rurſum: *x*) *Suam cuique ſponſam, mihi meam; ſuum cuique amorem, mihi meum: non ſcite. Hoc enim Attilius poeta duriſſimus.* Ita quoque VARRO *y*) verſum Attilii citat: *Cape, caede, Lyde, come, conde.* Vt alia nunc quidem ſilentio transeam. *z*)

§. XX.

QVINTVS NOVIVS, Atellanarum *a*) ſcriptor illuſtris hoc tempore eſt habitus, proinde vocatus ab AVRELIO MACROBIO probatiſſimus Poeta inter eos auctores, qui Atellanas fabulas ediderunt. Meminit eius quoque A. GELLIVS *b*) & veteres Grammatici plures alii. De vita & obitu illius vero nullibi legimus quicquam. Scripſit comoedias non paucas, in quibus ſuum & ingenium & eloquentiam probauit. Ab auctoribus ergo citatur in Dotata, Exodio, Fullonico, Gallinaria, Geminis, Partu, Pedio, Virgine praegnante, Aliis. Sed probe notandum, quod, vel propter nominis Poetae vtriuſque ſimilitudinem, fabulae pleraeque ſcriptorum incuria, in Grammaticorum operibus, nunc Nouio, nunc Naeuio adſcribantur.

---

v) De finibus lib. 1. *x*) Ad Atticum lib. 14. epiſt. 17. *y*) De lingua Latina lib. 6. c. 5. *z*) Confer. pl. REINESIVS Variar. lect. lib. 3. c. 3. VOSSIVS de Poetis Latinis c. 1. *a*) Atellanae fabulae ab *Atella* vrbe vocantur, in quibus veteres Poetae varios iocos atque ſales vernili dicacitate quādam admittere ſolebant. vid. SVETONIVS in Tiberio Caeſ. c. 45. & 75. in Caligula c. 25. Nerone c. 35. Galba c. 13. *b*) Lib. 15. c. 13. & lib. 17. c. 2.

§. XXI.

In eo noſtra nunc verſatur oratio, vt recenſeamus etiam reliquos Poetas, qui creſcente hac Latinitatis aetate floruerunt. Sed noſtrum inſtitutum non eſt, adeo exacte deſcribere omnes, quos iam tum PETRVS CRINITVS atque LILIVS GREGORIVS GYRALDVS ſummi viri plenioribus commentariis perquam laudabili & eruditione & ſolertia expoſuere: quo curioſum lectorem gratae nunc breuitatis ſtudioſi modeſte ablegamus, ſteriles, ſimul atque cum deperditis ſuis operibus quaſi demortuos, poetas ſi noſcere penitius geſtiat. Sufficiant nobis praecipui illi ſuperius recenſiti, ex quorum vel conciſis reliquiis atque fragmentis *c*) vel ſcriptis integris, *d*) nobis adhuc memorandis, abunde patet, quomodo ſcriptores, atque hos inter, qui primo loco nominandi veniunt, Poetae, coeperint hac aetate ſuam tandem aliquando excolere linguam; neque tamen ob archaiſmos, iſti adhuc tempori ex antecedentibus ſeculis adhaerentes, adeo confeſtim ad eloquentiae culmen & puriſſimum Latinitatis ſuae fontem penetrare potuerint: maxime cum & iſti, vt alibi ornatum ſua & inuentione & numero mirifice promouerunt, quod ſupra notauimus, ita quoque nonnunquam vulgarem ſermonem ad metrum cogentes propriis ſuis dicendi generibus vterentur, a quibus poſtmodum ſibi auctores cupide temperarunt. Eo ſenſu HORATIVS: *e*)

Si veteres ita miratur, laudatque Poetas,
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet; errat.
Si quaedam nimis antique, ſi pleraque dure
Dicere credit eos, ignaue multa, fatetur:
Et ſapit, & mecum facit, & Ioue iudicat aequo.

Nec pige-

c) Vt ſunt Naeuii, Ennii, Pacuuii, Lucilii, Accii, Caecilii, Aliorum. *d*) Plauti, Terentii, Lucretii. *e*) Epiſt. 1. lib. 2. Confer. TVLLIVS de claris Oratoribus cap. 74.

Nec pigebit istud in antecedentibus plus semel commemoratum VOLCATII SEDIGITI *f*) iudicium de comicis Latinis, quorum cum ordine laudem valoremque sibi assecutum fuisse persuadet, quasi coronidis loco subiicere Poetis:

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poetae comico cui deferant.
Cum meo iudicio errorem dissoluam tibi:
Vt contra si quis sentiat nihil sentiat.
Caecilio palmam Statio do comico.
Plautus secundus facile exsuperat caeteros.
Dein Naeuius, qui seruet pretium, tertius' st.
Si erit, quod quarto dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Attilium.
In sexto sequitur hoc loco Terentius.
Turpilius septimum; Trabea octauum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.

Quam vere ille iudicauerit, si possunt, videant alii. Saltem ego, quid sentiam de praesenti, breuiter dicam. E comicis aliisque crescente hac Latinitatis aetate florentibus Poetis omnibus, praeter Lucretium, stilo puriori cumprimis inseruientes, solos, qui seculo aureo proximi sunt, Plautum atque Terentium *g*) habemus; vel ex hoc capite inter omnes recensitos hactenus Poetas, prolixiori ab nobis ornandos elogio. Atque hi sunt Latinitatis auctores, quos euoluendos continuo, perlegendos, relegendosque, imo, quod castioris linguae restauratori DESIDERIO ERASMO placuit, ingenuis artium liberalium cultoribus edi-

---

f) Apud GELLIVM Noct. Attic. lib. 15. c. 24. *g*) Et ipse PLINIVS lib. 1. epist. 16. illis vel tacite prae reliquis nitorem & elegantiam sermonis tribuit, vbi: *Legit mihi nuper epistolas, quas vxoris esse dicebat, Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi.*

bus ediſcendos commendamus. Ingenuis dico bonarum artium cultoribus, qui probe norunt probare omnia & optima ſeruare, neque data quauis occaſione in ſua ſcelera ruunt. Conſtat enim, Poetas quidem iſtos nonnunquam officere moribus eorum, impuris quorum verſantur manibus & iſtis parum exercitatis. Immiſcent, quiſnam inficias ire facile poterit? ſuis fabulis paſſim ſales ſpurcos atque laſciuos; plures etiam ex profeſſo de obſcoena, inſalubri ac proterua materia componunt. Quamobrem & nos caute & raro adoleſcentes admittimus, & hoc maximopere curamus, ne literis proficiendo vel ab aliis caperent ſcandalum aliquod, vel etiam, quacunque id fieri poſſet ratione, auocati a pietate ad prauos mores abducerentur. Neque circumſpectos modo, verum exercitatos quoque lectores requirunt Poetae; h. e. fundamentis Latinae linguae ex Tullio, Latinitatis parente, inſtitutos imbutosque puriori ſermone Eloquentiae candidatos, vt, vbi vbi obuenirent, archaiſmos ceu ſcorias a puro puto auro diſcernere queant. *b*) Quod ad reliquos huius aeui ſcriptores attinet, quorum non niſi fragmenta ſuperſunt, iſtis locum inter alios aetatis adultae concedimus eum; quem inter vſitatam vulgo monetam, numiſmatibus, antiquitatis mage commendatis veneratione, quam valentibus pretio ac nobilitate metalli. *i*) Vel, vt Quintiliani *k*) verba mea faciam, iſtos ſicuti ſacros vetuſtate lucos adoramus, in quibus grandia & antiqua robora iam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem. Oportet ergo omni ſenſu caruiſſe Volcativm illum Sedigitvm, quicunq; fuerit, iudicium de Comicis Latinis ferentem tam audacter, vt nihil dixerit eum ſentire, qui contra

b) Confer. Morhofivs Polyhiſt. liter. lib. 2. c. 9. §. vlt. & lib. 4. c. 11. §. 5. *i*) Confer. Olai Borrichii cogitationes de variis Latinae linguae aetatibus pag. 3. *k*) Inſtit. Orat. lib. 10. c. 1. Vid. etiam A. Gellivs noct. Attic. lib. 11. c. 7.

contra ſentiat. Caecilio palmam tribuit, quem, ut ſupra vidimus, TVLLIVS noſter, nunc *male locutum*, nunc *malum eſſe Latinitatis auctorem*, dixit. Terentium vero comicum elegantiſſimum poſt alios, nec tanti nominis, ſexto loco ponit, ipſique Attilium praefert ſcriptorem, quem idem ferreum & duriſſimum eſſe teſtatur. De caeteris facile quilibet ipſe iudicare poterit.

§. XXII.

Ad ſcriptores huius aeui oratione ligata clariores, quorum integra ſuperſunt opera progrediemur ſtatim, quando fragmentorum collectiones prius indicauerimus, quas viri de rep. literaria optime meriti, ex veterum Poetarum iſtorum apud Grammaticos & alibi extantibus ſententiis, inſtituto admodum laudabili, prelo ſubiectas publici iuris fecerunt. Atque inter primos uterque STEPHANVS fuit, ROBERTVS eiusque filius HENRICVS, quorum ſtudio & opera, fragmenta veterum Poetarum Latinorum, *Accii, Valer. Aeditui, Alphei Aviti, Albini, Afranii, Petronii Arbitri, Baſſi, M. Furii Bibaculi, C. Licinii Calvi, Caecilii Statii, Q. Catuli, C. Heluii Cinnae, Ennii, Furii, A. Galli, Corn. Galli, Getulici, Decimi Laberii, Lureae Tullii, Porcii Licinii, Livii Andronici, Lucilii, Aemilii Macri, Domitii Marſi, Cn. Matii, Naevii, Pacuuii, C. Pedonis Albinovani, L. Pomponii, Septimii, Publii Syri, A. Sereni, Corn. Seueri, Sueuii ſiue Suecii, C. Ticidae, Titinnii, Trabeae, Turpilii, T. Valgii, Varii, M. Varronis, Varronis Attacini,* collecta digeſtaque prodierunt Pariſiis 1564. in 8. Fragmenta veterum tragicorum Latinorum *Liuii Andronici, Q. Ennii, Cn. Naevii, M. Pacuuii, L. Attii,* & aliorum *l*) diligentius a PETRO

O SCRI-

---

l) Nota, Auctorum fragmenta non omnia, ſed quae ex tragoediis tantum reperire potuerunt, in hac collectione haberi. Eandem quoque praeſtitit operam MARTINVS DELRIO in parte prima ſyntagmatis tragoe-

Sriverio collecta, cum praemissis Auctorum, tragicos qui laudant, testimoniis, subiectis castigationibus, notisque vberioribus Gerh. Ioh. Vossii, Lugd. Batau. 1620. in 8. Corpus omnium veterum Poetarum Latinorum secundum seriem temporum digestum, & quinque libris distinctum prodiit Geneuae 1611. & 1627. in 4. quibus continentur petita ex Rob. & Henr. Stephanorum collectione fragmenta *Liuii Andronici, Q. Ennii, Cn. Naeuii, Q. Nouii, M. Pacuuii, Statii Caecilii, L. Accii, C. Lucilii, Sex. Turpilii, Cn. Matii, L. Afranii, Q. Trabeae, Licinii Imbricis*, aliorum; praeter integra *Plauti, Terentii, Lucretii*, & caeterorum opera *m*).

CAPVT III.

De Plauto, Terentio, & Lucretio Poetis, ex quorum integris operibus LL. adolescentia elucet.

§. *1. Instituti ratione declarata. 2. Marci Accii Plauti vita describitur. 3. Eius fabulae enarrantur, primo quidem Amphitruo. 4. Asinaria. 5. Aulularia. 6. Captiui. 7. Curculio. 8. Casina. 9. Cistellaria. 10. Epidicus. 11. Bacchides. 12. Mostellaria. 13. Menaechmi. 14. Miles gloriosus. 15. Mercator. 16. Pseudolus, 17. Poenulus. 18. Persa. 19. Rudens. 20. Stichus. 21. Trinummus. 22. Truculentus. 23. De Plautina dictione agitur. 24. Vtrum illa Terentianae, aut Ciceronianae, praeferenda sit. 25. Fabularum Plautinarum editiones seculi post Christum natum decimiquinti, 26. decimi sexti, 27. decimi septimi enumerantur. 28. Publ. Terentii vita describitur. 29. Comoediae enar-*

---

tragoediae Latinae, cuius alteram partem Senecae tragoediae constituunt, Antuerpiae 1594. 4. Parisiis 1607. & 1620. 4.

m) Plur. confer. Ioh. Alb. Fabricii V. C. Biblioth. Latin. lib. 4. c. 1.

enarrantur, primo Andria. 30. Hecyra. 31. Heautontimorumenos. 32. Phormio. 33. Eunuchus. 34. Adelphi. 35. De meritis Terentii disquiritur. 36. Non attigit adultam aetatem Latinae linguae. 37. Viri cordatiores comicum illum semper maximi fecerunt. 38. Num in scholis ille tyronibus praelegendus sit, vel an moribus officiat? 39. Terentii editiones seculi decimi quinti, 40. decimi sexti, 41. decimi septimi indicantur. 42. De Lucretii vita, 43. Eius scriptis & dictione. 44. Editionibus seculi decimi sexti & 45. decimiseptimi agitur.

§. I.

SPecialioris indaginis sunt Opera, quae ad nos integra peruenerunt, comicorum Plauti atque Terentii; quibus licet inter Poetas, recensitos iamiam, ordine locus adscribendus merito fuisset; hactenus tamen nobis illos, sigillatim hoc capite, & paulo accuratius examinandos reseruauimus. Subiiciemus illis quoque Lucretium, quem alii, quod propior sit M. Tullii Ciceronis aetati, in aliud tempus transferunt. Est vero animus, ea scribendi ratione uti, qua omnium facillime solet expediri causa: ut primo cuiusque praemittamus vitam, tum fabulas enumeremus, & ultimo de vsu illarum, & maxime de stilo, quem adhibuerint, verba faciamus. Dicta fore, persuademus nobis, ingenue &, quantum fieri potuit, breviter omnia.

§. II.

Ennio aequalis fuit, ac plurimum hoc tempore ad ornandam Latinitatem attulit comicorum ille festiuissimus, iocorum artifex, salorum item ridiculorum fabricator, MARCVS ACCIVS a), a pedum planitie, initio *Plotus*, deinde PLAV-

 TVS

a) Semetipsum ita vocat in Mercat. prol. v. 10.
Graece haec vocatur Empores *Philemonis*,
Eadem Latine Mercator *Marci Accii*.

TVS b) cognominatus. Patria Sarsinas erat ex Vmbria, natione Italus. Florere coepit vltimis belli Hannibalici & proximis fere septendecim annis, inter secundum & tertium bellum Punicum, magis ingenio quam opibus valens. Lepidum namque & omnino memoratu dignum est, quod de Poeta nostro scriptores prodiderunt: eum, omni pecunia, quam in operis scenicorum artificum sibi comparauerat, in mercationibus perdita, inopem rediisse Romam, & propter annonae difficultatem, ad molas manuarias circumagendas, pistori se suamque operam locasse; vti victum ea ratione sibi quaerat: Et hic quoties ab opere vacaret, scribere fabulas, easque vendere pretio consueuisse c). Mortuus est Romae, cum Terentius

MVRETVS vero lib. 18. c. 9. Variar. id nominis per T non per C literam scribi oportere contendit. Atque etiam FESTVS, in voc. *Barbari*, eum nominat *M. Attium*. & ita passim. VARRO de lingua Latina lib. 6. c. 5. *M. Actium*. b) Vmber Sarsinas erat, adeoque *Plotus* dicebatur, a pedum planitie, quo nomine appellantur Vmbri omnes. cum pedibus planis ea natio ut plurimum incederet. Vid. FESTVS in voc. *Ploti*. Postea *Plautus* dictus est, nomine haud multum a significatione *ploti* discrepante; imo forsan remanente, quando obseruamus, AV antiquioribus pro O. frequenter scriptum fuisse. Eodem FESTO auctore in voc. *Plauti*, etiam ita canes appellantur, quorum aures languidae sunt ac flaccidae & latius videntur patere. Confer. PLINIVS histor. natur. l. 11. c. 45. Patriam ipse prodit PLAVTVS Mostell. A. 3. S. 2. v. 83. Et aliquomodo semet ipsum quoque videtur describere Pseudol. A. 4. S. 7. v. 120. seqq. c) Vid. EVSEBIVS in Chron. & ex eo IOH. FVNCCIVS chronol. fol. 81. D. Cumprimis A. GELLIVS noct. Atticis lib. 3. c. 3. ubi ex Varrone refert, binas eum fabulas Satyrionem & Addictum, & tertiam, cuius nomen non adscripsit, in pistrino composuisse. Hinc apud MINVCIVM FELICEM cap. 14. *lautinae prosapiae homo* dicitur pro *pistore*. Atque etiam in variis codicibus scriptum legitur *Plauti* *Asinii*

tius vix nouennis esset, P. Claudio & L Porcio Coss. anno ab V. C, IↃLXX. Mundi 3782. *d*) Aliquod eius Epitaphium legimus apud A. GELLIVM *e*) his propemodum verbis conscriptum:

> *Postquam morte datu'st Plautus, comoedia luget,*
> *Scena est deserta, dein Risus, Ludu, iocusque;*
> *Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.*

Plura si quis de nomine, patria, aetate, forma corporis & statura, quam fuisse deformem coniiciunt, de genere item ac seruili conditione, unde Asinii vel Asini cognomen ipsi adhaeserit, &c. scire gestiat, eum breuitatis nunc admodum studiosi ablegamus ad doctissimam CASPARIS SAGITTARII *de vita scriptis, editionibus, interpretibus, lectione atque imitatione Plauti, Terentii, Ciceronis* commentationem, quae in omnium manibus est.

Asinii Amphitruo, quod cognomentum porro ipsi in omnibus fabularum titulis tribuitur. Istud quidem a librariis factum arbitrantur I. MEVRSIVS & FRID. TAVBMANNVS, qui scriptum fuisse putant, *Plauti Asini*, quod de pistorum esset prosapia. Nam olim, qui in pistrino laborabant, cum idem illis incumberet labor ad trusatiles molas, qui Asinis ad versatiles, per conuicium *Asini* audiebant, & *molae* contemtim *praesepia*. Ex quo forte ipse PLAVTVS intelligendus est Curcul. A. 2. S. 1. v. 13.

> *Tormento non retineri potuit ferreo,*
> *Quin reciperet se huc esum ad praesepim suam.*

d) CICERO de claris Oratoribus cap. 15. *Plautus P. Claudio, L. Porcio, viginti annis post illos, quos ante dixi, consules mortuus est, Catone Censore.* Qui annus in fastis est DLXIX. aut Ciceronis calculo antea dato DLXX. Vt perperam apud VOSSIVM de poetis Latinis excussus sit urbis annus CIↃLXXV. Notante istud etiam FABRICIO V. C. Biblioth. Latin. l. 1. c. 1. *e*) Noct. Atticis lib. 1. c. 24.

§. III.

Inclaruit maxime Poeta noster Comoediis, quarum sub Plauti nomine olim circiter centum & triginta circumferebantur; sed etiam tum L. Aelivs quinque & viginti eius esse solas existimauit. *f)* Ita A. Gellio *g)* viuente tantum una & viginti habebantur, quae *Varronianae* vocantur, idcirco a caeteris segregatae, quoniam dubiosae non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur. Earum nos hodie viginti superstites possidemus, cum fragmentis nonnullis, quae tamen cuius sint, adhuc nec immerito ab sanioribus criticis disceptatur. Illae, ut credimus, ad facilitatem euoluendi, literarum ordine a Grammaticis digestae prostant. Priusquam comoedias ipsas enumerare aggredimur, & hoc notamus, Comicum nostrum plerumque Graecos imitatum fuisse, imo saepius Latine vertisse, nominatim Diphilum, Philemonem, Demophilum, Menandrum, Epicharmum, Posidippum, Apollodorum, Alexidem: vt adeo sit auctor comoediae Graecae Latino habitu indutae, quam *palliatam* vocant; quod histriones in his, Graecorum more, pallio vterentur. (1.) Omnium prima *Amphitruo* tragico-comoedia, in qua personarum dignitas & magnitudo comoediae humilitati admixtae sunt. De quibus in prologo ipse cecinit:

> *Faciam ut commixta sit Tragicocomoedia:*
> *Nam me perpetuo facere ut sit comoedia,*
> *Reges quo veniant, & Di, non par arbitror.*
> *Quid igitur? quoniam hic seruus quoque parteis habet,*
> *Faciam hanc, proinde ut dixi, Tragico-comoediam.*

Rerum

f) A. Gellivs noct. Attic. l. 3. c. 3. *g)* Apud eundem l. c. Servivs Honoratvs ad 1. Aeneid. *De numero librorum nulla hic quaestio est, licet in aliis inveniatur auctoribus. Nam Plautum alii dicunt scripsisse fabulas viginti vnam, alii quadraginta, alii centum.*

Rerum ſumma haec eſt: Amphitruone cum exercitu aduerſus Teleboas profecto, Alcmena coniux Thebis manet, cuius amore Iuppiter captus Amphitruonis formam aſſumit & comite Mercurio, qui Soſiae ſpeciem gerebat, ad Alcmenam amaſiam ſuam furtim pervenit, noctibusque tribus in unam collatis, ampliori fruitur voluptate. Ex eo concubitu Hercules mox editus eſt, Amphitruo interim, ab hoſtibus reportata victoria, domum reverſus, cum in ancoris ſtaret freto Euboeae, Soſiam praemittit ſeruum ſuum, qui Alcmenam de rebus feliciter geſtis ac reditu ſuo certiorem faceret. Ille vero excluſus ab altero Soſia, illo conficto Iouis comite, pro foribus excubante, annunciat hero omnia, quae paſſus erat. Amphitruo hinc domum properat ipſe. Conuiciis excipitur ab Alcmena ſua, quam relinquit, ad ſuas ſe conferens naues. Interea temporis, Iuppiter, Amphitruonis imaginem prae ſe ferens, forma deceptam placat, ſibique conciliat peramatam Alcmenam. Redit maritus verus Amphitruo cum Blepharone arbitro, qui quum alterum ab altero diſcernere non poſſet, uterque adverſarium ſuum contendit prehendere pro moecho; donec Juppiter, ex aethere miſſo tonitru, ſe adulterum profiteretur, & Amphitruo attonitus, cum Alcmena Herculem ex Ioue & Iphiclum ex hoc uno partu enixa eſſet, proſterneretur. Eam fabulam ſatis vulgarem Poeta in ſcenam traduxit, omnia pro more ſuo ſingulari feſtiuitate, inſertis ubique fruſtrationibus dictisque facetis, illuſtrans.

§. IV.

(2.) *Aſinaria* argumentum leue & iocoſum, ut nomen ipſum prae ſe fert, continens comoedia, ex ὀνάγρῳ Demophili, ſeu, quod alii legunt Diphili comici Graeci expreſſa eſt. Ita enim in prologo ipſe fatetur:

Huic

- *Huic nomen Graece est Onagos fabulae.*
Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare.
Asinariam vult esse, si per vos licet.
Inest lepos, ludusque in hac comoedia.

Vult ac iubet pater, auferri ab se argentum, quod filio detur amanti, ea lege, ut sibi facultas & copia sit per filium adeundi amicam. Mirifice hinc ludunt servi adolescentem, parta praeda. Filius, ut ipsius comici verba mea faciam, cedit noctem, ac riualis ob mulierem praereptam flagrans ira, eam causam vxori per parasitum nunciat; quae post pudendam criminationem accurrit virumque suum lustro educit.

§. V.

(3.) *Aulularia* ab aulula, siue ollula *b)* inuenta & conseruata Euclionis studio dicta, sua parte extrema habetur manca. Dramatis argumentum hoc est: Euclio senex auarus ollam multis cum opibus defossam reperit domi, quam denuo absconditam penitus summo studio seruare contendit. Huius filiae Lyconides adolescens vi noctu stuprum intulerat, cuius quod flagraret amore, & auunculo desponsatam esse cognosceret, matrem de omni re certiorem fecit, ac per eam sua sibi connubio stabili vt iungeretur, impetrauit: tanto facilius, quod petierit sponsum auunculum, cui nomen erat Megadorus, senem, vti concederet sibi virginem, quam vitiauerat; atque etiam Euclio, totus quantus erat deditus auro, sui ipsius immemor, ex laetitia reperti thesauri, natam Lyconidi in matrimonium dare promiserit.

§. VI.

(4.) *Capteivei* comoedia inter Plautinas, siue argumentum

---

b) FESTVS: *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas: quia nullam literam geminabant.* in voc. Aula. Et AV pro O valebant literae.

tum ſiue expoſitionem ſpectare velis, omnium optima & elegantiſſima eſt; qua de re ipſe auctor: *i*)

> *Profecto expediet fabulae huic operam dare.*
> *Non pertractate facta eſt, neque item ut caeterae.*
> *Neque ſpurcidici inſunt verſus immemorabiles,*
> *Hic neque periurus leno eſt, nec meretrix mala,*
> *Neque miles glorioſus.*

Rurſum: *k*)

> *Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula eſt.*
> *Neque in hac ſubagitationes ſunt, neque ulla amatio,*
> *Nec pueri ſuppoſitio, nec argenti circumductio:*
> *Neque ubi amans adoleſcens ſcortum liberet clam patrem ſuum.*
> *Huiusmodi paucas Poetae reperiunt comoedias,*
> *Vbi boni meliores fiant. ---*

Pauciſſimis interiectis:

> *Qui pudicitiae eſſe voltis praemium, plauſum date.*

Rerum ſumma his continetur breuiter. Bellum erat inter Aetolos & Elienſes, quo Philopolemus Aetolus Hegionis filius, ac Elienſis Philocrates captiui ducuntur. Philocratem igitur ſimul atque ſeruum Tyndarum emit Hegio, ea ſpe fretus fore vt aliquando, facta captiuorum permutatione, filium ſuum recuperare poſſit. Tum conuenit inter iſtos, ut ſeruus Dominum, Dominus vice verſa ſe ſeruum eſſe profiterentur. Dimiſſus hinc Philocrates vt ſeruus rediit in patriam. Tyndarus vero, detecta fraude per alium captiuum, ab irato ſene compeditus in lapidicinas coniicitur. Sed erat hic ipſe filius eius

P a ſeruo

i) Prolog. v. 54. & IANVS DOVSA Plautin. explan. lib. 1. cap. 14. *Ad Plauti captiuos veniamus, qui me quotiescunque (ut fit) manum ipſis iniectare libet, ſibi prorſus conſimilem, h. e. captiuum reddunt,* &c.
k) In calce dramatis.

a ſeruo quodam ſurreptus aetate puerili, qui tandem, reuerſo Philocrate, Philopolemum Hegionis filium atque etiam ſeruum illum furem adducente, agnoſcitur non ſolum, ſed & libertati & familiae ſuae reſtituitur. Ita preſſa nunquam opprimitur virtus.

§. VII.

(5.) *Curculio*, quod nomen eſt paraſiti a verme, qui frumentum exedit, deſumtum. Iſtius enim fraude fortuita repletur quicquid huius dramatis eſt. Phaedromus adoleſcens introducitur amans Planeſium virginem, quae in poteſtate eſt Cappadocis auari lenonis. Eam ille quidem exoptat redimere, ſed rerum neruus, pecunia, ipſi deeſt. Quare aes mutuum recipiendum in Cariam mittit Curculionem paraſitum ſuum, qui licet nihil eiusmodi impetraret, ſua tamen fraude cauſam Heri feliciter egit. Cognouerat puellam a lenone iam eſſe venditam Therapontigono militi, & pecuniam ſitam eſſe apud Lyconem trapezitam. Paraſitus ergo a milite ad coenam vocatus, in potu ſuffuratur eius annulum, quo literas conſignat, ac illis trapezitae redditis, quaſi a milite miſſus puellam abducit. Venit poſtea miles flagrans ira, & indignatione plenus trapezitam ſimul atque lenonem in ius rapit. Sed ea occaſione mulierem illam ſororem cognoſcit eſſe ſuam. Ita Phaedromo quam peribat, datur, & minae circiter triginta exiguntur a lenone.

§. VIII.

(6.) *Caſina l*) a ſortitione dicta, quaſi de muliere ſortititio fieret. Translata enim eſt ex Graeca Diphili, quae inſcri-

l) Hanc citare Festus videtur in voc. *Remiligines*, ſub nomine *Patinae*, quod elucet ex verſ. 6. 7. A. 4. S. 3. ipſius Plauti in Caſina.

ſcribitur *κληρούμενοι*, *ſortientes*. *m*) Quod ipſe PLAVTVS teſtatur:

> *Clerumenoe vocatur haec comoedia*
> *Graece, Latine Sortientes. Diphilus*
> *Hanc Graece ſcripſit, poſt id rurſum denuo*
> *Latine Plautus.- - -*

Fabula turpis & obſcoena eſt. Repraeſentatur Senex quidam ridiculus amator, & eius ſodalis velut flagitioſi vicini receptor. Mulieres deprehendunt iſtorum facinora; & varie ſenibus illuditur. Seruulus namque pro puella ſubiectus nequam utrumque decipit & mulcat. Caſinam vero adoleſcens in matrimonium ducit.

§. IX.

(7) *Ciſtellaria* nomen ſortitur a *ciſtella*, quam amittit ancilla, mater reperit puellae, cuius in illa conſeruabantur crepundia: ut adeo cognoſceretur adoleſcentis amica, & ipſi nuberet. Argumento ſatis tenui atque ſimplici. Quamobrem IANVS DOVSA, *n*) mirari ſe non leviter, ait, cum ciſtellariam Plauti legat, unde illi in argumento ieiuno adeo ac ſterili tanta leporum ac facetiarum ſuppetierit comitas. &c.

m) Caſinam nonnulli deriuare conantur a *caſu*, quod idem ſit atque ſors. Sed aliud ſortitio innuit heic, ut quilibet facile videt. Niſi me omnia fallunt, Caſina ſignificat *ſcortillum*: *κάσαι* etenim interpretantur *ſcortum*; unde *κασίνα* ſua ſponte fluit. Quae ſententia mihi confirmatur in ipſius dramatis calce, ubi Caſina herili filio nupta, votum ſubiungit, ut qui manibus recte plauſerit,

> - *clam vxorem ducat ſcortum ſemper, quod volet.*

Sin aliter fecerit:

> *Ei pro ſcorto ſupponatur hircus unctus nautea.*

i.e. nauſea. *n*) Plautin. Expl. lib. 2. c. 10.

§. X.

(8.) *Epidicus*, fabula, quam aeque ac se ipsum amare auctor inquit, *o*) in magna varietate satis eleganter composita haec continet: Stratippocles Periphanis filius adolescens fidicinae alicuius flagrans amore castra sequitur. Absens scribit ad seruum Epidicum de redimenda, quam deperiret, virgine. Dictum, factum. Epidico hoc persuadente seni, ut redimeret filiam suam, quae duceretur captiva, cum ille consentiret, pro filia ipsi adducit fidicinam Stratippoclis amicam. Interea temporis hic absens aliam amare coepit inter captiuas, quam Thebis quadraginta minis mercatur, ac aeris solutionem commendat Epidico, qui arte possit circumuenire senem ipsique persuadere, etiam isthanc sua vt emeret pecunia, & praeueniret filio, qui eam amaret perdite. Ita quadraginta minas elicit, & eam quoque adducit seni. Verum haec erat, & seruo & filio imprudentibus, amissa filia illa Periphanis vera. Omnis cognoscitur causa, & Epidicus in summo versatur periculo, cum filia huius quasi opera & singulari diligentia reperta patri facultatem daret seruum manumittendi, res quasi omnis pro voto hucusque gesta fuerit. Ita impostor maximus & homo nequam malitia sua libertatem inuenit.

§. XI.

(9.) *Bacchides*, Comoedia hilaris & conuiuialis tractat sequentia: Mnesilochus peregre missus a patre, in Epheso absens petit Pistaclerum sodalem, vti reperiat Bacchidem amicam suam. Hanc ille forte fortuna inuenit apud sororem eiusdem nominis, cuius amore capitur. Mnesilochus ex Epheso redux de sermonibus Lydi paedagogi errat, consiliumque de retinendo auro, quod Chrysalus seruus commentus erat, in ira omne perturbat. Deinde cognoscitur causa. Quare seruum petit,

o) Bacchid. A. 2. S. 2. v. 36.

petit, vt retraheret per fallacias aurum. Quod ille satis audacter & callide facit; ac, fraude patefacta, senes saeui atque minaces Bacchidum meretricum blanditiis flectuntur:

Vt apud lenones riuales filiis fierent patres.

§. XII.

(10.) *Mostellaria* a mostello i.e. monstro p) dicta, quoniam senex in illa quasi manium monstris spectrisue a seruo exteretur. Scilicet Philolaches, absente Patre sene quodam mercatore, sodalitio libidinoso implicatur sumtusque facit maximos, suam redimit triginta minis amicam, neque solum rem domi absumit omnem, verum insuper foenore satis graui a Danista aeris summam accipit mutuam. Post triennium reuertitur senex, cum forte in eius aedibus circumpotatio esset. De aduentu mature quidem certiores facti abiissent, sed vnus in sodalitio fuit ebrius qui discedere nolebat. Ne itaque, superueniens pater in aedibus suis turbas videret, Tranio seruus ipsi occurrit ac persuadet, terrifica mortuorum monstra in aedibus videri. Postea cum Danista debitam postularet pecuniam, seni rursum imponit, ac mutuum acceptum dicit propter domum vicini, quam filius emerit. Sed fraudem cognoscit a vicinis seruisque aduersitoribus. Irascitur hinc maximopere, adeo indigne habitum fuisse ab seruo. Tandem exoratur ab sodale quodam filii uti simul veniam daret nato, atque seruo ignosceret.

§. XIII.

(11.) *Menaechmi*, fabula venusta & varietate insigni com-

p) *Mostrum* & *mostellum* antiqui efferebant monstrum, liquescente vel omissa in pronunciando litera N. Dicitur alias haec fabula etiam φάσμα, quod nomen Graecis *monstrum* significat.

commendata ex duorum fratrum Germanorum ſimilitudine. q) Mercator Syracuſanus geminos ſuſcepit e coniuge ſua filios ſibi ſimillimos; quorum alterum, cui nomen erat Menaechmus, cum ad mercatum duceretur, pater amiſit, neque longe poſt vitam cum morte commutauit. Alteri, qui Soſicles dicebatur, atque domi manebat, auus paternus ſurrepti nomen indidit Menaechmi. Poſtquam ille adoleuit, germanum fratrem quaeritat circum omnes oras. Tandem venit Epidamnum, quae Illyriae ciuitas etiam Durachium appellatur, vbi ſurreptus ille adhuc vitam agebat. Hic adeoque Soſicles aduena ſalutatur ab amica, uxore, & ſocero fratris, quaſi ille ipſe eſſet Menaechmus. Ita poſt nonnullas ludificationes atque turbas uterque agnoſcitur a ſeruo, qui, re palam facta, manumiſſus abhinc coepit ſua gaudere libertate.

§. XIV.

(12.) *Miles glorioſus*, inſignis fabula, tota ſale & politiſſimis ſententiis referta, nomen accepit a perſona & re, h. e. à milite, qui in ſcenam producitur, vano & oſtentatore, id enim *glorioſus* ſignificat. r) Pyrgopolinices miles, vt id genus hominum eſſe ſolet, ſua coelum ipſum ſtultitia petens, cuius intolerabili ſuperbiae moribusque indomitis ponere modum neque lex neque tutor potuit, Pleuſidis Attici adoleſcentis amicam vi abreptam Epheſum duxerat. Quod cum ſeruus illi abſenti annunciare vellet, captiuus a piratis ductus forte huic militi dono datur. Vbi ſtatim agnoſcit mulierem, atque herum ſuum Athenis per literas vocat. Hic aduenicns diuertitur

q) In Menaechmos lepida extat ANGELI POLITIANI praefatio inter eius poemata. r) *Glorioſus* quaſi *gloriator*, vnde CICERO offic. l. 1. *Deforme eſt, de ſe ipſo praedicare, falſa praeſertim & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum.* Confer IANVS DOVSA Plautin. Expl. lib. 3. c. 7. Mons. RAPIN Reflexions ſur la Poeſie en general. §. 10.

tur ad hoſpitem ſenem militis vicinum, ita vt domus vtriusque paries communis ab ſe perforari, atque adeo amantibus conueniendi copia eſſe poſſit. Quod etiam factum eſt continuo: & viſa mulier aliquando in amatoris complexu ab alio, militis ſeruo. Iſtud vero ne crederet vidiſſe, ipſi Atticus ille ſeruus perſuadet, aliam eſſe, & geminam herilis amicae ſororem. Tandem quoque aſtutia ſerui impellitur miles, cum ſenis vicini vxor ipſi nubere cupiat. Suam ergo dimittit, & per inſidias prehenſus in domo ſenis pro moecho plectitur. Sic verba darier etiam gloriatori videte.

§. XV.

(13.) *Mercator*, fabula translata ex ἐμπόρῳ Philemonis, comici Graeci, qua de ipſe Auctor: *s*)

Graece haec vocatur Emporos Philemonis,
Eadem Latine Mercator Marci Accii.

Charinus adoleſcens a patre immiti, ſed tamen diſſoluto, propter delicta iuuentutis, ſaeuis dictis ad ſocium extruditur mercatum. In patriam redux ancillam hoſpitis, cuius amore flagrabat, aere ſuo redemtam adducit. Pater aduolans viſam deperit mulierem, &, cuius ſit, percontatur. Eam, ſeruus inquit, ab adoleſcente matri pediſequam fuiſſe datam. Pater vero captus inſigni forma puellae, eam vicino ſuo, itidem ſeni, mandat ſibi vt praemercaretur, dante hoc negotium ſuo quoque ſodali filio. Tradit ergo eam quaſi venderet nouus amator vicino; ſed filius mercator ſua fraudatus praeda & exſpes patria fugere deſtinat. Alienam vxor vicini in aedibus ſuis deprehendens maritum ſibi ſcortum obduxiſſe arbitratur; hinc turbas mouet. Qua occaſione Charinum adoleſcentem ſodalis e fuga retrahit, eiusque vna cum patre exorat parentem, vt cederet

s) Huius comoediae A. 1. S. 1. v. 9.

cederet nato, & vero amicam redderet possessori suo. Ita pro voto iuuenis tandem componitur causa.

§. XVI.

(14.) *Pseudolus*, comoedia elegantissima & festiuissima, ipsi laudata CICERONI praeter alias, *t*) duos senes producit satis commodos, adolescentem amore perditum, qui viginti minis a lenone mulierculam mercatur, sed quae postmodum, seruo fraudulento & perfido lenone interuenientibus, per subitae occasionis fallacias abducitur.

§. XVII.

(15.) *Poenulus*, comoediae nomen argumento praefixum literis versuum initialibus, alias *Carchedonius* & *Patruus* & *pultiphagon* vocatur. *v*) In ea hoc agitur: Agorastocles adolescens Carthaginiensis furtim surreptus, in Aetholia seni venditur ciui, qui eum filii loco adoptauit, ac moriens heredem reliquit. Aduehuntur a lenone nitida forma puellae populares duae atque cognatae (erant enim Hannonis Poeni Agora-

---

t) CICERO in Catone maiore c. 14. *Quam gaudebat bello suo Punico Naeuius, quam Truculento Plautus, quam Pseudolo.* I. DOVSA Plaut. Expl. lib. 3. c. 21. *Quam Pseudolo suo Plautus gauisus fuerit, nescio: hoc scio, nullam me ex Poetae illius comoediis iam pridem aeque lubentem perlegisse, neque animo vnde defaecatiore me discessisse existimem: ita vt mirandum non sit, eam Ciceroni tantopere complacitam &c.*

v) Huius comoed. prol. v. 53.

Carchedonius vocatur haec comoedia,
Latine Plautus Patruus Pultiphagonides.

καρχηδὼν Graecis Carthago dicta est; vnde *Carchedonius* Carthaginiensis est. *Poenulus*, siue Punicus, latine dictus a Gente sua. *Patruus* inscribitur, quod in ea Hanno patruus Agorastoclem fratris sui filium insperato reperit. *Pultifagus* vero eundem Poenum significat: Poenos namque pultifagos fuisse, argumento est *puls* ipsa, a Poenis *punica* vocata.

Agorastoclis patrui filiae paruulae, ruri vna cum nutrice a praedonibus abductae; quod noster ignorabat) quarum alteram amare coepit: sed impeditur a lenone. Quare isti consilio & opera serui sui insidias struit, facitque furti manifesti vt condemnaretur. Interea temporis cognoscitur, esse puellas Carthaginienses ingenuas, quarum pater Hanno, quaeritans vbique suas, aduenit, eas agnoscit, ac natu maiorem filiam Agorastocli suo ex fratre nepoti nubere facit.

§. XVIII.

(16.) *Persa* exile tractat argumentum seruilis amoris & astutiae. Toxilus ille seruus, profecto Domino, ancillae capitur amore, quam vt manumittat, lenoni persuadet, ac subornatam Saturionis parasiti filiam, quam leuissimus pater vendere cibi causa non dubitauerat, quasi a praedone raptam emat. Ita quoque Dordalum lenonem intricatum ludit.

§. XIX.

(17.) *Rudens* a re pertractanda inscribitur comoedia. x) Ciuis quidam Atheniensis filiam amiserat a lenone Cyrenas abductam; quo & ipse pater inopia adactus se tandem contulit. Interim adolescens coepit amare puellam, eamque redimere studuit triginta minis a lenone, quem, arrha data, iureiurando alligauit. Sed frustra perfidum, qui spe maioris lucri eam transportare in Siciliam clanculum aggreditur. Nec

Q impu-

x) Agitur enim de piscatore, ex mari trahente vidulum. Funes autem nauticos & grandiores quosuis antiqui dixere *rudentes*. Sed tamen IVL. C. SCALIGER poetices pag. 766. *Rudentem* arbitratur non explere indicationem argumenti; & commodius fecisse Plautum, si *tempestatem* eam fabulam inscripsisset: rudentem enim in tota fabula paene nihil esse, paene nusquam. ANNA DACERIA, quae fabulam isthanc felicissime Gallica induit veste, *Felix Naufragium* inscripsit. Plautus eam ex Diphili fortassis *ἀνασωζομένοις* transtulit.

impune; ipſe enim fracta naui repellitur fluctibus, noſtraque puella cum alia quadam conſerua ad littus Cyrenaicum refertur in ſcapha. Miſeris ſenex ille Atticus opem fert, ſuam adeſſe filiam ignarus. Leno ſed tamen ab adoleſcente in ius rapitur. Poſtremo ſuam ſenex cognoſcit filiam ex crepundiis in vidulo, quem ſeruus produxerat e mari captum reti. Hinc laetantur cum afflicto parente cuncti, amatam bonis auibus adoleſcens accipit thori ſociam, leno pecuniam, ſeruus piſcator libertatem.

§. XX.

(18.) *Stichus* prae ſe fert nomen ſerui, ſed quod apud Graecos ſignificationem habet *ordinis* & *verſus*. Leue continet argumentum. Fratres germani duo adoleſcentes duas in matrimonium ducunt ſorores. Illi quod paulo liberalius viuerent, ſuas opinato citius profundebant opes; quas vt recuperarent vnanimi ſenſu mercatum abeunt. Coniugum ergo pater fidem matrimonii docet violare mulierculas, increpans continuo eas, quod non relinquerent viros pauperes, peregrinantes, longo tempore exulantes, ſatius eſſe, vt aliis collocentur. Sed refragantur filiae iſti conſtanter, vſque quo redeunt mariti, rebus feliciter geſtis, ac mirifice auctis opibus, atque adeo haud difficulter ſocero vacillanti reconciliantur. Paraſitus quocum commeſſando antea facultates ſuas perdiderant, aduenienss repellitur, ac ludibrio habetur. Sticho autem cum Sagarino altero ſeruo ludus datur, atque conuiuii agitandi poteſtas.

§. XXI.

(19.) *Trinummus*, fabula elegans & lepida Philemonis a noſtro Latinitate donata, quam I. CAESAR SCALIGER y) longe

y) Poetic. lib. 6. c. 3. Et ipſe PLAVTVS huius comoed. prol. v. 18. ſeqq.

longe commodius *Thesaurum* fuisse inscriptam voluit, haec tractat: Charmides senex mercatum peregre abiens Callicli amico suo abditum thesaurum, & cum liberis suis rem omnem familiarem commendat. Interea filius perditus, absumtis aliis, etiam paternas aedes ipsas vendere volebat, quas proinde vel propter in illis absconditum thesaurum Callicles mercatur. Postmodum absentis filia ab adolescente nobili ac divite quodam in matrimonium petitur, cui qua ratione dare possint dotem, Senes disquirunt nolentes indicare thesaurum; tandem fingunt quendam quasi a patre virginis absente venientem, & aureos afferentem Philippos mille. Sed ipse Charmides redux illum forte conuenit ante aedes, & omnium paene ignarus, quid rei sit miratur, domum esse venditam irascitur valde, & male suo ominatur amico. Sed causa cognita, eius laudat fidem, filio ignoscit, atque filiam desponsatam adolescenti tradit thori sociam.

§. XXII.

(20.) *Truculentus*, fabula in se quidem elegans & auctori valde probata, *z)* sed misere, nescio quo casu, lacerata caeterisque deprauatior ad nos peruenit. Leuitatem & fraudulentiam meretriciam ob oculos ponit. Scilicet meretrix callida, cui nomen Phronesium, in sui amorem pellicit simul tres adolescentes, vnum vrbanum, quem conficit statim, alterum rusticum, qui in dando profusus est, tertium militem, quem vt compilaret, se grauidam ex eo simulat, eiusque stulta credulitate abutitur satis. Rustico seruus erat saeuus seu truculentus, a quo comoediae nomen inditum, ille filium herilem corrumpi

Huic nomen Graece est Thesauro *fabulae*:
Philemo scripsit, Plautus vertit barbare:
Nomen Trinummo *fecit.* --

z) Vid. quae paulo superius §. 16. in Pseudolo notauimus.

rumpi aegerrime ferebat. Sed tamen emollitur, ac, lupae vt rapiant Domini sui parsimoniam, tacito consensu permittit. Interea temporis virgo compressa ab vrbano filium peperit, quem meretrix a tonstrice allatum, militi quo fucum faceret, supposuit sibi. Causa cognita, virginem vitiatam pater adolescenti vrbano nubere iussit; ac natum a meretrice repetiit.

§. XXIII.

Plauti qualis fuerit dictio, non aliunde rectius, non securius disci potest, quam ex ipsis comoediis, quae nunc quidem in omnium manibus versantur. Palmam ipsi VARRO, Latinae linguae studiosissimus, nec infimi nominis aeuo Ciceroniano scriptor, in sermonibus concedit: *a*) imo nullus dubitat asserere Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent. *b*) Atque etiam TVLLIVS *c*) ipsi tribuit iocandi genus vrbanum, elegans, ingeniosum. A. GELLIVS laudes eius passim praedicat vocitans eum *verborum Latinorum elegantissimum*; *d*) *hominem linguae atque elegantiae in verbis Latinae Principem*; *e*) *linguae Latinae Decus*; *f*) HERMOLAVS BARBARVS *g*) inter restauratores Latinae linguae celeberrimus, Poetam eminentissimum, & *qui tot seculis in*

a) Apud NONIVM MARCELLVM c. 4. n. 377. *b*) Vid. QVINTILIANVS Instit. Orat. lib. 10. c. 1. Vnde HIERONYMVS in Epist. ad Pammachium: *Haec est Plautina elegantia, hic lepos Atticus & Musarum, vt dicunt, eloquio comparandus.* Et aliquando decima inde Plautus vocatur Musa. *c*) De Officiis lib. 1. *Duplex omnino est iocandi genus; vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum, alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum: quo genere non modo Plautus noster & Atticorum antiqua comoedia, sed etiam Philosophorum Socraticorum libri sunt referti.* Confer MACROBIVS Saturn. lib. 2. c. 1. *d*) Noct. Attic. lib. 1. c. 7. *e*) l. 7. c. 17. *f*) lib. 19. c. 8. *g*) Ad Phosphorum Episc. Signinum.

in supremo stetit, nec in comparationem venit, nec in ordinem se cogi patitur. Et I. C. SCALIGER *h*) *Plautus*, inquit, *Romanae linguae lex quaedam fuit.* Et Alibi: *i*) *Plautinae dictionis genus non est nostrum emendare, qui illi sane barbari sumus: aut si Latini, Latini profecto illius beneficio. Numeros non desideramus. Antiquas dicendi figuras non nisi inepti carpere ausint. Erant enim Romae tum Atticismi, quos curiosius seculum postea est aspernatum.* Extra omne dubium Plautus ingeniosissimus & facetissimus Poetarum vt valde elegans, ita lectu iucundus, & perquam necessarius est ad sermonis Latini proprietatem. Quicquid etiam maiori licentia & ludicris actionibus aliquando fingit, conducit mirifice ad locupletandam orationem, verborum copiam, atque sermonis facilitatem. Quare omnino putem nulla iniuria dici posse, quod vulgo praedicare solent de cultoribus Tullii, eos in bonis artibus profecisse, quibus noster ille Latinitatis fons omnium vberrimus & limpidissimus valde placet; & neminem vice versa Plautum amare, quem non melior musa & Phoebus diligunt. Cordatiores itaque & humanitatis quotquot fuere studiosi continua lectione comici huius mirum in modum delectabantur. DANIEL HEINSIVS disertis inquit: *Plautus satis commendari non potest: & quem profecto ita amamus, vt e manibus raro deponamus.* IOH. vero PASSERATIVS quondam professor Regius de se in praefatione quadam testatur, Plautum quadragies perlegisse, neque fastidium lectione eius vnquam coepisse. *k*) Proin recte BARLAEVS cecinit: *l*)

Cur te, Plaute, legunt omnes? quia credimus & nunc
Materies cuncti carminis esse tui.

 §. XXIV.

---

h) De causis Lat. ling. l. 6. c. 29. *i*) Hyspercritico c. 3. *k*) Monatlicher Auszug Anno 1700, Iun. p. 257. *l*) Miscell. libro.

§. XXIV.

Vtrum vero Plautina lectio Ciceronis atque Terentii praeferenda, vel in scholis ad erudiendos tyrones atque formandam Latinitatem promiscue introducenda, consulto opus est. LIPSIVS Plautum praetulit Terentio & stilum ex eo potius formandum esse docet, adhibita quadam Ciceronis mixtura. *m*) Sed merito hac in re a BALZACO *n)* reprehenditur. Nec mirum, ex ingenio suo Lipsium de Plauto omnium leporum atque salium parente ita iudicare, qui ipse passim in oratione sua valde κακόζηλος esse deprehenditur. BARTHIVS *o*) vero etiam Plautum anteferre Ciceroni nullus dubitauit, vbi, *nemo*, inquit, ***Plauto magis proprie locutus est, nemo magis ad usum: vt qui Ciceronem, hoc sepofito, iuuentuti praelegunt, hoc mihi videantur agere, vt scilicet, priusquam Latine, eloquenter doceant tironem scribere.*** Quasi vero aliquis persuaderet discipulis suis, statim ab elaboratissimis orationibus incipere: neque aliud esset, quo feliciori Ciceronis opera possint eloquentiae fundamenta iaci. *p*) Nolo quidem hic definire sententiam, vtrum actiones comoediarum quaelibet, quasi moribus officerent, Lacedaemoniorum & Massiliensium exemplo penitus improbandae, proin e scholis praecipue videantur eliminandae cum omnibus lusionum exercitiis. Nolo, quod insaniae opus erit, adultiorum manibus atque candidatis elo-

m) LIPSIVS epistola ad F. Raphelengium: ***Stilum, meo indicio, Plautus & Cicero tibi perficient, apta quadam mixtura.*** *k*) In dissertationibus Gallica Lingua editis, quae adiiciuntur Socrati eius Christiano. p. 83. 84. *o*) Aduers. l. 50. c. 9. *p*) ARNOLDVS CLAPMARIVS quoque in nobilis adolescentis triennio §. 6. ***Primum***, inquit, ***vehementer velim, initium a Plauto fieri, quippe in quo sermonis elegantia summa est, eaque non vulgaris.*** Confer. CLERICVS Arte critic. lib. 1. p. 48. I. G. WALCHIVS Hist. critic. Latinae linguae c. 6. §. 7. p. 282.

eloquentiae optimum auctorem excutere, cuius lectione non leuiter memet ipsum capi ingenue fateor. Neque pueris etiam prorsus eum, quod faciunt alii, q) denego; ille modo ipsis praelegatur a subactioris iudicii viris, qui multiplicem dictionem Plauti, nec ita promiscue ad vsum & imitationem commendandam, probe discernere possunt & omnimodo studiosae iuuentutis saluti student. Sed hanc volo cautionem ingenuis adolescentibus adhibendam esse continuo. (1.) Plautum ne, quod aiunt, illotis manibus, vel ante iacta purioris Latinitatis fundamenta versare audeant: neque ante hortulum sermonis Latini probe cultum, fonte isthoc satis quidem dulci & grato eum irrigare desiderent. (2.) Concedimus ipsius Tullii testimonio freti, fabulas Plautinas eleganti vrbano, ingenioso, faceto iocandi genere esse refertas, sed isti ne tyrones incauti nimium indulgeant, circumspectius paulo agendum est. Cum enim veterum Graecorum comoedias poeta noster sibi imitandas sumserit, Aristophanis & aliorum more, eam sibi iocando

q) Certe EDMVNDVS RICHERIVS in obstetrice animorum, prolixe agit de Plauti Latinitate e puerorum manibus excutienda. Et perplacet CHRISTOPH. CELLARII de Plauto iudicium, dissert. de fatis Latinae linguae §. 13. quod ingeniosus, elegans & purae pro tempore Latinitatis amans, maxime idcirco commendandus, nisi moribus impurus esset, ac proteruos lasciuosque sales cunctis fabulis suis immisceret, plures etiam de industria ex insalubri & obscoena materia componeret. Quae causa illi sufficiens est, vt adolescentes ab lectione illius reuocandos existimer. Conuenit sententia RAPINI dans ses Reflexions sur la Poetique en particulier §. 26. *Plaute, dit il, est ingenieux dans ses desseins, heureux dans ses imaginations, fertile dans l'invention: il ne laisse pas que d'avoir de méchantes plaisanteries au goust d'Horace, & ses bons mots qui faisoient rire le peuple, faisoient quelque fois pitie aux honestes gens: il est vray qu'il en dit le meilleurs du monde: mais il en dit souvent de fort méchant.*

iocando licentiam tribuit, quae extra ſcenam habere locum minime poteſt. Quare ſi quis velit in re ſeria atque graui, expreſſionibus ridiculis atque leuioribus Plautinis vti, oportet, ipſumet ſeſe aliorum vel miſericordiae, vel ludibrio exponat Exempli gratia voces phraſesque ad riſum captandum in lenonis deſcriptione ſerit mirabiles, vix homini Latino intellectas: *r*)

Vaniloquidorus, *Virginis vendonides.*
Nugipolyloquides, *Argentiexterebronides*,
Tedigni loquides; *Nummorum expalponides*:
Quod ſemel arripides, nunquam poſtea eripides.

Senem quendam vno vocabulo *Turpilucricupidum* vocat *s*) Dentes *Nucifrangibula t*) Eum, qui dentes hominibus frangit, *Dentifrangibulum. v*) Eo pertinent *Famigeratoris* & *Famigerationis* vocabula. *x*) *Oculiſſimus y*) *Ipſiſſimus*, *Geminiſſimus*, *Excluſiſſimus*, *Ocysſimus*, *Sycolatronidae*, *Iuſtitudineae*, *Ferricrepinae*. *z*) Multa miſcet Graeca a) Punica

r) PLAVTVS Perſ. A. 4. S. 6. v. 20. ſeqq. *s*) Trinumm. A. 1. S. 2. v. 63. *t*) Bacchid. A. 4. S. 2. v. 16. *v*) Ibid. v. 23. Confer. VOSSIVS Comment. Rhet. l. 4. c. 1. n. 8. *x*) Refer. Rob. Stephano apud CELLARIVM in curis poſter. c. 5. p. 178. *y*) Vid. IOH. VORSTIVS de Latinitate merito ſuſpecta c. 33. p. 269. *z*) De quibus paulo inferius ex profeſſo agemus. Vid. etiam SAM. WERENFELS. diſſert. de meteoris Orationis p. 298. IOH. FRIDER. REIMANNVS introd. in hiſtoriam vocabulorum LL. p. 16. Et HENR. STEPHANVS diſſert. de Plauti Latinitate, quae addita eſt diſſert. eius de Latinitate falſo ſuſpecta; vbi ſecundum certas claſſes voces & phraſes Plauti inſolentiores diſponit. *a*) Quae exhibet VECHNERVS Helleno-lexia l. 1. c. 2. p. 3. ſeqq. Exempl. gr. Pſeudol. A. 1. S. 5. v. 67. Si. *Ecquam ſcis filium tibicinam Meum amare?* Ps. ὐ δῆ *negare.* Si. *Liberare quam velit?* Ps. Δῆ *nec* τῦτο *negare.*

Vbi

nica multa praesertim in Poenulo, quae obseruationibus suis quamplurimi illustrarunt. *b*) Aliquando fingit etiam sub rusticis personis vocabula admodum rustica, ut decoro inseruiat. Ita Stratilax seruus *c*) *Villator* pro *cauillatore*, dictionis capite truncato, barbare dixit. Cuius adeo absurda & imperita pronunciatio vel ex eo patet, quod Astaphium ancilla vrbana mentem eius nonnisi diuinando assequi potuerit. Noui quidem, vulgo apud Plautum legi:

Dicax sum factus. iam sum cauillator d) probus.

Sed ita versus statueretur vitium, quod in legem iambici trimetri committit syllaba abundanti: neque ratio fuisset, qua ipsi eum minus intelligens ancilla respondere potuerit:

Quid id est, amabo? istaecce ridicularia
Cauillationes vis fortasse dicere?

Pari modo ille *e*) *Rabonem* habeto, inquit, pro *arrabonem*. Quo iterum miratur ancilla paulo vrbanior atque regerit:

R *Perii.*

Vbi quando Graeca Latinis immiscet, quae nihil emphaseos habent, aeque ridiculus fit, ac si quis Germanice dicat: *non debemus* leugnen: *an vis* mit mir gehen. *b*) SELDENVS de Dis Syris proleg. c. 2. p. m. 17. seqq. alios Auctores recenset I. A. FABRICIVS biblioth. Latina l. 1. c. 1. p. m. 5. MORHOFIVS polyhist. liter. lib. 4. c. 5. §. 8. l. 4. c. 11. §. 5. p. m. 843. *c*) Trucul. A. 3. S. 2. v. 15. *d*) MVRETVS legit, quod & nobis valde arridet:

Dicax sum factus, iam sum villator probus.

TAVBMANNVS:

- - *iam sum cauliator probus.*

Nam hominem a villa & rure sumsisse quiddam de copia domestica, & ad caulas ouium suarum alludentem *cauliatorem* pro cauillatore dixisse. Atque etiam ille ad exemplum istud e sequentibus versum emendare voluit:

Ita vt pauxillum differat a caululis.

e) Trucul. A. 3. S. 2. v. 20.

Perii. Rabonem? quam esse dicam hanc beluam?
Quin tu arrabonem dicis? ---

Et huius generis dictiones mille alias ioci causa, vel ad captandum risum formauit, quas, vbiubi obuenient, comicae putet esse licentiae sedulus & ingeniosus salium Plautinorum lector, neque istas sibimet ipsi temere permittat. Nam & hic omnino audiendum est seculi Augustei iudicium, quod Venusinus Poeta *f*) exprimit quam elegantissime:

At nostri proaui Plautinos & numeros &
Laudauere sales; nimium patienter vtrumque,
Ne dicam stulte mirati; si modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus & arte.

Quod quidem Horatii de Plauto iudicium sine iudicio summus SCALIGER *g*) esse voluit: Sed legi meretur de hoc capite DANIELIS HEINSII viri clarissimi dissertatio, quae plerisque Terentii editionibus addi solet. (3.) Multa apud eum decore dicuntur quidem a seruo aut lenone, quae si nostrae inserimus orationi, eam satis protritam ac plebeiam reddimus: cuiusmodi sunt *Contechnare, Collutulare* similiaque ab nobis alibi notata. (4.) Si quid obscoenum occurrit (vt lasciua illorum temporum scena fuit) absit inde turpitudinis macula concipiatur, sed per istud properare ita decet, vt quasi per mediam saburram ad aliquod pudicitiae sacellum confugere videamur: ne forsan adolescentulorum insanos amores, blandas meretricum gestiones, lenonum atque parasitorum obscoena

---

f) HORATIVS in arte Poetica. *g*) Ita ille Animaduersionibus in Eusebium, extremo suo opere: *Quis adeo*, inquit, *auersus a Musis, vt lepore & salibus Plauti & Laberii non tangatur? Horatii iudicium sine iudicio est; qui etiam de Choerilo Poetae versibus nimis praepostere iudicauit.*

ſcoena dictamina, ſeruorum atque liberorum fallacias, fraudes, & impia ſexcenta alia aduerſus parentes molimina hauriamus. Verum potius quosuis hominum mores in alienis perſonis ad noſtri ipſius correctionem perſpiciamus, & expreſſam vitae humanae examinemus imaginem, quo reuocare ad examen omnia, ac fugere vitia cumprimis per omnem vitam diſcamus. (5.) Deprehenduntur in huius aeui ſcriptoribus archaiſmi quamplurimi, verba obſoleta ſqualitaque paſſim; in comoediis praecipue multoties obuia: vt ſunt v. gr. *Abſtulo* pro *aufero*, *Adaxint* pro *adegerint*, *Amaſſo* pro *amauero*, *Amplectere* pro *complecti*, *Hibus* pro *his*, *Mederga* pro *erga me*, & huius furfuris infinita alia Ciceronis temporibus & Latinitatis ſeculo feliciſſimo *h*) abrogata, quaeque nunc deſuetudine & longa obliuione ſepulta iacent. Illa ergo nimis priſca, & fere deſita verba, ſecundum monitum Doctiſſimi IOH. PASSERATII, qui Plautum colere inſtituerunt, ſibi tantum ad cogitationis oblectationem ſeponant, hominum elegantiorum more, qui antiqua poſſident ac probe diſcernere poſſunt vaſa, ſigilla, numiſmata, alia, quae, vtut habeantur recondita, delectant tamen, neque depromta *i*) inter ſupellectilem quotidia-

 nam

h) Nihil enim nos mouet aliorum ſententia, qui cum caeteris, Terentio ſaltem, noſtrum iure merito inter optimi ſeculi iſtius ſcriptores numerandum eſſe affirmant & contendunt. Ego quanquam, luſtratis hactenus conſpicuis Plauti meritis a tot tantiſque rei literariae luminibus approbatis, & ſi quae alia circa eius comoedias notatu digna putauimus; minime gentium iſti ſumma praeconia laudum detrahere poſſum, neque detraho; ad eam tamen LL. aetatem, quin referendus ſit, obſtant multifaria &, praeter illos iamiam commemoratos archaiſmos, plura alia, ſuo loco plenius deducenda. *i*) A. GELLIVS lib. I. c. 10. *Id quod a C. Caeſare -- ſcriptum eſt, habe ſemper in memoria atque in pectore; vt tanquam ſcopulum, ſic fugias inauditum atque inſolens verbum.*

nam deteruntur. Denique (6.) ſirpos vitent ac Plautinarum quaeſtionum cruces, in quibus aliquando viros doctiſſimos ſe fruſtra torſiſſe videmus. Quibus cautionibus probe obſeruatis, pro lubitu quilibet Plautum ipſum adire poteſt, neque exiguam ex eius fabellis voluptatem percipiet: neque fontem Latini ſermonis dulciorem ad hortulos ſuos irrigandos deſiderare poterit: maxime ſi colloquia valde familiaria & dictiones quotidianas e variarum perſonarum concurrentium ſermonibus haurire, ſuasque inde ephemerides atque ἀναλύσεων libellos perſundere velit; quod fieri neceſſario debet, cum hodie ex nullius populi conſuetudine ratio & facultas addiſcendae Latinae linguae alia ſuppetat.

§. XXV.

Reſtat vt, quantum fieri poteſt, breuiter nobiliores Plauti editiones, & merita eorum qui ſuam iſti nauarunt operam, indicemus. k) Certe olim ſummi viri multiplex in Plautinis comoediis enucleandis ſtudium poſuere. Memorantur Plautinae quaeſtiones a Varrone conſcriptae, l) qui iis temporibus vixit, quibus eruditio literarum & elegantior doctrina Romanos inter maxime floruit. Sic quoque Arvntivs Celsvs, Flavivs Caper, Lvcivs Sisenna, Q. Terentivs Scavrvs, alii veteres Grammatici, noſtrum illuſtrauere Poetam. Sed iam pridem omnium iſtorum labores intercidere. Poſt inuentam vero perutilem & nunquam ſatis laudatam artis typographicae operam, editiones & commentationes omnium aetatum, omnium locorum noſtras manus oppleuerunt. Per ſecula quasdam notiores breuiter recenſere operis erit pretium. Prodiit, quantum memini, primo

---

k) Confer, Morhofivs polyh. liter. lib. 4. c. 11. §. 5. I. Alb. Fabricivs biblioth. Latina lib. 1. c. 1. §. 8. ſeqq. I. G. Walchivs hiſtor. critic. L. L. cap. 7. Alii. l) Vid. A. Gellivs Noct. Attic. lib. 3. c. 3.

primo Plautus *Venetiis* 1472. in folio, cura GEORGII MERVLAE Alexandrini; editio haec recusa est 1490. & per EVSEB. SCVTARIVM recognita, vel potius interpolata. Porro 1499. in fol. editio SIMONIS PAPIENSIS cum castigationibus & enarrationibus BERNHARDI SARACENI & IOH. PETRI VALLAE. *Taruisina* 1482. *Dauentriensis* 1482. *Vlmensis* 1499.

§. XXVI.

Seculo decimosexto clariores habentur editiones quae prodiere *Venetiis* 1511. in folio cum BERNHARDI SARACENI & IOH. PETRI VALLAE & IOH. BAPTISTAE PII Bononiensis commentario. Anno 1518. in folio, cum notis SARACENI, VALLAE, PII, PYLADIS, VGOLETI & FRANC. MARII GRAPALDI, quibusdam additis iconibus ligno incisis. Anno 1522. in 4. editio ALDINA, audacissima fullonis manu interpolata. *Mediolani* 1500. in folio, cum sacerrimo IOH. BAPT. PII commentario. *Parmae* 1511. in folio, cum notis THADDAEI VGOLETI, GRAPALDI & ANSELMI; non magna cum re omnium, quantumuis realia tantum tractare se professi sint. Mater huius editionis deprauatissimae est *Brixiensis*, quae anno 1506. cum commentariis PYLADAE BVCCARDI prodiit. *Florentiae* 1514. in 8. cura PHILIPPI IVNTAE. Anno 1522. in 8. cura NICOLAI ANGELI BVCCINENSIS. Rursum 1554. in 8. *Parisiis* 1513. in 8. SIMONIS CARPENTARII. Anno 1535. in folio ROBERTI STEPHANI. Anno 1577, & 1587. in folio, cum insignibus DIONYSII LAMBINI commentariis. *Lugduni* apud GRYPHIVM 1535. & 1540. in 8. & 1554. in 16. *Lugduni Batauorum* 1595. in 12. e recensione IANI DOVSAE filii. *Antuerpiae* Plantiniana 1566. in 12. cum IOACH. CAMERARII, COELII SECVNDI CVRIONIS, IOH. SAMBVCI, ADR. TVRNEBI, ADR. IVNII, CAROLI LANGII & aliorum castigationibus. Anno 1589. in 12. e recensione IANI DOVSAE filii cum breuibus eius animaduersionibus. *Geneuae* 1595. in 4. cum insignibus

Dionysii Lambini commentariis.* *Basileae* 1523. quae Taubmanno vocatur nullius bonae rei, & malae Brixienſis peior ſoboles. Anno 1545. in 8. Ioachimvs Camerarivs primo comoedias quinque recenſuit; deinde 1551. & 1558. in 8. apud Hervag. integrum Plautum reſtituit, praefixa de carminibus comicis diſſertatione. Anno 1568. in 8. apud Hervag. cum caſtigationibus variorum, Andreae Alciati Mediolanenſis de Plautinorum carminum ratione libello, & lexico Plautino. Anno 1573. in 8. editio Andreae Cratandri. *Heidelbergae* 1581. in 8. e recenſione Lambini. *Coloniae* 1538. editio Gyberti Longolii Vltraiectini. Anno 1578. cum inſignibus Dionysii Lambini commentariis. *Lipſiae* 1506. 1511. 1512. in folio ſingulae Plauti comoediae prodierunt.

§. XXVII.

Sequenti ſeculo comicus noſter publicam lucem vidit *Pariſiis 1679.* in 4. cura Iacobi Operarii Conſtantienſis presbyteri, cum interpretatione, notis, & omnium vocabulorum indice, in vſum Delphini. *Amſtelodami 1650.* forma minori e recenſione Ioh. Isaaci Pontani. *Lugduni Batauorum 1645. 1664. 1684.* in 8. cum Boxhornii & variorum notis. *Geneuae 1605.* & *1622.* in 4. cum Dionysii Lambini commentariis. *Spirae* ſeu *Neapoli Nemetum 1619.* in 4. e recenſione Ioh. Philippi Parei. *Francofurti 1605. 1612.* & *1621.* in 4. editiones Tavbmannianae, quarum vltimam minus emendatam eſſe conqueritur etiam Thomas Crenius animaduerſ. Hiſtorico-Philologicarum part. 16. p. 121. Anno 1610. in 12. e recenſione Iani Dovsae filii. Anno 1610 & in 8. Plautum edidit *1641.* Ioh. Philippvs Parevs cum ſuo commentario & lexico. Sed ille vel ideo male audit, quod diſſimulatis nominibus aliorum commentarios in ordinem elemento-

rum

rum compilauerit. *Wittebergae* prodiit *1640. 1652.* & *1659.* e recensione AVGVSTI BVCHNERI.

§. XXVIII.

Sub pari aetate cum Plauto, inter bellum Punicum secundum & tertium, floruit PVBLIVS TERENTIVS *Afer m)* comicus nulli sermonis elegantia & latinitate secundus. Carthagine obscuro genere natus, anno conditae vrbis Romae DLXII. & puer Romam profectus, seruus factus est Terentii Lucani Senatoris Romani. Hic, vt prudens erat ingeniorum aestimator, seruulum eum omnibus doctrinis erudiendum curauit, vt linguam Latinam non didicerit modo, sed prorsus excoluerit, neque inter Romanos ipsos fuerit qui cum eo, vel arte, vel eloquentia, conferri potuisset. Atque ita nostrum a Domino suo, propter eximiam & formae *n)* & ingenii gratiam, non solum liberaliter institutum, verum etiam satis mature fuisse manumissum scriptores tradidere. *o)* Quidam illum a Scipione Africano, bello Punico secundo, captum, & in pristinam libertatem restitutum fuisse arbitrantur. Ita FABIVS: *p) Terentium, quem inter caeteros captiuos, secundo Punico bello, Scipio Africanus vinculis exoluerat, memoriae tradidere maiores, insigne receptae libertatis pileo testantem, in triumpho ducis esse conspectum.* Et

m) Notandum, duos fuisse Terentios Poetas, id quod confirmat Metius apud DONATVM, quorum alter Fregellanus fuerat, Terentius Libo, libertinus alter, qui est noster Terentius Afer. *n)* Fuit autem mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Vid. AELIVS DONATVS, seu potius SVETONIVS TRANQVILLVS in vita Terentii, quae illius comoediis vt plurimum praemittitur; eam vero Suetonii esse, non Donati, cui adhuc falso tribuitur, inter alia circa finem vitae verba satis clare innuunt: *Haec Suetonius Tranquillus &c.* *o)* DONATVS vel SVETONIVS l. c. *p)* Declamat. 9. siue Gladiator. Modo verus sit Fabius auctor.

Et PAVLVS OROSIVS: *q*) *Scipio iam tunc cognomento Africanus, triumphans vrbem ingressus est, quem Terentius, qui postea comicus, ex nobilibus Carthaginiensium captiuis pileatus, quod indultae sibi libertatis insigne fuit, triumphantem post currum secutus est.* Sed hoc nullo modo fieri potuisse, docet FENESTELLA, *r*) cum in fine belli Punici secundi natus, & ante initium tertii mortuus sit; nec, si a Numidis aut Getulis captus, ad Ducem Romanum peruenire potuisset, nullo commercio inter Italicos & Afros, nisi post deletam Carthaginem, stabilito. Accedit, quod LIVIVS Terentium, qui pileo capiti imposito Scipionem triumphantem secutus, non comicum nostrum, sed Culleonem illum fuisse testatur *s*) Senatorem Romanum, qui hucusque apud Carthaginienses captiuus Romanis tum tradebatur, *t*) postea legati *v*) & Praetoris munere *x*) insigni cum laude fungebatur. At Poeta noster impendit operam scenae, & comoedias scripsit, quarum primam, quae *Andria* vocatur, cum Aedilibus traderet, vt ageretur, iussus est eam prius recitare *Aecilio Aedili. y*) Venit ergo contemtiore vestitu admit-

q) Histor. lib. 4. c. 19. *r*) Apud DONATVM l. c. *s*) T. LIVIVS Hist. Rom. lib. 30. c. 45. *t*) Ibid. lib. 30. c. 43. *v*) Ibid. lib. 33. c. 33. *x*) Ibid. lib. 38. c. 42. & 54. *y*) Pro quo perperam *Caecilius* vulgo legitur apud DONATVM in vita Terentii: *Scripsit comoedias sex, ex quibus primam Andriam cum aedilibus daret, iussus ante Caecilio recitare &c.* Et HIERONYMVM in olymp. 155. an. 3. *P. Terentius Carthaginiensis Comoediarum scriptor, ob ingenium & formam libertate donatus, in Arcadia moritur, qui primam Andriam, antequam Aedilibus, Caecilio multum se miranti legit.* Enim vero Caecilius Poeta ille, quem substituunt, biennio antequam comoedia haec vulgaret, L. Paulo & C. Crasso Coss. decesserat, anno post mortem Ennii. Neque illi itidem seruilis conditionis homini & Poetae, quae memorantur circumstantiae & Auctoritas respondet. Nihilominus errorem istum PETRVS CRINITVS & plerique alii secuti fuere. Dissentit vero etiam VOSSIVS de Poetis Latinis c. 1.

ad illum coenantem, & iuxta lectulum residens subsellio, quae habeat, legere monitus est. Postquam vero Acilius lectos cognouerat paucos versus, mirabatur &, accumberet vna coenandum, vtut sordidus esset, inuitabat comicum. Ita ille cum maximo Aedilis applausu in lectulo caetera percurrit & absoluit. Atqui etiam vel ex eo, quanti eius opera haberetur, satis patet, quod cum in scenam duceret Eunuchum comoediam, octo nummorum i. e sestertium millia, quantum ante eum nemo, reportauerit pretium. Nec minus reliquas probauit populo. Hinc inuidia, hinc rixae, hinc maleuolorum Poetarum clamores, quasi aliena pro suis venditet, aliorum vtatur opera, auxilio atque consilio, fabulas mixtas & inter se confusas exhibeat, multas contaminet Graecas, dum faceret paucas latinas, &c. quibuscum in omnibus fere eius comoediis controuersiam habuisse apparet. Vrgebat eum cumprimis Luscius Lauinius, & quasi publici aerarii furem criminabatur Poetam; vnde ipse, z) *exclamant*, inquit, *furem non poetam fabulam dedisse*; & alibi: *a) Pernoscite, furtumne factum existimetis, an locum reprehensum, qui praeteritus negligentia est.* Pleraque Menandri se transtulisse, & dudum actas spectatoribus repraesentare fabulas, sed dissimili oratione & stilo prorsus alio factas, ipse ingenue fatetur. Sed & haec non obscura fuit eius fama, ope nobilium iuuenum, maxime Laelii & Scipionis Africani, quibuscum valde familiariter vixit, suas composuisse comoedias: vel, vt ipsius Poetae verbis vtar, *b*)

Repente ad studium hunc se applicasse musicum
Amicum ingenio fretum, haud natura sua.

S Vnde

z) In prologo Eunuchi. *a*) In prologo Adelph. Confer. IACOBVS THOMASIVS de plagio liter. §. 554. *b*) Heautontim. prol. v. 24.

Vnde CICERO: c) Terentii *fabellae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi.* Atque etiam Scipioni Africano Terentianas fuisse adscriptas, a FABIO d) discimus. *In comoedia,* inquit, *maxime claudicamus: licet Varro dicat, Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent: licet Caecilium veteres laudibus ferant: licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quae tamen sunt in hoc genere elegantissima, & plus adhuc habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent.* Aduersus eam suspicionem tum quidem non nisi leuiter se tutari conatus est, quin eam famam sibi laudi duxerit. Ita certe effatus: e)

- - Quod isti dicunt maleuoli, homines nobiles
Eum adiutare, assidueque vna scribere:
Quod illi maledictum vehemens esse existimant,
Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet,
Qui vobis vniuersis & populo placent.
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore vsus est sine superbia.

Sciebat enim Laelio & Scipioni nobilioribus & famae auitis adolescentibus non ingratam esse hanc vulgi opinionem. At si poetae aliorum studio & auxilio fuisset opus, iam dudum scriptoribus visum est, eum facilius virorum aetate & ingenio praestantium, quam iuuenum auctoritate quidem, non annis vel arte maiorum, opera vti potuisse. Quemadmodum etiam in componendis fabulis dicebatur adiuuari a *C. Sulpicio Gallo*, homine docto, qui primus in consularibus ludis fabulas dedit; *Q. Fabio Labeone* & *M. Popilio* vtroque consulari ac poeta; f) magistris aliis. Post editas sex comoedias, vel vt euitaret famam

---

c) Epist. 3. lib. 7. ad Atticum. d) Instit. Orat. lib. 10. c. 1. e) In Prolog. Adelph. v. 15. seqq. f) DONATVS in vita Terent.

mam aliena se pro suis edere, vel vt aliorum mores & instituta perciperet, in Graeciam tendit, & Roma relicta nunquam redit. Vnde VOLCATIVS: *g*)

> *Sed vt Afer sex populo edidit comoedias,*
> *Iter hinc in Asiam fecit; nauim cum semel*
> *Consc ndit, visus nunquam est: sic vita vacat.*

Alii putant, e Graecia redeuntem cum 108. translatis Menandri fabulis periisse; alii morbo eum, ex acri dolore ac taedio amissarum, quas fecerit nouas & in naui praemiserit, comoediarum attracto, in Arcadiae Symphalo, siue Leucadia, aliquot supra triginta annos natum, ab V. C. DXCV. Cn. Cornelio Dolabella & M. Fuluio coss. exspirasse tradunt. *h*) At MARIANVS SCOTVS, nescio quos secutus auctores, eum quadriennio post, anno Iↄxcix. P. Cornelio Scipione Nasica II. & M. Claudio Marcello II. Coss. in Achaia mortuum esse scribit. Reliquit filiam nuptam Equiti Romano; & hortulos XX. iugerum, via Appia ad Martis villam. Quod PORCII de illius paupertate sententiam conuincit: *i*)

> *Dum lasciuiam nobilium & fucosas laudes petit,*
> *Dum Africani voci diuinae inhiat auidis auribus,*
> *Dum ad Furium se coenitare & Laelium pulcrum putat,*
> *Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi*
> *Ob florem aetatis suae; ad summam inopiam redactus est.*
> *Itaque e Conspectu omnium abiit, in Graeciam terram vltimam.*

 Mortuus

---

g) Apud DONATVM l. c. *h*) Vid. omnino DONATVS vel si mauis TRANQVILLVS in vita Terentii, quae vt plurimum huic classico auctori praemittitur. Confer. HIERONYMVS in Chron. Euseb. Olymp. CLV. ann. 3. Assentit quoque AVSONIVS in Gripho Senarii epist. 18. *Protulit in scenam, quos dramata fabellarum, Arcadiae medio qui iacet in gremio.* *i*) Apud DONAT. l. c.

Mortuus eſt Symphalo Arcadiae oppido. Nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam,
Saltem vt eſſet, quo referret obitum Domini ſeruulus.

Epitaphium Terentii, quod ex antiquo cod. MSS. in bibliotheca Regis Galliae PHILIPPVS LABBE in theſauro epitaphiorum & paſſim alii habent, ex ipſius perſona hexaſticho conſcriptum ita ſonat:

Natus in excelſis tectis Carthaginis altae,
Romanis ducibus bellica praeda fui.
Deſcripſi mores hominum iuuenumque ſenumque,
Qualiter & ſerui decipiant Dominos.
Quid meretrix, quid leno dolis, quid fingat auarus.
Haec quicunque legit, ſic, puto, cautus erit.

Conferatur pluribus Doctiſſima CASPARIS SAGITTARII, de vita, ſcriptis, editionibus, interpretibus, lectione atque imitatione Plauti, Terentii, Ciceronis, commentatio.

§. XXIX.

Sex proſtant numero comici noſtri elegantiſſimae comoediae, neque veteribus cognitae fuerunt plures ab illo conſcriptae. Verſantur illae nec immerito literatorum omnium, imo & tirunculorum manibus, & vulgo ſatis notae ſunt. Breuiter tamen, & operis erit pretium, libet percurere ſingulas ac, praeter argumenta, quaedam ſcitu maxime neceſſaria notare. (1.) *Andria* omnium primo in ſcenam producta eſt, & fabulam in ſe continet iſthanc. Chremes ciuis Atticus, duarum forma egregiarum Paſibulae & Philumenae pater, quarum altera Phaniae patrui concredita fidei, & in Andria relicta perditaque, vt falſo credebatur, Philumenam perdite ab Atheni-
enſi

ensi Adolescente Charino amatam despondit Pamphilo Simonis filio. Hic contra Glycerium, falso creditam Chrysidis Andriae meretriculae sororem latenter sic amauit, vt vitiarit eam, & grauidae, sibi fore sociam thori, fidem dederit. Inscio patre filium suscipit ex Glycerio natum, quem cum videret Chremes, generum abdicat. Interim Simo variis commotus suspicionibus de amore filii, propediem simulat futuras nuptias, eo melius vt forte animum eius cognoscere posset. Non repugnat quidem Pamphilus, cum id ipsi Dauus persuaderet, seruus ille totus consutus fallaciis; sed vtrinque cumprimis cognito puerperio maximae concitantur turbae: donec Athenas quidam venit Crito Andrius, qui rerum aperit statum, soluitque nodum fabulae: Glycerium illam esse Pasibulam Chremetis filiam, quae proinde agnita recipitur a parentibus, & summa omnium laetitia Pamphilo, Philumena autem Charino in matrimonium datur. Scenam adeoque, nemo non videt, fingi esse Athenis, in hac & in omnibus reliquis comoediis. *k*) Imitatus est duas Menandri Andriam & Perinthiam, ex quibus quae conuenere transtulit, vt ipse fatetur. *l*) Romae acta anno ab V. C. IↃLXXXVIII. C. Sulpicio Gallo & M. Claudio Marcello Coss. M. Fuluio & M. Acilio Glabrione Aedilibus; ludis Megalensibus qui consueuerant celebrari festo Deae Cybeles, siue Deae magnae.

§. XXX.

(2.) *Hecyra* continuo sequebatur Andriam, sed non eodem successu spectabatur, neque tota tunc erat peracta statim. Haec tractat. Pamphilus, Lachetis & Sostratae filius, amore flagrabat Bacchidis meretriculae, ad quam cum noctu temulentus iret, Philumenam, Phidippi & Myrrhinae filiam, inco-

 gnitus

k) Vid. PETRUS NANNIUS Misc. lib. 2. c. 3. *l*) Prolog. v. 9. seqq.

gnitus incognitam in via vi ſtuprauit, eiusque de digito in ipſa lucta detraxit annulum, quem Bacchidi poſtea dedit amicae. Caſu fortunaque inſciis omnibus illa ipſa vitiata Philumena Pamphilo datur in matrimonium a patre, vt meretricias poſſit facilius effugere illecebras. Verum enim vero ille Bacchidis detentus conſuetudine ipſam quam duxerat vxorem duobus menſibus nequidem attingere voluit, donec amicitiae nomine tectus intrauerit amor & lentus: vt magis magisque vxor illi placere, Bacchis autem, quaſi laeſa nuptiis, placida minus & immorigera eſſe coeperit. Tum Pamphilus in Imbrum proficiſcitur, domi relicta vxore, cuius interim capitur amore & iuſto & mirifico. Is cum peregre abeſſet, Philumena triſtis & miſera, quae aliena ſibi videbatur fuiſſe compreſſa libidine, & grauida vterum intumeſcere ſentiebat, quantumuis nihil adhuc rei habuerit cum marito; confugit ad matrem, quae ſola cognouerat, eam ex ſtupro concepiſſe. Septimo poſt nuptias menſe parit clam omnibus, & ipſis parentibus, & ſocero. Domum redux Pamphilus partum comperit, rem domeſticam, vt aliunde commaculata, apparuit, moleſte fert, ſuaque dolet perdidiſſe gaudia ſuauesque amores. Denique ſecum conſtituit vxorem quidem dimittere, ſed tamen eius nunquam prodere peccatum. Inſtat vero cum patre ſocer, inſcius quid rei accidiſſet, vt domum reducat ſuam. Non vult, neque etiam, vtut rogitando obtunderetur, ſignificat cauſam. Suſpicantur inde eum Bacchidis amore deuinctum adeo alieno ab re vxoria eſſe animo, ſuamque auerſari thori ſociam. Accerſita dum ſe purgat Bacchis, ſocrus in illius digito conſpicit Philumenae annulum, quem, ſtupratae olim in tenebris detractum, Pamphilus dono dederat meretrici. Ita re palam facta, partum agnoſcit Pamphilus, in gratiam cum

vxore redit, eam ſimul atque natum recipit & maximo omnium applauſu domus ſuae calamitatem in priſtinas delicias conuertit. Acta eſt haec fabula Romae anno vrbis IↃLXXXIX. T. Manlio Torquato & Cn. Octauio Nepote Coſſ. Sexto Iulio Caeſare & Cn. Cornel. Dolabella Aedilibus curulibus, in ludis Romanis, qui menſe Septembri peculiariter celebrari ſolebant. Sed peragi non potuit, quoniam, vt ipſius Poetae verbis vtar, *m)*

- - Populus ſtudio ſtupidus in funambulo
Animum occuparat. - -

Nec longe poſt inquit: *n)*

Cum primum eam agere coepi, pugilum gloria,
Funambuli eodem acceſſit exſpectatio:
Comitum conuentus, ſtudium, clamor mulierum
Fecere, vt ante tempus exirem foras.

Secundo ludis funebribus eſt data anno IↃXCIV. L. Anicio Gallo & M. Cornelio Cethego Coſſ. Q. Fuluio & L. Marcio Aedilibus curulibus; neque tunc multum plauſus meruit propter gladiatorum exſpectationem, vt ipſe indicat Poeta: *o)*

- - - Refero denuo.
Primo actu placeo: cum interea rumor venit,
Datum iri gladiatores, populus conuolat:
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
Interea ego meum non potui tutari locum.

Tertia proin exhibetur vice eodem anno, turbaque pro voto applaudente ad finem vſque perducitur. Deſumta haec eſt a comico Apollodoro; potuit ſimul etiam Menandri *ἐπιτρέποντα* ante oculos habuiſſe: & neſcio quid ſibi VOLCATIVS *p)* velit,

m) Hecyr. prol. v. 4. *n)* Ibid. v. 33. *o)* l. c. v. 38. *p)* Apud DONATVM in vita Terentii.

velit, cum reliquas aequaliter approbauerit, scribens:
Sumetur Hecyra sexta ex iis fabula.

§. XXXI.

(3) *Heautontimorumenos*, comoedia elegantissima parentum depingit vitia, & vehementiores aliquando ergo liberos affectus. Scilicet Menedemus Cliniam filium, quod perdite amaret Antiphilam, prope iam vt pro vxore haberet eam, caetero adolescentem modestum & frugi inclementius tractat, victumque iurgiis & contumeliis, in Asiam militatum clam abire coegit. Absentem multo impotentius desiderat, factique poenitens semetipsum laboribus cruciare constituit: quicquid etiam Chremes, quem vt ex vicinitate amicum, ita monitorem habuit, contra durum eiusmodi vitae genus praeposuerit. Clinia fugitiuus, cum iam tres menses abfuisset, amicae desiderio reuertitur, sed patris veritus iram & asperitatem, diuertit ad sodalem Clitiphonem suum, Chremetis filium. Quo ad se accersi iubet Antiphilam noster aduena, Clitipho Bacchidem, quam deperibat, suam, meretricem procacem, sumtuosam & nobilem. Vt vero Chremeti fucum facerent, Bacchidem simulant esse delicias Cliniae, & Antiphilam vnam ex eius pedissequis, gerentibus habitum atque vestes. Postero die cum ad Menedemum accederet Chremes & laetum de reditu filii nuncium afferret, inter alia, quae monenda & vtilia esse putauit, nimiam illi dissuadet indulgentiam, quandoquidem illa Cliniae amica (quam Bacchidem esse ducebat) iam non paupercula sit, vel paruo, vt ante, contenta; verum sumtuosa nimis & potens & gemmis ornata & numerosam secum ducens familiam; quae sibi vna nocte tantum non paupertatem attulerit. Interim qui foris nimium, domi ne hilum quidem sapere visus est. Technis enim Syri illius

illius serui summa & audacia & astutia, decem minarum prius ab isto emungitur argentum, quod Bacchidi pollicitus erat dare, quam comperit ipsius filii Clitiphonis rem agi. Haec dum moliuntur Sostrata materfamilias Chremetis vxor, viso annulo, Antiphilam cognouit esse filiam suam, quam proinde laetis auspiciis collocarunt Cliniae liberaliter amanti; & ipse Clitipho, meretriciis amoribus relictis, aliam vxorem ducturum pollicetur. Tota haec fabula Graeca est a Menandro, quam noster latine transtulit, inscriptione seruata etiam ab auctore Graeca, vt ipse praefatur: q)

Ex integra Graeca integram comoediam
Hodie sum acturus Heautontimorumenon.

Graece ἑαυτὸν τιμωρούμενος eum significat, qui se ipsum punit, vel excruciat. r) Acta est haec comoedia Romae Anno IↃXC. T. Sempronio & Man. Iuuentio Coss. L. Cornelio Lentulo & L. Valerio Flacco Aedilibus Cur. in ludis Megalensibus. Actus priores binos huius dramatis Poeta vespere dedit, reliquos proximo mane, adeo vt non nisi biduo fabulae argumentum explicari potuerit. Et eo quidam s) existimant respicere versum, t)

Duplex quae ex argumento facta est simplici.

Alii v) non ad tempus, sed ad materiam illum referunt & duplicem ex simplici factam putant, quod, quum in Menandri

T Heau-

q) In prologo huius Comoediae v. 4. 5. r) Apud CICERONEM Tuscul. lib. 3. c. 27. *Quid ille Terentianus ipse se puniens.* Vid. etiam HORATIVS Serm. lib. 1. Satyr. 2. v. 20. s) Vid. SCALIGER Poetic. lib. 6. c. 3. t) Prolog. Heaut. v. 6. v) Vid. PETRVS NANNIVS Miscell. lib. 1. cap 4. & Celeb. I. A. FABRICIVS supplem. Bibl. Latin. lib. 1. c. 3. Controuersia, quae Aegidio Menagio, super hac comoedia, cum Hedelino Abbate Albignacensi intercessit, videatur in Ephemeridibus literariis Parisiensibus Anni 1691. p. 65.

Heautontimorumeno vnus fuerit ſenex, vnus filius, vna amica, vnus ſeruus, Terentius omnes geminauerit. Docti lectoris hac de re arbitrium doctum & exiſtimatio valebit.

§. XXXII.

(4.) *Phormio ἀπὸ τῆς φορμίδος* a ſportula viminea obſonio ferendo *x*) Paraſiti nomen eam inſignit fabulam, quam noſter ex Apollodori ἐπιδικαζομένη expreſſit, cuius rei praeter Donatum, ipſe teſtis eſt; *y*)

- - *Apporto,* inquit, *nouam*
Epidicazomenon quam vocant comoediam
Graeci, Latini Phormionem nominant:
Quia primas partes qui aget, is erit Phormio
Paraſitus, per quem res geretur maxume. z).

Argumentum fabulae propemodum hoc eſt. Fratres erant duo Athenienſes Chremes & Demipho. Chremes domi Nauſiſtratem opulentam duxerat vxorem, & filium ſuſceperat ex ea Phaedriam. Sed & aliam forma praeſtantem, at pauperculam, ſibi iungit thori ſociam in Lemno, quo, ad bona locanda fructusque capiendos, quotannis abiit, ac nomine commutato, fraudem vt magis tegeret, Stilphonem ſe vocans, cum illa conſueuit, quae lepidiſſima puella, Phanio nominata, cum parentem

x) Confer. ERYCI PVTEANI Amoenitates p. 48. *y*) Huius Comoediae prol. v. 25. *z*) Eo ſine dubio reſpicit OVIDIVS Triſt. lib. 2. v. 359.

Nec liber indicium eſt animi, ſed honeſta voluptas,
Plurima mulcendis auribus apta ferens.
Accius eſſet atrox; Conuiua Terentius eſſet;
Eſſent pugnaces, qui fera bella canunt.

Negat noſtrum eſſe *conuiuam* h. e. paraſitum; neque intelligit hominem qui honeſtis epulis atque conuiuiis gratus atque iucundus hoſpes intereſſe nequeat.

tem fecit. Demiphoni filius erat Antipho, cui patruus quindecim annorum Phanium ſuam, adhuc incognitam omnibus, in matrimonium daturum fidem facit, & conſilium capit vna cum fratre ſuo, qua ratione poſſit clanculum adducere cum nato vxorem Lemniam. Iſtud efficiendum, iter inſtituit eodem tempore, cum Demipho in Ciliciam proficiſceretur. Vterque filium ſuum, hic Antiphonem, ille Phaedriam, committit Getae ſerui cuiusdam fidei. Interim illa, quam furtim duxerat in Lemno Chremes, paupertate vel amore coacta, quaeſitum coniugem, Athenas vna cum Phanio filia transfretauit: vbi cum fruſtra Stilphonem diu quaeſiuerit, vel ex aegritudine diem obiit ſupremum. Matri funus vna cum nutrice parantem Phanium vidit Antipho, eiusque ſubito capitur amore: Phaedria cum coeperit deperire cithariſtriam quandam, quae ſub poteſtate lenonis erat. Hic nihil, quod daret lenoni pro virginis redemtione habebat; neque ille ſua vllo modo potuit amica potiri, niſi in matrimonium duceret, quod conficitur technis Paraſiti cuiusdam Phormionis. Statim poſt nuptias reuertuntur ſenes & eas aegerrime ferunt, & ideo cum ſeruo expoſtulant, quod, abſentibus ſe, permiſerit filium ducere indotatam, generis obſcuri & nominis. Tum etiam leno minitabatur, cithariſtiam, quam vnice amabat Phaedria, ſe continuo venditurum, niſi triginta minis redimeretur. Huic vt ſuccurreret ſeruus, & mercedem procuraret, ſenes adit, fallaciamque confingit hanc, ſe cum Phormione collocutum, qui recipere ad ſe vellet vxorem, quam duxerat Antipho, ſi perſoluerentur illi triginta minae. Pecunia datur Phormioni: quam recipit Phaedria numeraturus, pro cithariſtriae libertate, lenoni domino. Interea temporis Chremes cognoſcit puellam Antiphoni nuptam, illam ipſam eſſe Phanium a ſe in Lemno ſusceptam.

ceptam. Parentibus ergo exultantibus, ille retinet coniugem vnice caram & iucundam. Dolent vero, ita periisse triginta minas, quas cum a Phormione recuperarent, sycophanta Chremetis causam prodit vxori. Quapropter mulier obiurgat maritum parum fidei suae memorem. Tandem placatur, Phaedriae filio argentum donat, ac omnia illius iudicio se permissuram, ait, quae vellet. Acta est haec fabula Romae Anno ɔɔxcii. Cn. Fannio & M. Valerio Coss. L. Postumio Albino & L. Cornelio Merula, Aedilibus curul. in ludis Romanis.

§. XXXIII.

(5.) *Eunuchus*, fabula stultitiae & morum generis humani prauorum plena est. Thraso, miles & ridiculus Thaidis meretriculae amator, in Cariam proficiscitur, posteaquam cum illa, vt solet id genus hominum, aliquantisper conuersatus est. Ille in itinere cum forte fortuna Rhodum venerit inscius, Amicae, quam Athenas redux dono daret, praetio emit lepidam puellam, cui, Pamphila, nomen erat, filiam ciuis Atheniensis olim raptam a praedonibus, & ipsa cum Thaide in aedibus maternis educatam. Absente milite, Phaedria, Lachetis filius, Atheniensis, ad Thaidem animum adiicit; nec frusta, cum interea temporis meretrix cognouerit Pamphilam, quam hucusque sororis loco habebat, post obitum matris, a fratre nimium auaro lucri causa venditam in manus perueniſſe Thrasonis. Redit ille, sed Phaedriae comperit amores, & negat se daturum puellam, nisi repelleretur iste riualis. Perquam Thais recipere cupiebat Pamphilam illam, & sibi a teneris, charam & Chremetis, quod ex eius confabulatione intellexerat, sororem Atticam ciuem; cuius proinde amicitia facilius possit suas stabilire fortunas. Phaedriam ergo, vtut eum valde amaret, excludit, & praemium adeo desideratum adhuc capessendum blanditiis, gratificatur Thrasoni.

ſoni. Poſtridie iſtud aegre ferentem Phaedriam ad ſe vocat, vſque quaque factum excuſat, & multis precibus impetrat ab eo, vt vetus ille amator aliqua ſaltem in parte apud ſe haereat forte per biduum, donec vindicetur, quam vellet, puella, tum nihil amplius rei cum illo ſe habituram fore. Annuit rogatus, & moleſtiam illius bidui aequiore animo ferendum, rus abit, Parmenoni mandans vt Eunuchum & Aetiopiſſam dono emtos duceret ad Thaidem. Ad eam paulo ante ex aedibus Thraſonis perfertur Pamphila, cuius forma captus Chaerea frater Phaedriae natu minor, permittit eius gratia ſe pro Eunucho fratris ad Thaidem deduci. A Parmenone introductus ſtuprum infert Pamphilae. Multum inde turbarum, donec re patefacta Thais a Lachete, Phaedriae & Chaereae Patre in fidem & clientelam reciperetur. Tum repertus eſt frater Pamphilae, ciuis Atticae, ille de quo ſupra Chremes; In matrimonium ergo datur Adoleſcenti, qui eam compreſſerat. Denique Thraſo diu illuſus, Gnatonis Paraſiti opera, in partem amoris a Thaide recipitur: cuius interim mores a Gnatone mirum in modum depicti ardelionem *a*) produnt. Imitatus eſt noſter in hac fabula Menandri Colacem, Eunuchum & Phaſma. Ipſe de ſe ita loquitur: *b*)

Colax Menandri eſt; in ea eſt Paraſitus Colax,
Et miles glorioſus: eas ſe non negat
Perſonas tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam
Ex Graeca; ſed eas fabulas factas prius
Latinas ſciſſe ſeſe, id vero pernegat.

Acta eſt Romae Anno ıↄxcıı M. Valerio & C. Fannio Coſſ. L. Poſtumio Albino & L. Cornelio Merula Aedilibus curulibus;

a) Phaedrvs id genus hominum deſcribit lib. 2. fab. 5. Confer. Martialis lib. 2. epigr. 7. *b*) In prol. Eunuch. v. 30.

libus; ludis Megalensibus: altera tertiaque vice repetita pretium 8000. sestertium *c)* quantum nulla ante cuiusquam comoedia meruit.

§. XXXIV.

(6.) *Adelphi* inscripta comoedia, ordinem si respicimus, vltimo prodiit, cuius argumentum hoc est. Par fratrum dissimilis ingenii, morumque diuersitate, vt quid rei sit dicamus, admodum impar, Micio & Demea: Hic asper, ferox atque saeuus agrestem vitam agebat, durus pater duorum Adolescentum Aeschini & Ctesiphonis: quorum, natu qui erat maior, Aeschinus a patruo Micione homine miti, lenissimo & vrbano, quod in coelibatu viueret, adoptatur & in ciuitate liberaliter educatur. Heic ille in meretricios amores & varia scelera ruit, & conuiuia celebrat frequenter, conniuente ad omnia, in cuius potestate tum versabatur, patruo Micione. Temulentus aliquando vi in via stuprat grauidamque efficit virginem Pamphilam, pauperculam quidem, sed ingenuam & honeste educatam a Sostrata vidua. Eam postea adiit fidemque dedit, vitiatam se ducturum esse in matrimonium, si ignoscere sibi & rem celare velint. Interea temporis Ctesipho illius frater, quem ruri secum pater seuere nimiumque restricte habebat, in vrbem ventitans cithariltriae cuiusdam amore coepit flagrare. Eius partes Aeschinus in se transfert, & fratri gratificaturus, domum lenonis, qui amatam secum habebat puellam, ingreditur per vim effractis ostiis, & familia male affecta, eripit, quam volebat mulierculam, ereptam amatori laetus triumphansque de rebus quasi bene gestis tradit. Inde rumor & rixae. Factum posteaquam resciuit Demea pater, accedit iratus fervensque-

c) Non 8000. nummum siue thalerorum, vt e BAILLETO habent *Ephemerides literariae Parisienses* Anno 1686. p. 508.

vensque rixandi desiderio, expostulat de peccato suorum, more solito i. e. aspero & incommodo cum Micione, cui Aeschinum dederat adoptandum, & conqueritur suum eius indulgentia corrumpi. Periclitantur interim Adolescentes & seruuli, quomodo satisfacerent lenoni, facinus celaretur, saltem pater ignoraret Ctesiphonem, qui videbatur frugi & temperans & rei famaeque studens, tantis periculis, tantis sceleribus affuisse. Fama de raptu citharistriae perfertur etiam ad matrem Pamphilae, quae in vtere habebat, ab Aeschino postquam compressa fuerat. Inde contristatur, metuens ne deseratur ab illo, qui nouam sibi videbatur tantis conatibus amicam sumsisse. Rem deferunt ad parentes. Certior factus Demea, vitium oblatum esse ingenuae ab Aeschino, miram excitat tragoediam. Magis commouetur, vbi deprehendit Ctesiphoni cum citharistria rem esse. Cum satis diu vociferatus erat, placatus miti & composita Mitionis oratione, veterem deponit saeuitiam, & benignus, affabilis lepidusque esse incipit. Fiunt vtrinque nuptiae. Vitiatam Aeschinus Pamphilam, suam Ctesipho citaristriam vxores ducunt. Lenoni numeratur pecunia; & ipse Mitio Sostratam sibi iungit thori sociam. Imitatus est in hac fabula Menandri ἀδελφὰς & Diphili συναποθνήσκοντας. *d*) Ingenue ipse fatetur: *e*)

Synapothnescontes Diphili comoedia est:
Eam commorientes Plautus fecit fabulam.
In Graeca adolescens est, qui lenoni eripit

Mere-

d) A σὺν & ἀποθνήσκω *Commorientes.* Ea enim veterum superstitio fuit, vt non solum varia pecudum genera ad defunctorum rogum mactarent, & quae mortuis carissima, dum viuebat, ad eum coniicerent in flammas, verum etiam serui, faeminae &c. viuentes aliquando comburerentur. Vid. KIRCHMANNVS de fun. Rom. lib. 3. c. 4. 5. *e*) In prologo Adelph. v. 6. Confer. inscriptio Comoediae.

Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
Reliquit integrum: eum hic locum sumsit sibi
In Adelphos: verbum de verbo expressum extulit.
Eam nos acturi sumus nouam.

Acta est haec comoedia cum in funere L. Aemilii Pauli ederentur ludi, Romae anno ɪↃxcɪɪɪ. L. Anicio & M. Cornelio Coss. P. Cornelio Africano & Q. Fabio Maximo Aedil cur.

§. XXXV.

Inficias ire nemo poterit, omnes inter huius aeui comicos primas tenere Africanum nostrum Terentium, qui reliquos artificio, elegantia, perspicuitate ac nitore multum antecellit. Veteres quidem Grammatici nil nisi verborum ac dictionis proprietatem in illo laudant, & eum censent in vero comoediae genio assequendo ignauiorem fuisse. Ita VARRO: *f) In argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesi Terentius, in sermonibus Plautus.* Et SERVIVS: *g) Sciendum est Terentium propter solam proprietatem omnibus comicis esse praepositum; quibus est, quantum ad caetera spectat, inferior.* Taceo VOLCATIVM SEDIGITVM, *h)* qui sexto eum loco, Caecilio, Plauto, Naeuio aliisque postponit. Sed inepte iudicant, & satis aperte, vt viro docto *i)* visum est, nec se Poesos, nec Rhetorices, nec ciuilis prudentiae gnaros fatentur: quorum qui non omnia arcana plane excussa habet, frustra iudicabit de comoedia; est enim illa nihil aliud, quam commoda omnium actionum in societate ciuili imitatio, quae tantum habet artis, quantum actio mortalium ipsa. Atqui noster in hoc artificio ipsum Plautum,

---

f) Parmenone apud NONIVM in v. *poscere.* *g)* Ad VIRGIL. Aeneid. lib. 1. *Talibus incusat &c.* *h)* Apud GELLIVM lib. 15. cap. 24. Vid. etiam Celeb. I. A. FABRICII Bibl. Latin. lib. 1. c. 3. §. 2. *i)* MORHOFIO Polyh. liter. lib. 4. c. 11. §. 6.

Plautum, quem supra laudauimus, longe superauit iudicio excellens & arte: *k)* vsque adeo, vt ERASMVS, *l)* profecto naris emunctae scriptor affirmare nullus dubitauerit, in vna comoedia Terentiana plus iudicii esse, quam in omnibus Plautinis. Omnino, si fabulas in scenam productas, & comoediarum naturam consideramus, contra ipsas etiam comicorum leges felicissime audax fuit, in exprimendis cuiusque sexus, conditionis, status, aetatis moribus tam accuratus, vt nihil supra; vbique morum actionumque ciuilium diuersitas & quidam quasi character elucet; suo seruiens argumento, in omnibus tam admirabilis fuit, vt non scribere, sed coram agere, non ab arte mutuare, sed a natura institutus sua didicisse videatur. Si orationis respicimus decorum, certe singularis & eximius suis laudibus abundat; dictione purus, verbis proprius, in sententiis maturus, in iocis vrbanus & suauis, & in toto genere elegans, primus inter suae aetatis homines deposuit linguae duritiem, vetustatis intactos transgressus scopulos, dulci magis studuit eloquentiae, horrorem mutauit elegantia, orationem denique huc illuc misere detortam & insolentibus verbis commaculatam puritate emendauit. Frustra studeo Latinae linguae auctoris optimi merita laudesque enumerare, aut eum sufficienter celebrare, quem Tullius ipse pro regula puritatis & elegan-

k) HORATIVS lib. 2. epist. 1. *Dicitur*, inquit,
Vincere Caecilius grauitate, Terentius arte.
Hos ediscit, & hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens.

Et RVFINVS Grammaticus Antiochensis:
Agnouit metrum, seruatque Terentius artem;
Nam prologos trimetro didicit componere versu:
Scenarumque actus primos pede claudit eodem.

l) In Epistolis pag. 1700.

elegantiarum ſermonis Latini habuit. Ne multus ſim in deſcribendis ac recenſendis multis multorum de comico noſtro teſtimoniis; omnia haec verbis Danielis Heinsii *m*) abſoluam, neque enim aptiora dare queo. Poſt alia *Terentii*, inquit, *miram ac prope ineffabilem amoenitatem, elegantiam, iudicium ac venuſtatem intelligere paulatim diſcant. Cuius incredibiles lepores, vt Ioſephus Scaliger dicebat olim, vix centeſimus eruditorum quisque vidit.* Vltimo loco ſubiungit tandem Afranii comici veteris verum abſolutiſſimumque iudicium:

Terentio non ſimilem dices quempiam.

§. XXXVI.

Adeone ille ſuo merito inter aureae ſeu adultae, quam vocant, aetatis Latinae linguae ſcriptores numerandus eſt? Eſſet; niſi eum fata voluiſſent eſſe antiquioris aeui, quod quidem, vt modo vidimus, longe ſuperauit ingenio, tempeſtate feliciori digniſſimus: attamen & hunc, qualis quantus ille fuit, aureo ſeculo excludunt archaiſmi ſuperſtites quidam, quos licet non tam frequentes habuit, habuit tamen, quod ſeculi vitium erat, ac paſſim in ſuis ſcriptis expreſſit. Vt alia heic loci tranſeam, de quibus in orationis progreſſu dabitur ſigillatim diſſerendi copia: vt veteres, contra vſum hodiernum, quarti ordinis gignendi caſum in IS. ſcriptitarunt terminantem, ita illa *anuis* pro *anus*, *n*) Sic *fructuis*, *ſenatuis* &c. Obueniunt porro apud illum *Abſtineo* cum accuſatiuo, *o*) *Abutor* & ſimilia cum accuſatiuo, *p*) *Careo* cum genitiuo, *q*) *Condono* cum gemino accuſatiuo, *r*) *Decet* cum Datiuo, *s*) *Appel-*

m) In fine diſſertationis ad Horatii de Plauto & Terentio iudicium.
n) Heaut. A. 2. S. 3. *o*) Heaut. A. 2. S. 3. v. 132. *p*) Andr. prol. v. 5.
q) Heaut. A. 2. S. 3. v. 20. *r*) Phorm. A. 5. S. 7. v. 54. *s*) Adelph. A. 3. S. 5. v. 45. & A. 5. S. 8. v. 5.

Appellere se, *t*) *Amittere* pro *dimittere*, *v*) *Minuere* pro *mutare*, *x*) *Promittere* pro *minari*, *y*) *Absente nobis* pro *absentibus nobis*, *z*) *Aduenti* pro *aduenientis*, *a*) *Alterae*. pro *alteri*. *b*) Demtis his atque similibus, Ciceronis aetate abrogatis, purum putum Terentianae locutionis apparebit aurum, eaque puritas & elegantia, quae non satis depraedicari potest, saltem primo post Tullium & coaeuos loco haberi meretur. Tantum abest, vt in praesentia rerum, vbi nonnihil locutionis minus usitatae in medium produxi, mihimet animus sit, nostri encomia, quae passim apud Latinae linguae auctores validissimos *c*) occurrunt, aliquatenus imminuere; vt potius laudem illi tribuendam esse maximam, vltro confiteri pergam.

§. XXXVII.

Nec video, quid obstare possit, quin ab eloquentiae Romanae tyronibus, aeque & candidatis, & heroibus, & summis quibuslibet viris, maxima cum voluptate, maximo itidem & vsu & commodo fabulae Terentianae legantur. Ipse Grotius ille Hugo, sed quantus vir, comicum nostrum tanti faciebat, vt semper eum haberet secum; & propterea nonnunquam a viro quodam politico increpatus respondebat: *alia in illo legere pueros, alia viros*. *d*) Ita quoque eum semper Iosephus Scaliger

t) Andr. A. 4. S. 6. *v*) Heaut. A. 3. S. 1. v. 71. *x*) And. A. 2. S. 3. v. 18. Hec. A. 4. S. 3. v. 10. *y*) Heaut. A. 4. S. 3. v. 7. *z*) Eunuch. A. 4. S. 3. v. 7. *a*) Phorm. A. 1. S. 3. v. 2. *b*) Heaut. A. 2. S. 3. v. 30. *c*) Vid. TVLLIVS Ad Attic. lib. 7. epist. 3. In Laelio. De optimo genere oratorum, & alibi. VELLEIVS Histor. lib. 1. c. 17. QVINTILIANVS Instit. Orat. lib. 10. c. 1. & Declam. 9. PLINIVS lib. 6. epist. 16. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 7. c. 14. & lib. 17. c. 21. *d*) MORHOFIVS Polyhist. liter. lib. 4. c. 11. §. 6. Confer. Doct. PARAVICINI Singularia de viris erudit. claris centur. 1. n. 96.

figer iam grandaeuus legit; Io. Caselius etiam inter deambulandum colloquendumque cum suis, perpetuo in manibus gestauit. e) Philippus Melanchton Doctor Germaniae f) vere ac merito scripsit: *Nullus est omnino scriptor in Latina lingua, quem tantopere cognosci ediscique refert, atque Terentium.* Ne Lutherus quidem familiarem Terentii lectionem improbauit, quod ab amicis se accepisse, BASILIVS FABER g) tradidit.

§. XXXVIII.

Vtrum hic classicus auctor in scholis praelegendus sit pueris; vel an commode ab isto Latinitatis initia petenda, iam dudum a viris doctis disceptatum fuisse legimus. Illud saltem sine morum offensione fieri posse pernegant maximi viri, GEORGIVS FABRICIVS, h) SCHVRTZFLEISCHIVS, i) CELLARIVS, k) WALCHIVS, l) alii. Contra de fabulis Terentii ERASMVS: *Non ex alio scriptore melius discitur Romani sermonis puritas, non est alius lectu iucundior, aut puerorum ingeniis accommodatior, & ad eloquentiam & mores vtilior.* LIPSIVS: m) *Omni studio Terentium lege, qui, semel corpore illo sermonis, & tanquam aedificii forma constituta, vtilissime adhibitur ad poliendas partes omnes. Verborum proprietas a quibus petatur melius? a quibus phrasium ille nitor Atticus? iam Venus & lepor & comitas, a quibus vberius hauriatur, quam a meo comico?* Rursum n) exhortatur, & sedulo monet, *Terentius adolescentibus in*

e) Idem MORHOF. l. c. f) Praefat. in Andriam. g) In Epist. praefixa lib. de Synonymia Terentii. h) In epistola ad Augustum Electorem Saxoniae. i) Sub cuius praesidio D. MVLLERVS anno 1704. Witembergae dissertationem vulgauit: *an a Terentio primordia Latini Sermonis capienda sint.* k) Dissert. de fatis linguae Latinae §. 13. l) Historia Critica Latinae linguae cap. 6. p. 281. cap. 8. p. 404. m) Instit. epist. c. 2. n) L. 2. epist. cap. 18.

in sinu, in manu, in oculis, vt sit. CAMERARIVS: *o) Nostro studio relictus est Terentius tantum: de hoc igitur petenda forma Latinae locutionis, & sternendum quasi solum, super quo oratio bona & diserta, verbis & sententiis apte constructa, collocetur.* Patronorum, quos prope infinitos etiamnum noster inuenit, enumerare plures lubens supersedeo. Neque enim suo se qui commendat merito, prolixis aliorum indiget encomiis. In ea haeresi iam diu, imo fere ab adolescentia, versatus sum. Terentii fabulas, vel maxime in scholis, studiosae iuuentuti sliberalioribus ingeniis, non solum sine morum, quod cumprimis rigidiores comicorum iudices verentur, detrimento, sed etiam maximo cum fructu proponi, & cauti doctoris admodum laudabili opera interpretari posse. Sunt enim illae vt verborum puritate & elegantia conspicuae; ita ad disciplinam puerilem ac sermones quotidianos, magis quam scripta ex classicis aliorum, accommodatae; sunt velut humanorum consiliorum & variorum euentuum imagines quaedam; sunt morum, sunt casuum, quasi exempla, *p*) quibus adolescentes mature admoniti prudentius magis magisque discant iudicare simul de rebus

V 3 huma-

o) Libello de carm. comicis. p) *Les moeurs sont comme les premiers ressorts de toutes les actions des hommes. La Peinture represente les visages par leur traits: mais la Poësie represente les esprits par leurs moeurs: & la regle la plus vniuerselle pour peindre les moeurs, est de representer chaque personne dans son caractere: vn valet auec des sentimens bas, & des inclinations seruiles: vn Prince auec vn coeur liberal & vn air de Maiesté; vn soldat fier, insolent, farouche; vne femme vaine, timide, volage; vn vieillard auare, circonspect, soupçonneux. C' est dans les moeurs que Terence a triomphé par dessus les Poëtes de son temps, au sentiment de Varron: car ses personnages ne sortent iamais de leur caractere: il obserue les moeurs dans toute la rigueur des bienseances: ce qu' Homere mesme n'a pas tousiours fait, a ce qu' on pretend.* Les Reflexions du Monsieur RAPIN sur la Poëtique en general. §. 25. & 36. en particulier §. 25. & 26.

humanis, atque dulciori genere orationis facundiam locupletare. Et hoc magiſtri eo diligentius inculcabunt, vt literarum vim & vtilitatem cognoſcant ſciantque pueri, quem fructum legendis comoediis facturi ſint, quid ex illis petere, quid negligere debeant. Sed videtur eruditis viris & caetero literarum elegantiorum patronis, bonum auctorem ſcholis qui exulare velint, *difficiliorem eſſe, quam vt a pueris percipiatur.* Cum ingenuis & bonis, illisque iamiam Romanis artibus aliquomodo inſtitutis, tractandus eſt; & loca, ſi quae illis obſcuriora veniunt, apta & diligenti Praeceptoris commentatione facile dilucidari poſſunt. *Sunt abruptae formulae*; non ſine decore, vel orationis ornatu. *Vtitur ſaepe graecismis, archaiſmis, locutionibus ellipticis.* Atqui haec fida manuductione & vſu deinceps ſine multo negotio diſcernuntur. *Fabulae eius longiores ſunt, quam vt puerili aetate apprehendantur.* Integrum drama variis actibus atque ſcenis diuiditur breuioribus, quarum argumenta captui etiam omnium hominum accommodata eſſe videntur. *Comicus eſt & multa ex poeſi aſciuit, quae orationi proſae miſcens ab orationis aequalitate deflexit.* Vtut prius inficiari nolim, poſterius nego & pernego. Ille enim, quis non videt? vbique facilitati & aequalitati orationis mirifice ſtuduit. Summus artifex, dum hoc vnum agit, vt morata ſit comoedia, neſcio quo pacto non ſimplicitatem ſermonis tuetur, neque ſua caret ſuauitate, dum populari dictione vtitur. Concedunt, & veritate rerum adacti non aliter poſſunt, concedunt, inquam, aduerſarii, genuinam ex illo linguae indolem hauriri. q) Sed inſtant, *hauriuntur ſimul vitia morum, quorum grauius damnum eſt, quam vt vel ampliſſimo Latinitatis fructu poſſit repenſari.* Mala mens, malus animus.

q) Vid. Cellarivs de fatis Latinae linguae §. 13.

mus. Ex abusu varia oriuntur pericula, nullus dubito; sed vitium non est in rebus, verum in pessima illarum applicatione. Ad sua scelera poterit aliquis abuti saluberrima luce, &, absit blasphemia dicto, peccatorum ex sacris literis haurire venenum. Ethnica sunt scripta Terentii, nec satis vbique casta. Sed probatis omnibus, tantum meliora seruantur; nec potest quicquam sub cauto prudentis poedagogi examine morum sanctitati officere. Scholasticae disciplinae exemtis vtinam nihil, progredientibus annis, turpius, obscoenius atque peius in vita & consuetudine obueniat Terentii fabellis: omnes certe in portu nauigarent. Non solum noster, quae in Plautinis adhuc aspera & horrida fuerant, perpoliuit magis magisque; verum etiam illo est longe pudicior: morum vbique proponit exempla, vitae regulas saluberrimas, vel eiusmodi sententias ex quibus non facile poterit aliquis imponere adolescentum ingeniis; quibusque consideratis paulo maturius, omnis res in vado erit.

§. XXXIX.

Prodierunt Terentii fabulae *Taruisii* 1474. & 1477. in folio cum annexis DONATI in 5. comoedias & IO. CALPVRNII in Heautontimorumenon commentariis. *Parmae* 1480. cum castigationibus POMPONII LAETI. *Venetiis* 1480. 1483. & 1494. in fol. *Neapoli* 1481. in fol. ex castigatione AVLI SABINI *Mediolani* 1483. in fol. *Argentorati* 1496. in fol. cum DONATI, GVIDONIS, IOH. BADII ASCENSII, CALPVRNII in Heautontim. commentariis, interlineari glossa, & adagiorum artisque comicae directorio.

§. XL.

Seculo post Christum natum decimo sexto Terentius prodiit *Parisiis* 1504. in 4. cum notis BADII ASCENSII; eiusdem

1508.

1508. in fol. Anno 1529. & 1536. in fol. editio ROB. STEPHANI; 1541. in 4. eiusdem cum DONATI commentario; 1533. & 1545. in 8. & 1532. in minori forma, eiusdem fine commentario. Rurſum 1552. in fol. cum variis lectionibus & reſtituta verſuum ratione & ſcholiis, DONATI, CALPVRNII, MELANCHTHONIS, ERASMI, GOVEANI, IVL. CAES. SCALIGERI, L. VICTORIS, FAVSTI, P. BEMBI, A. BARLANDI, B. LATOMI, P. MARSI, IOH. RIVII, STPEH. DOLETI, H. LORITTI GLAREANI, IOH. THEODORICI & IODOCI WILLICHII. Anno 1558. in 4. editio ANTONII GOVEANI. Eodem anno in 12. cum M. ANT. MVRETI argumentis & notis. *Venetiis* 1517. & 1521. in 8. editiones ALDINAE. Anno 1553. in fol. apud BARTHOL. CAESANVM, cum commentariis DONATI, GVIDONIS IVVENALIS CENOMANI, PETRI MARSI in omnes fabulas, STEPHANI DOLETI in Andriam & Eunuchum & Io. CALPVRNII in Heautontimorumenon. Anno 1555. & 1558. in 8. editio M. ANT. MVRETI apud Paulum Manutium; eiusdem 1575. in 8. apud ALDVM. Anno 1567. & 1580. in fol. *Florentiae* 1565. in 8. a GABR. FAERNO emendatus, curante PETRO VICTORIO. *Lugduni* 1573. in 8. editio MVRETI. *Louanii* 1552. in 4. ANTON. GOVEANI. *Antuerpiae* 1565. & 1567. in 12 & 1580. in 8. editio M. ANT. MVRETI apud Plantin. *Franequerae* 1597. in 8. editio MVRETI. *Geneuae* 1593 in 12. cum brevibus CHRISTOPHORI COLERI notis. *Baſileae* 1532. & *1538*, in fol. editio ERASMI cum ſcholiis e Donato, Cornuto & Aſpero. *Argentorati 1503*. in fol. cum Donati commentario, additis iconibus ligno ſatis ridicule in ſculptis. Anno *1519*. in 4. cum PETRI MARSI & PAVLI MALLEOLI annotationibus. *Coloniae 1555*. cum commentario IODOCI WILLICHII. *Heidelbergae 1587*, in 8. apud Commelinum cum EVGRAPHII commentario. *Francofurti 1575*. in 8. ex ERASMI & MELANCHTHONIS recognitione. Anno *1584*. in 12. cum breuibus

uibus CHRISTOPHORI COLERI notis. Anno *1598.* in 8. editio Mureti. *Mulhusae 1568.* in 8. editio STEPHANI RICCII e praelectionibus Doctor. Witteb. *Gorlici 1570.* & *1574.* in 8. editio Stephani Riccii. *Lipsiae 1574.* in 8. cum IOACHIMI CAMERARII, IOH. RIVII, GEORGII & FRANCISCI FABRICIORVM castigationibus atque notis, accurante MATTHIA BERGIO. Anno *1592. 1606.* & *1614.* cum notis, indicibus & medulla, seu phraseologia Terentiana MARTINI HEINECCII.

§. XLI.

Decimo septimo, quod nostrum praecessit, post Christum natum, seculo comicus noster impressus est *Parisiis 1602.* in 4. cura FRIDERICI LINDENBROGII, cum Aelii Donati & Eugraphii veteris scholiastae integris commentariis, additis Gabr. Faerni & propriis obseruationibus: editio haec, vnanimi Criticorum plerorumque consensu, optima & elegantissima est, sed hodie rarissima. Anno *1642.* in folio, editio regia, typis maioribus & luculentis. Anno *1675.* in 4. opera NIC. CAMI, in vsum Delphini. *Salmurii 1671.* in 12. TANAQ. FABRI. *Londini 1651.* in *12.* cum notis THOM. FARNABII, in quatuor priores, & MERICI CASAVBONI in duas posteriores comoedias. Anno *1688.* & *1700.* in 8. cum notis NIC. CAMI, in vsum Delphini. *Amstelodami 1618.* in *12.* e recensione DANIELIS HEINSII, praemissa dissertatione de Plauto & Terentio. Anno *1651. 1660.* & *1669.* in 12. eiusdem, cum annotationibus THOMAE FARNABII in quatuor priores, & MERICI CASAVBONI in duas posteriores comoedias. Anno *1686.* in 8. cum integris variorum notis, nominatim Donati, Eugraphii, Faerni, Boecleri, Farnabii, Casauboni & Tanaq. Fabri. Anno *1701.* & *1710.* in 8. cum accuratissimo MARTINI HVGENII vocabulorum & phrasium omnium Terentianarum indice. *Lugduni Batauorum 1644. 1651.*

 & *1657.*

& *1657*. in 8. cum notis variorum, accurante CORNELIO SCHREVELIO. *Roterodami 1670*. & *1680*. in *12*. cum notis IOH. MINELLII. *Argentorati 1627*. & *1657*. in 8. cum IOH: HENRICI BOECLERI annotationibus & selecto locutionum indice; accesserunt etiam FRANC. GVIETI Andegauensis notae; editio commendata non solum ob elegantem commentarium & accuratas metri recensiones, verum etiam ob elegantiarum Terentianarum modo laudatum indicem. *Spirae* seu *Neapoli Nemetum 1619*. in 4. cum IOH. PHIL. PAREI, RIVII, G. FABRICII, FAERNI & MVRETI notis. *Heidelbergae* apud Commelinum *1607*. in 8. cum EVGRAPHII commentario. *Francofurti 1623*. in 4. editio FRID. LINDEBROGII, cum Ael. Donati & Eugraphii veteris scholiastae commentariis, omnium elegantissima & nitidissima est, sed in paucorum manibus versatur. Anno *1685*. in 12. cum breuibus CHRISTOPHORI COLERI notis. *Lipsiae 1610*. in 8. IOH. WEITZII. Anno *1614*. in 8. tribus volum. STEPHANI RICCII ex praelectionibus Doctor. Witteb. Anno 1624. in 8. cum MARTINI HEINECCII commentario. Anno *1702*. & *1713*. in *12*. cum CHRISTIANI IVNCKERI notis ad modum Minellii. *Lubecae* 1651. 1667. in 8. cum indice philol. locuplet. & collectaneis IAC. KOCKERTI. *Hamburgi* 1691. cum notis IOH. MINELLII.

§. XLII.

Proximus ante Ciceronem, vel ipso iam florere incipiente, fuit TITVS LVCRETIVS CARVS, patria, vt videtur, Romanus, ex insigni & peruetusta Lucretiorum familia natus, Olympiade CLXXI. 2. anno V. C. DCLIX. ante Christum XCV. Propinato sibi ab vxore Lucilla poculo amoris, actus in furorem, sua manu periit, aetate integra, cum paucos annos supra quadragesimum impleuisset. Ita enim EVSEBIVS:

q) *Post-*

q) Postea amatorio poculo in furorem versus, quum aliquot libros per interualla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendauit, propria se manu interfecit, anno aetatis quadragesimo quarto, V. C. DCCIII. ante Christum LI. r) Ingenio traditur fuisse summo, & in scribendis carminibus valde excitato. *s)* Solebat enim per interualla temporum ad carmina sua non sine animi quodam furore, laudabili quidem isto poetico, quem supra descripsimus, haudquaquam vero deploranda, qua de Eusebius mentionem facit, insania accedere. Quamobrem ἐνθουσιασμὸς ille seu poetarum laudabilis instinctus vocatur STATIO *t) docti furor arduus Lucretii.*

§. XLII.

Extant eius de rerum natura libri sex, argumenti physici

q) In Chron. De eo POLITIANI exstat epigramma:

Hic, qui philtra bibit, nimioque insanus amore,
Mox ferro occubuit, sic mentem amiserat omnem.

Non possum non Eusebianae relationis de Lucretio occasione, hic loci referre, quod THOMAS CREECH collegii omnium animarum in Academia Oxoniensi socius, & Lucretii interpres doctissimus, quem pene totum imbiberat, eiusdem ingenii ac aetatis, infaustum eius quoque exitum tristi fato imitatus sit, suspendio semetipsum enecans Anno 1700. propter perditos, vt fertur, amores, vix annos quadraginta natus. *r)* De Lucretio monet quaedam iunior BORRICHIVS de aetatibus Latinae linguae p. 30. seq. contra Cellarium & sequaces istum poetam aeuo aureo excludentes. Cui respondet Celeberr. Dn. WALCHIVS hist. crit. Latin. ling. cap. 1. p. 32. *s)* Hinc OVIDIVS Amor. lib. 1. eleg. 25.

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit vna dies.

A. GELLIVS noct. Attic. lib. 1. c. 21. poetae ingenio & facundia praecellentis gloriam illi tribuit. Et ipsum VIRGILIVM summum epicum non verba solum, sed versus prope totos, & locos quoque Lucretii plurimos sectatum esse videmus. Ibid. *t)* Lib. 1. sylua 7.

ſici, ſatis quidem elegantes, ſed propter materiam vel egeſtatem linguae & rei nouitatem ſatis etiam abſtruſi difficilesque. *v*) Secutus in illis eſt Empedoclem poetam, & Epicuri doctrinam, cuius proinde ſententiam de rebus naturalibus, ſed & impios eius errores carmine heroico diſerte explicauit. M. TVLLIVS *x*) Quinto fratri, cui maximis noſter in delitiis fuit, concedit, Lucretii poemata eſſe lita multis luminibus ingenii, & multae artis. Sed FABIVS *y*) *Macer & Lucretius*, inquit, *legendi quidem, ſed non vt phraſin*, *i. e. corpus eloquentiae faciant: elegantes in ſua quisque materia, ſed alter humilis, alter difficilis.* Nec mirum Lucretii verſus duriores interdum, & ſimiles quaſi orationi ſolutae. Fuit enim hoc ſeculi iſtius proprium, Furio Albino teſte apud MACROBIVM, *z*) vbi monet, ne quis antiquiores poetas ex hoc capite viliores putet, quod eorum verſus ſcabri videantur, illum enim ſtilum maxime tum placuiſſe, diuque laboraſſe aetatem ſecutam, vt magis huic molliori meliorique ſtilo acquieſceret. Itaque nec defuere, imperantibus etiam Veſpaſianis, qui Lucretium pro Virgilio, & Lucilium pro Horatio legerent.

§. XLIV.

---

v) Ita de ſemetipſo lib. 1. v. 136. ſeq. cecinit:

Nec me animus fallit Graiorum obſcura reperta
Difficile inluſtrare Latinis verſibus eſſe:
Multa novis verbis praeſertim cum ſit agendum,
Propter egeſtatem linguae, & rerum nouitatem.

x) Epiſt. 9. ad Q. Fratrem lib. 2. *y*) Inſtit. Orator. lib. 10. c. 1. Contra quam ſententiam CASP. BARTHIVS Aduerſ. lib. 43. c. 2. ita: *Nullae hic translationes, non ſententiae contortae, non tranſmarina phraſis, non rerum nubibus inuoluta eloquentia. Itaque quid difficultatis, aut quos nodos hic reperit Fabius, ego fateor me perſpicere minime poſſe.* At ſibi nimium indulget contra ipſam paulo ſuperius citatam Lucretii confeſſionem. *z*) Saturn. lib. 6. c. 3. Conf. IOH. PICVS MIRANDVLA apud POLITIANVM epiſt. 4. l. 9. oper. p. 123. 125.

§. XLIV.

Lucretius prodiit primum *Veronae* 1486. curante HIERONYMO AVENTINO. Seculo deinde ſequenti, *Venetiae* 1500. apud ALDVM in 4. *1515*. ibid. in 8. *Bononiae 1511*. cum comment. IOH. BAPTISTAE PII in fol. *Florentiae 1512*. PHIL. IVNTAE in 8. *Pariſiis 1514*. cum comment. Ioh. BAPT. PII apud ASCENSIVM. *1563*. cum comment. DIONYSII LAMBINI in 4. *1565*. eiusdem editio ſine comment. breuibus tamen ad calcem coniectis ſcholiis & emendationibus ADR. TVRNEBI in *12*. *1570*. cum commentariis DIONYSII LAMBINI locupletioribus in 4. *Lugduni 1536*. *1540*. *1564*. apud SEB. GRYPHIVM in 8. *Louanii 1542*. in 4. *Anterpiaue 1566*. OBERTI GIFANII apud PLANTIN. in 8. *Lugd. Batau. 1595*. OBERTI GIFANII. 8. *Baſileae* 1531. apud HENR. PETRI. 8. *Francofurti* 1583. cum DIONYSII LAMBINI comment. in 8.

§. XLV.

Seculo decimo ſeptimo prodiit *Florentiae* 1647. cum paraphraſi & notis IOH. NARDI FLORENTINI. in 4. *Neapoli* 1693. cum argumentis FAGI & TANAQ. FABRI notis in 12. *Pariſiis 1680*. cum interpretatione & notis MICHAEL. FAGI in vſum Delphini. 4. *Salmurii 1662*. cum notis TANAQ. FABRI. in 4. *Cantabrigiae* 1675. & 1686. cum notis TANAQ. FABRI in *12*. *Oxoniae* 1695. cum interpretatione THOMAE CREECHII in 8. *Amſtelodami* 1620. & 1631. forma minore. *Geneuae* 1611. & 1627. in corpore poetarum Latinorum, cum variis lectionibus, in 4. *Francofurti 1621*. DANIELIS PAREI. in 8.

CAPVT

CAPVT IV.

De Grammaticorum & Rhetorum opera.

§. 1. Studium orationis ligatae antiquius est, atque prosae. 2. Liuius Andronicus & Ennius literas docuerunt quidem, sed Graece. 3. Crates Mallotes primus Grammaticae studium in vrbem intulit. 4. Quem Caruilius quidam sequitur. 5. Vrbe Rhetores eiiciuntur. 6. Quod factum Cellarius studet excusare. 7. Sed frustra. 8. Deinde Lucius Plotius Rhetoricam primus apud Romanos docuit.

§. I.

AD eos progredimur, qui oratione soluta, quantum potuere, linguam suam adolescere, & magis ad ornatum properare, fecerunt. Id quod sero factum est nimis, & longe demum post illam satis cultam ligatae, quam poesin vocant, artem. Istud probe notauit ISIDORVS, Hispalensis Episcopus, qui hoc paradoxon literis prodere nullus dubitauit: *a*) *tam apud Graecos, quam apud Latinos longe antiquiorem curam fuisse carminum, quam prosae. Omnia enim prius versibus condebantur, prosae autem studium sero viguit.* Et STRABO: *b*) ὡς δ' ἐυπεῖν, ὁ πεζὸς λόγος ὅγε κατεσκευασμένος, μίμημα τοῦ ποιητικοῦ ἐστι. πρώτιστα γὰρ ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν ἐις τὸ μέσον, καὶ ἐυδοκίμησεν. ἐῖτα ἐκείνην μιμούμενοι, λύσαντες τὸ μέτρον, τ' ἄλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ, συνέγραψαν &c. GVILIELMO XYLANDRO interprete: *Imo vt dicam quod res est, pedestris oratio, quae quidem arte sit parata, poeseos est imitatio. Primo*

a) Origin. lib. 1. c. 37. *b*) Geogr. l. 1. edit. Casaub. Geneu. 1587. pag. 12.

Primo enim omnium poeticus apparatus in medium prodiit, approbationemque meruit: post eum imitantes, mensura dissoluta, reliquis poeticis conseruatis sua scripserunt &c. Non omnis oratio soluta, id enim valde absurdum esset dicere, *c*) sed ars oratoria, post poeticam nata est: ita quidem, vt ex sententia Strabonis, id etiam confirmante CASAVBONO, *d*) antiquissimi quique scriptores proxime ad stilum poetarum accedant. Quemadmodum hoc apud Graecos verissimum, ita non minus apud Romanos obseruari licet. Auspicamur, nec immerito, in exponendis solutae orationis auctoribus, a Grammaticis & Rhetoribus. Vtrorumque fata, etiam hoc, quod prae manibus perlustrandum habemus, Latinitatis aeuo, tristia satis fuere: istos quando per risum atque iocum contemnere mortales, hos etiam patria & vrbe plus semel eiicere nulli dubitarunt.

§. II.

Qualis ab initio fuerit Latinae linguae conditio, ipsam si velis respicere artem, vel exinde patet, quod Grammaticae ne vsus quidem, nedum honor, in vrbe statueretur, cuius rei SVETONIVS *e*) sufficiens nobis testimonium reliquit. Sed hoc aeuo coepit ea disciplina sub auspiciis LIVII ANDRONICI atque ENNII poetarum, quorum paulo superius mentio facta est. Atqui etiam hoc satis mediocre fuit artis Grammaticae initium, laudatis auctoribus omnia Graece interpretantibus. *f*)

§.III.

c) Eos qui poeticam omni oratione soluta priorem esse putant, eleganter irridet ARISTIDES in oratione de laudibus Sarapis. Confer. ISAACI CASAVBONI Comment. in citatum Strabonis locum p. 11. *d*) Loco citato. *e*) Praefat. libri de illustribus Grammaticis. Idem c.4. prolixe docet, Grammaticorum appellationem Graeca consuetudine inualuisse, ac initio *literatos* dictos esse. *f*) SVETONIVS l. c. Et ipse ENNIVS

§. III.

Primus vero ſtudium Grammaticae in vrbem intulit CRATES MALLOTES a Patria *Mallos* vrbe Ciliciae dictus *g*) *Ariſtarchi aequalis, qui miſſus ad Senatum ab Attalo rege inter ſecundum ac tertium bellum Punicum, ſub ipſam Ennii mortem, quum in regione Palatii, prolapſus in cloacae foramen, crus fregiſſet, per omne legationis ſimul & valetudinis tempus plurimas* ἀκροάσεις *ſubinde fecit aſſidueque diſſeruit: ac noſtris exemplo fuit ad imitandum. h*) Vnde non nemo *i*) occaſionem arripuit, artem eam, qualis ab illo tempore multis ſeculis, Romae & alibi, obtinuit, *Cloacinam* vocandi: quia, ut ait, ex cloacae foramine vna cum claudo magiſtro emerſerit: vt minime mirandum ſit, ſi multis inquinata ſordibus, prauoque male talo incedat. Feſtiue quidem dictum, ſed quo Crateti haud exigua iniuria fit, vt inſignis ſeculi ſuperioris polyhiſtor GERH. IOH. VOSSIVS *k*) optime iudicat. Non enim cloacae, qui Grammaticum perdidit propemodum, ſed Graeciae vel Aſiae, vnde venit Crates, Grammaticam Romani debent. Et quae inepte poſtea facta ſunt, non arti, quae in ſe conſi-

---

NIVS apud FESTVM gloriatur, *ſe pauiſſe Romanos Graeca lingua.* Confer. GRAVINAE dialog. de Latina lingua Oper. p. m. 673. *g*) STRABO Geogr. lib. 14. p. 465. edit. Geneu. 1587. vbi de Mallo in Cilicia ſermo eſt: ἐντεῦθεν δ' ἦν Κράτης ὁ γραμματικὸς, οὗ φασι γενέσθαι μαθητὴν Παναίτιον. *Mallotes fuit Crates Grammaticus, cuius diſcipulum fuiſſe aiunt Panaetium.* *h*) SVETONIVS lib. de illuſtr. Gram. c. 2. Confer. ZEVMERI methodologia paedeutica c. 1. §. 5. *i*) SCIOPPIVS in praefat. Grammat. philoſ. tot errorum millia Grammaticis impegiſſe *Sanctium* miratus, in eam tandem incidit rationem, quod vetus illa Grammatica ex cloacae foramine vna cum claudo magiſtro emerſerit: quare etiam per totam tractationem eam *cloacinam* appellat. *k*) Ariſtarcho ſeu de Arte Grammatica lib. 1. c. 4.

considerata valde laudabilis & bona, sed male sanis stultisue hominibus, aliis Grammaticorum nomine imponentibus, tribuenda veniunt. Cratetes olim viri celebres multi fuerunt. DIOGENES LAERTIVS in vita Cratetis Philosophi, decem enumerat, quos inter Crates Mallotes Grammaticus noster septimum locum habet.

§. IV.

Sub idem tempus in Vrbe Roma ludum aperire, ac mercede Grammaticam docere coepit SP. CARVILIVS, libertus Spurii Caruilii, eius qui primus Romanorum diuortit ab vxore sua. *l*) Hic inuenit G literam, cuius vice adhuc tertium ordine elementum erat C. vt deinceps *inigere* pro *inicere*, *agitare* pro *acetare* &c. diceretur. De quibus alibi. *m*) Videtur is floruisse circa annum ab V. C. IↃL. adeoque cum isto Cratete inter secundum & tertium bellum punicum. Nec obstat Patronum eius anno IↃXIX. *n*) diuortium fecisse, & ante eum triginta circiter annis memorari. Quare IVSTVS LIPSIVS *o*) aetatem eius reiicit vlterius paulo & Suetonium consutare aggreditur, qui Cratetem illum Mallotem primum Grammaticae studium in vrbem intulisse scripserit. Sed fallitur. Potuit enim Grammaticus noster ab isto iuuenis admodum manumitti: vt demum longe post ea tempora florere & Grammaticam, cum Cratete, vel serius, docere coeperit. Quemadmodum Hyginus & Phaedrus Augusti Liberti post obitum eius tandem, & linguae Latinae seculo, quod vocant, argenteo scriptitasse habentur. Potuere Cratetis quoque merita circa disciplinam isthanc maiora

l) Vid. PLVTARCHVS in Romanis quaestionibus. Confer. DION. HALIC. Rom. antiq. lib. 2. c. 4. VAL. MAXIM. lib. 2. c. 1. A. GELLIVS N. A. lib. 4. c. 3. & lib. 17. cap. vlt. *m*) Differt. de Pueritia LL. cap. 5. §. 5. *n*) Teste A. GELLIO. lib. 17. c. vlt. *o*) Louanii lib. 3. c. 7. operum tom. 1. p. 1418. edit. Vesaliens. 1675. in 8.

iora fuiſſe, vt ſtudio ipſi tribuerit primas, cum noſtri Caruilii (cauſam ignoramus) nequidem mentionem facere voluerit. Neque diſſimulat optimus auctor *p*) iam diu ante fixum tempus iſtud Liuium & Ennium fabulas dediſſe, ac fundamenta iecisſe artis Grammaticae: vtut iuſtam perfectionem non aſſecuti fuerint. Quod Lipſium, tanti nominis virum, ignoraſſe, nunquam mihi perſuadere poſſum. Hactenus de Grammaticis; ſequuntur Rhetores, quibus quantum in vrbe auctoritatis & fortunae fuerit ſecundae, videbimus quoque.

§. V.

Cum de clarioribus in adoleſcente Latina lingua Poetis ordine, & quantum quidem per obſcurioris illius aeui tenebras licuit, aperte diſſeruimus, vno atque altero capite, non nemo ſibi perſuaſerit, nec immerito, ea nunc tandem aliquando appropinquare ſecula, quarumlibet artium & ingeniorum & elegantioris linguae fertilia ſatis, quae delicia nobis noſtra ob oculos ponerent, ac Tullio, qui ſupremam limam adhibuit, Latinitatis expoliendae occaſionem praeberent. Licet vero in vrbe ſenſim eloquentia ſuccreuerit, & in dies facta ornatior ad iſthanc felicitatem ſuam adſpirare videretur: aliquod tamen his temporibus minime exſpectatum & ſingulare fatum experiri debuit, quod commemorare heic loci refert. Terentii aetate, C. Fannio Strabone & M. Valerio Meſſala Coſſ. anno ab V. C. IↃXCIII. ſenatus conſultum de Philoſophis & Rhetoribus opprimendis factum eſt in haec verba: *q*) *M. Pomponius Praetor ſenatum conſuluit. Quod verba facta ſunt de Philoſophis & Rhetoribus, de ea re ita cenſuerunt: vt Marcus Pomponius Praetor animaduerteret, curaretque vti, ſi e Republica fideque ſua*

p) Vid. SVETON. de claris Grammaticis c. 1. *q*) Idem de claris Rhetoribus libello c. 1 & A. GELLIVS noct. Atticis lib. 15. c. 11.

ſua videretur ei, Romae ne eſſent. De iisdem LXX. annis poſt, vno ante bellum Marſicum anno, Cnaeus Domitius Aenobarbus & Lucius Licinius Craſſus, ille ipſe, quem inter Oratores ſuo loco laudabimus, Cenſores vetus ſenatuſconſultum edicto cenſorio confirmarunt, ita ſtatuentes: *Renunciatum eſt nobis, eſſe homines, qui nouum genus diſciplinae inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos Rhetoras: ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Maiores noſtri, quae liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Haec noua, quae praeter conſuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire conſueuerunt, videtur faciundum, vt oſtendamus noſtram ſententiam, nobis non placere.*

§. VI.

Factum hoc quaſi ob iuſtam cauſam CELLARIVS *r)* excuſare maximopere ſtuduit. Romanis quod integritas adhuc, ius & aequum, curae cordique fuerit, Rhetorum & ſophiſtarum argutias captionesque ad religionem peruertendam conſictas placere minime gentium potuiſſe. Nam Rhetorum diſciplinae a Graecis inuentae multiplicem abuſum & turpem fuiſſe deprauationem, cuius rei in controuerſiis & declamationibus, quae ſuperſunt, exempla videre liceat. Opinatur ergo, ſenatusconſulto illo, ac cenſorio edicto, non veram eruditionem aut ſinceram oratoriam, ſed fraudulentam & captioſam, quae legibus inſidiatur, & vſum forenſem peruertat, expulſam voluiſſe. Quod adeoque recte & ordine cenſet factum, quia nihil peſtilentius virtuti ac innocentiae, quam eiusmodi fraudes in rep. non ſolum tolerare, verumetiam ad eas iuuentutem inſtitutam habere.

 Sed

r) De ſtudiis Romanorum literariis in vrbe & prouinciis diſſert. §. 8.

§. VII.

Sed fruſtra, quod tanti viri pace dicam, hoc modo facinus, quod ea aetate, vel ex ignorantia diſciplinae, vel ex defectu humanitatis, Romani paulo inconſideratius patrarunt, contra bonos, nunc magis magiſque ad optimum dicendi genus adſpirantes, eloquentiae magiſtros, atque Philoſophos, defendere conamur. In Rhetoribus aliquando vitia, & artis in ſe quidem valde laudabilis abuſum deprehenderunt. Quid inde? Certe non conuenit, ſi quis obuios verberat, robur accuſare, neque propter homicidas fortitudini conuiciari, vel accuſare eloquentiam, ſi quis per eam ciues ſuos laedere non dubitat, quam ad eorum ſalutem conuertere potuiſſet.

Igne quid vtilius? ſi quis tamen vrere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina ſalutem,
Quaeque iuuet monſtrat, quaeque ſit herba nocens.
Et latro, & cautus praecingitur enſe viator:
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur innocuas vt agat facundia cauſas:
Protegit haec ſontes, immeritosque premit. s)

At nihil minus, quam ex LACTANTII t) teſtimonio ipſi citato, huius aeui probatur vniuerſalis, & in hac vrbe ſuſpecta, artis Rhetoricae deprauatio. Quam vtique ſi reſpexiſſent Romani,

s) OVIDIVS triſt. lib. 2. verſ. 267. t) Haud ignobilis ſeculo poſt Chriſtum natum quarto Nicomediae Rhetor, & Criſpi Conſtantini filii praeceptor fuit, adeo pauper poſtea, vt indiguerit neceſſariis. Ille caſtra Chriſtiana ſecutus, quum ad ſalutarem Soſpitatoris veritatem literis mandandam ſe contulit, de ſe quidem teſtatur Div. Inſtit. lib. 1. cap. 1. *Quae profeſſio multo melior, vtilior, glorioſior putanda eſt; quam illa oratoria, in qua diu verſati non ad virtutem, ſed plane ad argutiam malam iuuenes erudiebamus.*

ni, ceu caufam impulfiuam & maxime formidabilem absque omni dubio in literis publicis nominatam fuiffe, coniicimus. Sed nihil praetendunt praeterquam nouum genus difciplinae, Rhetorices nomine fufpectum, quod moribus maiorum non conueniat. Neque etiam Suetonius vel A. Gellius rationem iftam commemoravere: illo potius in totum affirmante *v*) Rhetoricam apud Romanos perinde atque Grammaticam fero fuiffe receptam, paulo etiam difficilius, quippe quam conftet nonnunquam prohibitam exerceri: *x*) paulatim vero & ipfam NB. vtilem honeftamque apparuiffe, & multos eum praefidii caufa & gloriae appetiuiffe. Vt adeo de iftis, Latinos Rhetoras, haud fine maximo ftudiorum & eloquentiae detrimento, vrbe eiicientibus aliter iudicare nequeamus, quam quod fpiffae vetuftioris aeui tenebrae orientem in literatura & bonis artibus lucem, nemini non iucundam perpeti haudquaquam potuerint; & tantum abfuiffe, vt fuperftitiofa, & moribus fuis gaudens, pertinaciffime omnis antiquitas barbariem fuam emendare curauerit: quin cultores & optimos magiftros fuos ftuduerit, quoquo modo valebat, fupprimere, fufpectos facere aliis, ac perfequi.

§. VIII.

Primus apud Romanos LVCIVS PLOTIVS Gallus Rhetoricen docuit Olympiade CLXXIII. extremis L Craffi temporibus, Cicerone etiamnum puero. Ita enim ille ad Marcum

 Titin-

v) SVETONIVS de claris Rhetor. lib. cap. 1. *x*) Quod proinde tribuendum eft potius aeuo ifti, quo, vt OVIDIVS Faft. lib. 3. cecinit:

Qui bene pugnabat, Romanam nouerat artem:
Mittere qui poterat pila, difertus erat.

Confer. VOSSIVS de natura & conftitutione Rhetorices c. 13.

Titinnium *y*) *Equidem memoria teneo pueris nobis primum Latine docere coepisse Lucium Plotium quendam: ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere.* &c. Vtut vero ille ab aliis, praesertim Mario, propter artem poeticam diligeretur, *z*) vsque adeo tamen vel propter Rhetoricam, quam profitebatur, fuisse contemtum videmus, vt M. Caelius in ipsa oratione nullus dubitauerit eum vocare ordearium rhetorem, irridens vt inflatum, vt leuem atque sordidum. Successerunt huic alii, sed omnes generis libertini, vsque ad Blandum conditionis nobilioris hominem: de quo SENECA: *a*) *Habuit Fabianus Blandum Rhetorem praeceptorem, qui eques Romanus Romae docuit. Ante illum intra libertinos praeceptores pulcherrimae disciplinae continebantur: & minime probabili more, turpe erat docere, quod honestum erat discere.* Postéaquam vero istam ferociam Romani aliquantum exuere, artem dicendi tam auide arripuerunt, vt maxima paulatim Rhetorum atque Oratorum profluxerit copia, & numero suo posse ipsam prouocare Graeciam visi fuerint. *b*) Fuerunt eiusdem nominis *Plotius Crispinus* poeta *Aretalogus* cognominatus, quod garrula scriberet carmina. *c*) *Plotius Tucca d*) *Plotius vnguentarius e*) plures alii, quos longa serie nunc recensere nostra nihil interest.

CAPVT

y) Apud SVETONIVM de claris Rhetor. c. 2. Confer. QVINTILIANVS Instit. orat. lib. 2. c. 4. extremo. vbi insignem dicendi praeceptorem eum vocat. *z*) Vid. CICERO Orat. pro Archia Poeta. *a*) Praefat. lib. 2. Controv. *b*) Vid. VOSSIVS de natura & constit. Rhetor. c. 13. *c*) Huius meminit HORATIVS l. 1. Satyr. 1. v. 120. *d*) Idem l. 1. Satyr. 5. v. 40. & Satyr. 10. v. 81. *e*) CICERO lib. 13. ad Attic. epist. 23.

CAPVT V.

De claris Oratoribus.

§. 1. Latina lingua solennibus adoleuit orationibus, & arte dicendi, quae commendatur. 2. Eloquentia Dei donum est, quod exserit se magis natura, quam arte secundum praecepta. 3. De origine artis oratoriae, & eius in Imperio Romanorum vigore. 4. Ante bellum Punicum secundum nemo dignus esse censetur oratoris nomine: orationes tamen habitae sunt funebres, & aliae Valerii Poblicolae, ipsius Bruti, Menenii Agrippae, Valerii Coruini, Appii Claudii, Fabricii, Marci Popilii, aliorum. 5. Cornelius Cethegus primus inclaruit arte dicendi. 6. De Sempronio Tuditano. 7. M. Portio Catone Censorio. 8. Catones alii recensentur. 9. Post Catonem Oratores maiori se protulerunt numero. 10. De Scipione & Laelio. 11. De Galbo. 12. Tiberio & 13. Caio Gracchis. 14. Fannio. 15. Carbone. 16. Metello Numidico & Marco Sullano. 17. Marco Scauro. 18. L. Crasso & M. Antonio. 19. Iulio Caesare Strabone. 20. Sulpicio & Cotta. 21. Praeter hos Velleio Paterculo commemoratos fuere Aemilius Lepidus, Philippus, Catulus, Drusus, Titius, Calpurnius, alii, quos Cicero enumerat, sed quorum scripta iam dudum euanuerunt.

§. I.

Lingua Latina vnde magis magisque in hoc adolescentiae suauissimo flore, sua videtur incrementa sumsisse, extra omne dubium post diuinam Poesin, dicendi ars & eloquentia fuit quoque in oratione soluta. Cum enim Romani adhuc Barbari id sibi negotium fuisse datum putarent, vt Barbari in ipsa barbarie sua non viderentur; & eum in finem diuersa studiorum ac disciplinarum genera a Graecis cultoribus suis acciperent,

rent, quibus eorum animus iam tum valde alienus ab humanitate, mansuetior paulo reddi possit: praecipuae curae ipsis dicendi facultas esse coepit, illa omnis doctrinae propagatrix summa & incomparabilis, a summo Numine primitus maxima cum felicitate mortalibus concessa. Atqui etiam illa non potuit non frequenti vsu, & continua exercitatione ante omnia perpoliri. Siue priuata nostra vita gaudeamus, siue in publico versemur, oratione opus est; si commercia cuiusuis generis instituere volumus, ad persuadendum & dissuadendum oportet iugiter promti & parati simus. In sacris habendi sermones, in legationibus principum, inque rerum publicarum concionibus, & causis in foro agendis, denique in omnibus actionibus varia arte vocem flecti nostram, extrema necessitas requirit. Et quo quis ornatius, ac magis ad eloquentiae regulas, suam componere orationem consueuit, eo maiorem visus est in audientium animis relinquere aculeum, non quidem pungendo, sed infigendo: vt animi sensa commode & apte cum aliis communicare valeat, eaque dictitare, quae fructuosa, & ipsum reip. florem promouere, tueri atque confirmare videntur. Auctoritas haec summa, & facultas eloquendi quicquid pro re nata, & in tempore, & in loco, vel ratione ipsa suadente, dici oportet, hominibus a natura insita est, & voces rebus accommodatas sententiasque, quadam veluti orationis vi, proferre docet. Inde cultura LL. cumprimis effecta, qua, vt in caeteris studiorum & disciplinarum generibus, Romani caput suum extulerunt usque adeo, vt temporis successu eius gloria ad summum fastigium a tot tantisque Oratoribus euecta fuerit, & in hunc vsque diem per tot secula, variosque casus, & tot discrimina rerum, sine offensa fortunae, ipsius barbariae vix habita ratione, immota & nconcussa perstiterit.

§. II.

§. II.

Eſt vero aliquid in hac arte, quod diuinum ſapit, ac ſupra aliorum praecepta erectum animos ipſos expugnare videtur. Floci eſſet, quicquid de ea multoties eruditiſſimi & facundiſſimi oratores inſtituerunt: niſi mentem coelitus quodam velut inſtinctu commotam in ſe quilibet ipſe ſentiret. Et hoc eſt illud in oratione, quod ARISTIDES deſcribit: *λόγων αὐτὴ πηγὴ μία, τὸ ὡς ἀληθῶς ἱερὸν καὶ θεῖον πῦρ, τὸ ἐκ Διός ἐστιν.* HIPPOCRATES, *τὸ θερμότατον καὶ ἰσχυρότατον πῦρ, Diuinum & robuſtiſſimum ignem,* vocat. Vnde CICERO: *Nulla me ingenii, ſed magna vis animi inflammat, vt me ipſe non teneam.* Et SENECA: *a) Non poteſt grande aliquid, & ſupra caeteros loqui, niſi mota mens. Cum vulgaria & ſolita contemſit, inſtinctuque ſacro ſurrexit excelſior; tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. Non poteſt ſublime quicquam, & in arduo poſitum, contingere, quam diu apud ſe eſt. Deſciſcat oportet a ſolito, & efferatur, & mordeat frenos, & rectorem rapiat ſuum, eoque ferat, quo per ſe timuiſſet aſcendere.* Nihil ergo praecepta & artes valere, niſi adiuuante natura, QVINTILIANVS *b)* confeſſus eſt, & ipſe Romanae eloquentiae Pater, *c)* naturam primum ſenſit ad dicendum vim afferre maximam. Idem ſua quoque vernacula doctiſſimus RAPINVS, *d)* vt ſolet, eleganter deſcribit: *Le premier fonds de l' Eloquence eſt un naturel heureux pour la parole, ſans lequel on ne peut reüſſir, & auec lequel on reüſſit touiours - - - Mais cette grandeur de genie que demande cette ſouueraine & ſublime Eloquence que nous cherchons, ne ſe rencontre plus: c' eſt vn don du Ciel, & l' ouvrage de pluſieurs ſiecles.*

 §. III.

a) De tranquillitate cap. vlt. *b)* Inſtit. Orat. l. 1. c. 1. *c)* CICERO de Orator. lib. 1. *d)* Dans ſes Reflexions ſur l' Eloquence, en general. §. 3.

§. III.

Inde quoque apparet, quod origo artis oratoriae & diuinae eloquentiae, praeterquam Deo, nemini facile tribui possit. Ille enim cum anima rationali mortalibus facultatem dicendi gratiose dedit primitus: vnde exacta haec disciplina prouenit tandem, ab aliis atque aliis fortius & felicius actionibus suis pro status ratione applicata. Quare superstitiosa antiquitas artem dicendi Mercurio atque Musis acceptam ferre maluerunt. *e)* Satis ad rem apposite QVINTILIANVS, *f) Nec diu*, inquit, *nos moretur quaestio, quae Rhetorices origo sit. Nam cui dubium est, sermonem ab ipsa rerum natura geniti protinus homines acceperint? quod certe principium est eius rei. Huic studium & incrementum dederit vtilitas: summam ratio & exercitatio.* Neque Graecos nunc attendimus, qui certe satis mature artis oratoriae & omnis eloquentiae magnam vim tulerunt *g)* & postmodum Romanis eam, si cuiusquam alius disciplinae, huius praecipue magistri & auctores celeberrimi, communicarunt: vsque adeo vt in ipsa vrbe, diu multumque Romani ad felicissimum vsque Ciceronis aeuum, exotica illa Graecorum, quam vernacula sua lingua perorare maluerint. Sed hoc negotii nobis incumbere, arbitramur, vti Romanos tantummodo, quatenus eloquentiae operam dederint, eaque insti-

---

e) Vid. DIONYSIVS HALICARN. περὶ τῶν πανηγυρ. vbi inter alia dicendi artem, inquit, παρ' Ἑρμοῦ τε καὶ Μουσῶν λαβεῖν, *a Mercurio & Musis accepisse.* Confer. HESIODVS Θεογον. v. 81.-88. PLVTARCHVS de Iside & Osiride: Ἑρμῆν γραμματικῆς καὶ μουσικῆς εἶναι εὑρετὴν νομίζουσι. *Mercurium Grammatices & Musices inuentorem censent.* *f)* Instit. Orat. l. 3. c. 2. *g)* De Oratoribus Graecis vid. MORHOFIVS Polyhist. liter. lib. 6. cap. 2. IOH. GEORGIVS WALCHIVS eruditiss. praefat. ad Cellarii orationes Academicas, de fatis oratoriae inter Graecos, Romanos & Germanos §. 2. 3. 4. 5.

instituerint suam exornare linguam, pro instituti ratione respiciamus. In ipsa vero vrbe Roma, nulla vnquam vehementius quam eloquentiae studia viguerunt. *Nam posteaquam,* CICERONIS *h*) verba mea faciam, *imperio omnium gentium constituto diuturnitas pacis ocium confirmauit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putauit. Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis vllam vim, neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum quantum ingenio & cogitatione poterant consequebantur. Post autem auditis oratoribus Graecis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam - - dicendi studio flagrauerunt. Excitabat eos magnitudo & varietas multitudoque im omni genere causarum &c. Erant autem huic studio maxima, quae nunc quoque sunt, proposita praemia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem &c.* Auctor dialogi de causis corruptae eloquentiae, *sibi,* inquit, *persuaserant neminem sine eloquentia aut assequi posse in ciuitate, aut tueri conspicuum & eminentem locum.*

§. IV.

Ante bellum Punicum secundum nemo fuit, quem iure possimus in numero eloquentium Oratorum ponere. Certe fuerunt, qui sine arte dicendi populo, facultate data & occasione, naturali quadam vi & commode persuaserunt. Extitere, quis inficias ire conatur? orationes funebres seu mortuorum laudationes, quas familiae ceu ornamenta sua & monumenta seruabant: vnde M. TVLLIVS *i*) conqueritur, mendosiorem paulo factam esse rerum Romanarum historiam. *Multa enim,* inquit, *scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi*

h) De Oratore lib. 1. c. 4. Confer. les Reflexions du Monf. RAPIN sur l' Eloquence en general §. 2. *i*) De claris Oratoribus c. 16.

falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones, quum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus. Earum initium vulgo ducitur ab illis temporibus, quibus Reges sunt exacti. Nam L. Iunium Brutum libertatis Romanae vindicem collega atque etiam tunc Consul P. VALERIVS POBLICOLA funebri oratione decorauit. *k*) Quanquam certo affirmari non possit, vtrum Valerius primus hunc morem apud Romanos instituerit; an institutum a Regibus fuerit secutus. *l*) Idem alia occasione ad Tribunos & plebem publice verba fecit. *m*) Et quando IVNIVS BRVTVS, potentissimum Romanorum Regem, cum filio & tota familia, ciuitate, quod scimus, eiecit; Remp. perpetuo dominatu liberatam, annuis magistratibus, legibus iudiciisque deuinxit; rursus genero & collegae imperium abrogauit: efficere nihil omnino videtur eum potuisse, nisi populus Romanus ante fuisset oratione persuasus. Nec multo post eluxit facundia MENENII AGRIPPAE *n*) seditiosam plebem e monte sacro, quo relicta vrbe secesserat, reuocantis. *o*) Eiusdem & forte maioris famae dicitur fuisse M. VALERIVS CORVINVS Dictator, qui coniuratis militibus pacem & concordiam oratione persuasit; & summam reportauit gloriam. *p*) Circa annum CCCCLXXIV. celebrant APPIVM CLAVDIVM Caecum

---

k) LIVIVS Hist. Rom. lib 2. c. 7. Confer. GODELEVAEI in Liuium Obseru. ad h. l. p. 62. BLONDVS lib. 2. ALEX. AB ALEX. lib. 3. cap. 7. *l*) Vid. DIONYS. HALIC. Rom. Antiq. lib. 5. c. 3. *m*) LIVIVS lib. 3. c. 17. *n*) De significatione nominis & viri satis vid. PLINIVM Hist. natur. lib. 7. c. 8. GELLIVM Noct. Attic. lib. 16. c. 16. SOLINVM Polyh. cap. 4. ALEX. AB ALEX. lib. 1. c. 9. AVRELIVM VICTOREM vel quisquis sit Auctor illustrium virorum c. 18. *o*) LIVIVS lib. 2. c. 32. FLORVS lib. 1. c. 23. DIONYS. HALIC. lib. 6. c. vlt. *p*) LIVIVS lib. 7. c. 40. CICERO de claris oratoribus c. 14. EVTROPIVS lib. 2.

cum, qui cum de pace cum Pyrrho ineunda ageretur, lectica in Senatum iamiam inclinatum delatus graui oratione *q*) turpes pacis conditiones discussit. *r*) Iisdem temporibus C. FABRICIVS vixit, qui de captiuis recuperandis ad Pyrrhum fuit missus orator. *s*) MARCVM POPILIVM Laenatem *t*) & alios prudens silentio praetermitto, quos Tullius noster summus orator eleganti commentario de claris oratoribus seu *Bruto*, vt ille inscriptus est, persequitur. *Sed eos*, denique concludit, *oratores habitos esse, aut omnino tum vllum eloquentiae praemium fuisse, nihil sane mihi legisse videor.*

§. V.

Primus, de quo sit memoriae proditum eloquentem fuisse, ab CICERONE *v*) nominatur M. CORNELIVS CETHEGVS cum P. Tuditano, bello Punico secundo, Consul IↃXLVIII. Praeceptor fuit Ennii., qui eum commendauit de eloquentia, & cumprimis ornauit elogio sequenti:

 Additur,

q) Quam vide apud PLVTARCHVM. *r*) LIVIVS lib. 13. epit. CICERO l. c. c. 14. & 16. FABIVS Instit. Orat. l. 2. c. 16. MOSELLANVS ib. p. in. 36. ISIDORVS Orig. l. 1. c. 37. circa finem. AVREL. VICTOR. de illustribus viris c. 34. *s*) LIVIVS lib. 13 epit. TVLLIVS l. c. De Senectute c. 13. De summa eius fide erga Pyrrhum lege CICERONEM de officiis l. 3. c. 22. De paupertate eius tolerabili & summa continentia, Idem Tuscul. quaest. lib. 3. c. 23. GELLIVS l. 1. c. 14. Propter bene merita in vrbe sepultus est. CICERO de legibus lib. 2. c. 23. *t*) *Laenas* vocatur, quod Consul cum esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum *Laena* faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra Patres seditione nunciata, vt erat laena amictus, ita venerit in concionem, vt concitatos sua & auctoritate & oratione sedaret. CICERO de claris oratoribus cap. 14. *v*) De claris oratoribus c. 15. & 48. *x*) Annal. lib. 9. Apud CICERONEM l. c. cap. 15. & GELLIVM Noct. Attic. lib. 12. c. 2.

Additur orator Corneliu' suaui loquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega,
Marci filius: is dictus ollis popularibus olim,
Qui tum viuebant homines atque aeuum agitabant,
Flos delibatus populi & suada medulla.

Vulgata Ciceronis exemplaria corrupte legunt: *Marcus studio collegam, filius.* &c. Quae verba nemo intelligit. Vossius y) in versibus haec emendauit, *is dictus popularibus ollis*, legenda pro *is dictus ollis popularibus olim.* Etenim prouenisse dicit errorem, quod imperiti librarii putarint ex *ollis* fieri debere *olim*; vnde cum in aliis *olim*, in aliis *olli* legi coepisset, vel alterum ad oram notaretur, vtrumque tandem receptum fuisse, quantumuis alterum tantum versus admittat. Oportet vero ita simul oratoris nostri & A. Gellii exemplaria librariorum incuria, vel ignorantia dudum fuisse corrupta. Deinde legit *Suadaeque medulla*, innixus textu Fabii z) *Neque enim mihi permiserim eadem vti declinatione, qua Ennius M. Cethegum Suadae medullam vocat.* Atque etiam hoc modo longe ante Vossium Mosellanus in notis ad citatum Fabii locum illos versus citat. Meminit quoque *Cethegi* huius Venusinus Poeta, a) vbi noua & ve-

y) De natura & constit. Rhet. c. 14. z) Instit. orat. lib. 2. c. 15.
a) Horatius de arte Poetica vers. 50.

- - - *si forte necesse est*
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumta pudenter.

Cinctutos vocat Cethegos, quod gentili more pro tunica cinctum, vel campestre ab vmbilico ad pedes gestarent, nudi caetera: vnde & *nudum Cethegum*, Lucanus l. 6. v. 794. dixit, *exertumque*, quod idem est, l. 2. v. 743. Rursum Horatius l. 2, epist. 2. v. 117. *Quae priscis memorata canon*

& veteribus, qualis noſter erat, incognita vocabula ad res abditas commonſtrandas proferentibus verecunde & quaſi cum pudore, docet licentiam dari.

§. VI.

Neque ſilentio praetermittendus eſt P. SEMPRONIVS TVDITANVS Cethegi in conſulatu collega *b)* ille ipſe qui in agro Crotonienſi proſpere aduerſus Annibalem pugnauit, & Poenos fugauit; *c)* poſtea inter legatos miſſus eſt ad Ptolomaeum Aegypti Regem, vt victum eſſe Annibalem Poenosque annunciaret, & gratias ageret illi, quod in rebus dubiis, cum finitimi etiam ſocii Romanos deſererent, in fide manſiſſet &c. *d)* Orator habitus eſt eius temporis facundiſſimus. Dignum eſt de illo Livii *e)* teſtimonium, quod heic ponatur integrum: *Bello*, inquit, *quoque bonus habitus ad caetera, quibus nemo ea tempeſtate inſtructior ciuis habebatur, congeſtis omnibus humanis a natura fortunaque bonis, nobilis idem ac diues erat, forma viribusque corporis excellebat, NB. facundiſſimus habebatur, ſeu cauſa oranda, ſeu in ſenatu & ad populum ſuadendi ac diſſuadendi locus eſſet, iuris pontificii peritiſſimus. &c.* Quare FRANCISCVS FLORIDVS SABINVS *f)* & G. I. VOSSIVS *g)* mirantur, eum ab Cicerone in Bruto, vbi de claris oratoribus agit, omiſſum fuiſſe.

§. VII.

Cornelio Cethego & Sempronio Tuditano conſulibus ſociis, forte proximus ex iis, quorum nomina ſunt memoriae dicaat, in oratoriis ſucceſſit, qui tunc temporis quaeſtor fuit, M. PORTIVS CATO

---

nonibus atque Cethegu. Alius fuit Cethegus ille ſocius coniurationis Catilinae, de quo SALLVSTIVS & CICERO catil. 3. & IVVENALIS Satyr. 2. v. 27.

b) LIVIVS Hiſt. Rom. lib. 29. c. 11. & 12. CICERO de claris oratoribus c. 15. *c)* LIVIVS lib. 29. c. 36. *d)* Idem lib. 31. c. 2. *e)* lib. 20. c. 1. *f)* Subciſiuarum lib. 1. c. 14. *g)* De natura & conſtit. Rhetorices c. 14.

CATO CENSORIVS *h*) patria Tuſculanus, ciuitate Romanus, in lucem editus anno ab V. C. Iↄxix. Adoleſcentulus in Sabinis verſabatur, vbi ipſi heredium paternum relictum erat. Stipendium meruit primo ſeptendecim annos natus. Q. Fabio Maximo & M. Claudio Marcello Coſſ. tribunus militum in Sicilia fuit. Hinc redux C. Claudii Neronis caſtra ſequitur & praeclaram praeſtat operam in proelio apud Senam, quo Aſdrubal frater Annibalis cecidit. Deinde quaeſtor factus eſt P. Cornelio Scipioni Africano Conſuli, & ex Africa decedens, ſtudiorum gratia, & inſigni erga bonas literas amore, Q. Ennium Poetam ſecum deduxit. Porro Aedilis plebis cum C. Heluio creatur, & Praetor prouinciam obtinet Sardiniam. Atque etiam conſulatum geſſit cum L. Valerio Flacco, cuius hortatu demigrauerat primitus Romam, ac in foro eſſe coeperat: & in hac noua dignitate prouinciam ſorte nanciſcitur Hiſpaniam citeriorem, ex qua triumphum deportauit. Denique Cenſor cum eodem Flacco conſtitutus praefuit ei poteſtati ſeuere. Ineunte bello Punico tertio, quod ipſe perſuaſerat, *i*) diem obiit ſupremum anno ab V.C. Iↄcv. aetatis ſuae LXXXV. *k*)

Neque

---

h) CICERO Bruto ſeu de claris oratoribus c. 16. *Hunc igitur Cethegum conſecutus eſt aetate Cato, qui annis IX. poſt eum fuit conſul, eum nos vt peruetere m habemus, qui L. Martio, M. Manilio Coſſ. mortuus eſt annis LXXXIII. ipſis ante me conſulem. Nec vero habeo quenquam antiquiorem, cuius quidem ſcripta proferenda putem* &c. *i*) LIVIVS lib. 39. c. 41. Epitom. lib. 48. Plura vide apud CORNEL. NEPOTEM in eius vita: quod fragmentum ſupereſt e poſteriori libro de vitis excellentium Imperatorum. Vitam eius quoque PLVTARCHVS ſcripſit, quem adi. *k*) PLINIVS Hiſtor. natur. lib. 29. c. 1. CICERO Bruto c. 20. Alii vitam eius paulo longius producunt. LIVIVS certe lib. 39. c. 40. teſtatur eum anno 86. adhuc cauſas egiſſe, & 90. Seruium Galbum ad populi iudicium adduxiſſe. Confer. VAL. M. l. 8. c. 7. & PLVTARCHVS in eius vita.

Neque destitit vnquam reip. causa inimicitias suscipere, quibus continuo, frementibus licet aliis, magis magisque virtutum laude crescere visus est. Tres summas in homine res praestitisse dicitur Plinio, *l*) optimus orator, optimus imperator, optimus senator; item quater & quadragies causam dixisse; nec quenquam saepius postulatum, & semper absolutum. Idem alibi *m*) nostrum vocat omnium bonarum artium magistrum. Quocum facit Corn. Nepos *n*) cuius illustrem locum non possumus non apponere integrum: *In omnibus rebus*, inquit, *singulari fuit prudentia & industria. Nam & agricola solers, & reip. peritus, & iurisconsultus, & magnus imperator, & probabilis orator, & cupidissimus literarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum in eis progressum fecit, vt non facile reperire possis, neque de Graecis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. Senex scribere historias instituit* &c. Inuicti, quod Livius habet †) cupiditatibus animi erat, & rigidae innocentiae, contemtor gratiae & diuitiarum: in parsimonia & patientia laboris periculique ferrei prope corporis & animi, quem ne senectus quidem, quae soluit omnia, frangere potuit. Cum bello Punico secundo ab anno vsque septimo decimo aetatis non infeliciter pugnasset, de Hispania triumphum, & multa in Rep. praeclare egisset, magno iam natu Graecas literas discere nullus dubitauit. ††) Latine scripsit non pauca: 1. *Orationes*, quarum

 amplius

l) Lib. 7. c. 27. Confer. Livius Histor. Rom. lib. 39. c. 40. & Cicero in Bruto c. 15. *m*) Lib. 25. c. 2. *n*) In vita Catonis cap. 3. Eius elogium habent etiam Valerius Maximus lib. 8. c. 7. e. 1. Victor de viris illustr. c. 47. Livius lib. 39. c. 40. Macrobius in somn. Scipion. l. 2. c. 17. †) l. c. ††) Vid. Cicero Caton. Maior. c. 1. & 8. & in Lucullo c. 2. Avrelius Victor de viris illustr. c. 47. Qvintilianus Instit. Orat. lib. 12. c. 11.

amplius centum & quinquaginta M. Tullii temporibus extabant, quamuis tum etiam perierint multae, *o*) omnes veteribus Grammaticis laudatae. Plerasque ab adolescentia confecit, alias profectiori aetate, quas originibus suis etiam inclusisse viri docti opinantur. *p*) Pro temporis ratione eloquentissimus fuit. Vnde quamplurimos accusauit, & pro se ipso, quod iam supra notaui, vndequinquagies causam dixit. Athenienses aliquando per interpretem allocutus est, qui valde mirabantur quod interpres breuiloquentiam eius vix pluribus verbis assequi potuisset. Atque hinc vulgo *Romanus Demosthenes* dicebatur. *q*) *Postquam ad magnos honores peruenit, r*) *summus imperator, idem in pace, si ius consuleres, peritissimus; si causa oranda esset, eloquentissimus* &c. Adhaec argute iocari solitus est. *s*) Praeter *orationes* multa alia literis prodidit, vt 2. *quaestiones epistolicas*; *t*) 3. *Epistolas*, Plinio, Festo, Prisciano atque aliis citatas. 4. *De Oratore* ad filium; vnde FABIVS: *v*) *Romanorum primus, quantum ego quidem sciam, condidit aliqua in hac materia M. Cato ille Censorius.* 5. *Carmen de moribus*: *x*) liber hic prosa non ligata oratione conscriptus est: carmen enim antiquis erant quoque leges, praecepta, praeces, dirae, & formulae quaeuis solennes. *y*) 6. *Praecepta ad filium*: *z*) sed vereor ne eadem illa sint, quorum paulo ante mentionem fecimus de oratore. 7. *Commentarium, quo medetur filio, seruis fami-*

o) CICERO Bruto c. 17. *p*) Quod colligunt ex LIVIO lib. 45. c. 25. & epitoma libri 49. *q*) PLVTARCHVS in eius vita. *r*) Verba sunt LIVII lib. 39. c. 40. *s*) MACROBIVS Saturn. lib. 2. c. 1. & 2. *t*) GELLIVS noct. Attic. lib. 7. c. 10. *v*) Instit. Orator. lib. 3. cap. 1. *x*) A. GELLIVS noct. Attic. lib. 11. c. 2. NONIVS MARCELLVS c. 6. n. 98. *y*) Confer. I. A. FABRICII Viri Cl. lib. 1. Bibliothecae Graecae c. 9. sect. 14. Biblioth. Latin. lib. 1. c. 2. p. 25. *z*) NONIVS c. 2. n. 573.

familiaribus. a) 8. *Apophthegmata. b*) 9. *De re militari. c*) 10. *Origines. d*) &c, Ex omnibus vero Catonis operibus solus hodie superest *de agricultura*, siue *de re rustica* ad filium liber. e) Ille prodiit primum *Regii* 1482. fol. apud Bartholom. Bruschium; ibid. 1499. fol. apud Franc. Mazalum; *Basileae* 1521. & *Coloniae* 1536. 8. apud Ioh. Gymnicum; *Lugduni* 1536. 8. apud Sebast. Gryphium. Editus quoque crebro prostat, additis eiusdem argumenti Varronis, Columellae & Palladii libris *Bononiae* 1494. & 1504. fol. *Venetiis* 1472. & 1514. 4. apud Aldum, ibid. 1528. in 8. 1533. 8. *Parisiis* 1529. fol. apud Ioh. Parnum & Galeotum a Prato, 1543. 8. apud Robert. Stephanum. *Lugduni* 1541. & 1549. 8. apud Gryphium. *Heidelbergae* 1591. 8. apud Hier. Commelinum. Alia Catonis fragmenta collegit ANTON. RICCOBONVS, quae habentur in eius de historia libro *Venetiis* 1568. & *Basil.* 1589. in 8. edito. Ea postmodum auctiora vulgauit, suisque notis illustrata libro de re rustica adiunxit AVSONIVS POPMA Frisius, ipso iudicante Scioppio de Catone optime meritus, 1590. 8. apud Plantinum. Deinde IOH. MEVRSIVS Catonem edidit cum suis & Popmae obseruationibus *Lugduni Batauor.* 1597. 8. apud Raphelengium; altera vice impressum *Franeckerae* 1620. in 8. Atque ita Cato fere solus est, cuius foetum prosa oratione aeuo illo superstitem habemus librum de re rustica pene integrum, & fragmenta Originum, Orationum aliorumque scriptorum ex operibus Gellii, Festi, Nonii, Charisii, Grammaticorum veterum reliquorum col-

a) PLINIVS Hist. natur. l. 29. c. 1. PLVTARCHVS in vita Catonis. *b*) CICERO Officior. lib. 1. c. 29. PLVTARCH. l. c. *c*) GELLIVS lib. 7. c. 4. PLINIVS in praefat. Hist. nat. VEGETIVS de re militari lib. 1. c. 8. *d*) De quibus paulo inferius inter clariores huius aeui historicos verba faciemus. *e*) Laudatus PLINIO lib. 14. c. 4. GELLIO l. 3. c. 14. l. 10. c. 26. PLVTARCHO in eius vita, atque aliis.

collecta. Iam tum Ciceronis tempore Catonem legere nemo valde amabat, & est in illo quidem forma ingenii, sed admodum impolita & plane rudis: vt iure merito perfectius aliquod adhuc quaerendum sit. De stilo Catonis quem audiamus potius quam ipsum Tullium eloquentiae parentem, & sermonis patrii summum decus? Ita ille in Bruto: *Catonem quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit?* &c. Prolixe tum quidem eius laudes prosequitur, sed longe aliud postea de eo iudicium fert, sub Attici persona, quem ita loquentem inducit: *Ego Catonem tuum, vt ciuem, vt senatorem, vt imperatorem, vt virum denique cum prudentia, tum omni virtute, excellentem probo; Orationes autem eius* (quarum supra centum quinquaginta amplius esse dixerat) *vt illis temporibus, valde laudo: significant enim quandam formam ingenii, sed admodum impolitam & plane rudem.* Cui denique ille assentit: *nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quae inuenta nondum erant, florem & colorem defuisse.*

§. VIII.

Sed caue sis, ne Catonem hunc, qui *Priscus* ideo & *maior* vulgo audit, cum aliis eiusdem nominis confundas. M. PORTIVS CATO *filius*, ante patrem denatus *f*) scripsit commentarios iuris ciuilis, seu de iuris disciplina libros, *g*) qui perperam a Riccobono & Popma inter Catonis Censorii seu maioris scripta relati sunt. Alius fuit M. CATO nepos, anno ab V.C. DCXXXVIII. consul, qui itidem orationes scripsit, cum orationibus

---

f) LIVIVS in epitom. lib. 48. *M. Portius Cato funus mortui filii in praetura tenuissimo, vt valuit (nam pauper erat) sumtu fecit.* Eius laudem vide apud IVSTINVM lib. 33. c. 2. *g*) Eorum decimus quintus a PAVLO ic. laudatur in leg. 4. D. de verbor. obligat. Confer. GELLIVS l. 13. c. 18. & FESTVS in v. *mundus.*

nibus proaui nonnunquam confundi solitas. *h*) Censorii pronepos M. PORTIVS CATO vulgo *minor* ac *Vticensis i*) in quo erat *inexhausta auiditas legendi, nec satiari poterat, quippe qui nec reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa curia soleret legere saepe, dum senatus cogeretur, nihil operae reip. detrahens, quo magis tum in summo otio, maximaque copia quasi helluo librorum, si hoc verbo tam in clara re vtendum est, videbatur. k*) Etiam a nostro plane alius est iunior quidam distichorum moralium auctor, qui CATONIS nomen prae se fert, non quod eius nominis illa scripserit aliquis, sed quod Catone illae sententiae videantur dignae fuisse. *l*)

§. IX.

Post Catonem Oratores maiori se numero protulerunt, ac *eodem tractu temporum*, vt VELLEGI PATERCVLI *m*) verba mea faciam, *nituerunt - - Scipio Aemilianus Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius; nec praetereundus Metellus Numidicus & Scaurus, & ante omnes L. Crassus & M. Antonius; quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius.* Ciceronem Eloquentiae parentem ac summum iudicem de illis omnibus audiamus differentem.

§. X.

Primo loco memorat P. SCIPIONEM AEMILIANVM, vel Africanum minorem, Africani maioris nepotem adoptiuum, qui Numantiam & Carthaginem euertit; & C. LAELI-

 VM

h) PRISCIANVS lib. 3. Cato nepos de actionibus ad populum ne lex sua abrogetur. *i*) Eius vitam quoque describit PLVTARCHVS. Confer. CELLARII Programm. p. 387. *k*) CICERO de finibus lib. 3. vid. etiam VALER. MAXIMVS lib. 8. c. 7. ex. 2. *l*) De illis vid. MORHOFIVS Polyhist. liter. lib. 4. c. 11. §. 4. De genere atque nominibus familiae Porriae A. GELLIVS lib. 13. c. 18. *m*) Lib. 2. c. 19.

VM principes Iuuentutis, ingenio, ſtudiis, aetate & amicitia coniunctos, *n*) Terentii aequales. De vtroque ſuperius inter Poetas dictum eſt. Quantum Eloquentia & arte dicendi valuerint, TVLLII praeſtat ſententia & verbis diſcere: *o*) *De ipſius Laelii,* inquit, *& Scipionis ingenio, quanquam ea eſt iam opinio, vt plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus eſt in Laelio illuſtrior. At oratio Laelii de collegis non melior quam de multis, quam voles Scipionis: nam quo illa Laelii quicquam ſit dulcius, aut quod de religione dici poſſit auguſtius, ſed multo tamen vetuſtior & horridior ille, quam Scipio. Et quum ſint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, & lubenter verbis etiam vti paulo magis priſcis Laelius. Sed eſt mos hominum, vt nolint eundem pluribus rebus excellere. Nam vt ex bellica laude aſpirare ad Africanum nemo poteſt, in qua ipſa egregium Viriati bello reperimus fuiſſe Laelium, ſic ingenii, literarum, eloquentiae, ſapientiae denique, etſi vtrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio.* Paucis vtrumque docet fortitudine & eloquentia viguiſſe; neutra Scipionem ceſſiſſe Laelio; quoniam vero non omnia poſſumus omnes, nec conſuetudo vult, vnum eundemque rebus excellere pluribus, factum eſſe, vt in bellica laude Africano Scipioni, in eloquentia Laelio palmam concedant.

§. XI.

SERGIVS SVLPITIVS GALBA diuinus homo vocatur a CICERONE *p*) in dicendo; vnus inter tot aequales excellens,

n) Vid. CICERO de Amicitia, circa finem. *Laelium* hunc Romani ſapientem appellabant. Vnde HORATIVS Serm. l. 2. ſatyr. 1. v. 72. *Mitis ſapientia Laeli.* *o)* CICERO de claris Oratoribus. c. 21. *p)* De Orat. lib. 1. c. 10. Sed caue, eum confundas cum alio eiusdem nominis, qui poſt Neronem imperauit. vid. TACITVS & SVETONIVS in eius vita.

cellens, cui etiam ſenior cedebat Cato, & qui paulo aetate inferiores fuerunt, Lepidus & Carbo ſubmittebant faſces. *q*) Eloquentia enim praeſtitit, & primus ex Latinis illa oratorum propria & quaſi legitima opera tractauit, vt a propoſito egrederetur ornatus cauſa, vt animos delectaret, vt rem augeret, vt commouendi affectus ratione & communibus locis vteretur. *r*) Hinc M. TVLLIVS, vt Laelio elegantiam, Scipioni maieſtatem, ita Galbae maximam vim tribuit, in dicendo, in ſcriptis non item; & miratur, quod huius, quem praeſtitiſſe conſtat eloquentia, orationes exiliores ſint, & magis redoleant antiquitatem, quam Laelii, quam Scipionis, quam ipſius etiam Catonis: vt vix iam tum apparentes exaruerint. Ratio quae & cauſa fuerit, eleganter & fuſe deſcribit: *Videmus*, inquit, *alios Oratores inertia nihil ſcripſiſſe, ne domeſticus etiam labor accederet ad forenſem, pleraeque enim ſcribuntur orationes habitae iam non vt habeantur. Alios non laborare, vt meliores fiant: nulla enim res tantum ad dicendum proficit quantum ſcriptio. --- Alios quod melius putent dicere ſe poſſe quam ſcribere, quod peringenioſis hominibus, neque ſatis doctis plerumque contigit, vt ipſi Galbae, quem fortaſſe vis non ingenii ſolum, ſed etiam animi, & naturalis quidam dolor dicentem incendebat efficiebatque, vt & incitata & grauis & vehemens eſſet oratio: dein quum otioſus ſtilum prehenderat, motusque omnis animi, tanquam ventus hominem defecerat, flaccescebat oratio, quod iis qui limatius dicendi conſectantur genus, accidere non ſolet, propterea quod prudentia nunquam deficit oratorem, qua ille vtens eodem modo poſſit & dicere & ſcribere. Ardor animi non ſemper adeſt, isque quum conſedit, omnis illa vis & quaſi flamma oratoris extinguitur. Hanc igitur*

q) TVLLIVS de clar. Orat. cap. vlt. *r*) Idem l. c. cap. 21. *s*) Idem l. c. cap. 24.

tur ob causam videtur Laelii mens spirare etiam in scriptis, Galbae autem vis occidisse.

§. XII.

Galbam sequitur par fratrum TIBERIVS & CAIVS GRACCHI, vterque summus orator & prudentiae plenus, diligentia *Corneliae* matris *t*) a puero doctus & Graecis literis eruditus, cuius non tam in gremio, quam in sermone, apparet fuisse educatus. *v*) PLVTARCHVS *x*) TIBERIVM GRACCHVM fuisse ait *κατασχηματιτὸν, ἐπαγωγικὸν εἰκτε, ἡδὺν τῇ λέξει, καθαρὸν, καὶ διαπεπονημένον ἀκριβῶς*; *Sedatum ac mitem, egregium ciendae misericordiae artificem, dictione suauem, purum & exquisite elaboratum.* At CICERO *y*) orationes eius, vt & Carbonis, non dum satis splendidas verbis, sed acutas & prudentiae plenissimas fuisse dicit: vtut paulo ante, *vtinam*, scripserit, *in Tiberio Graccho Caioque Carbone talis mens ad remp. bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profecto nemo his viris gloria praestitisset.* Alter enim propter turbulentissimum tribunatum ab ipsa Rep. est interfectus; alter se, propter perpetuam in populari ratione leuitatem, voluntaria morte vindicauit a seueritate iudicum. Quod ipse auctor ibidem innuit. *z*)

§. XIII.

Tiberio vt sanguine, ita literis coniunctissimus erat CAIVS GRACCHVS, quo dicente populus Romanus prae gaudio videbatur *συνενθουσιᾶν καὶ βακχεύειν*, lymphatorum instar divino

---

t) FABIVS Inst. Orat. l. 1. c. 1. CICERO & huius Corneliae, matris Gracchorum, epistolas laudat in Bruto c. 58. *v*) Idem l. c. cap. 27. & 58. *x*) In Gracchis. *y*) In Bruto cap. 27. *z*) Confer. AVRELIVS VICTOR Illustrium virorum c. 64. ALEXANDER AB ALEXANDRO Genial. Dier. lib. 1. c. 18.

uino afflari furore & bacchari; a) neque prae isto caeteri oratores quicquam dicebantur a pueris differre. b) Primus ille inter dicendum rostris inambulauit, togamque reiecit de humeris: ad exemplum Cleonis Atheniensis, qui deducto pallio, femor nudatum percutiebat. c) Idem Gracchus Erycinum, siue Licinium, quod malunt legere alii, seruum & literatum hominem, quum concionaretur, stantem occulte solitus est post se habere, qui fistula eburnea inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut a contentione reuocaret. d) De parsimonia, abstinentia & pudicitia sua, eundem vide; cum ex Sardinia reuerteretur, perorantem apud A. GELLIVM, e) qui & alibi f) eius orationes examinat. Seditioso tribunatu acto, cum Auentinum quoque armata multitudine occupauisset, a L. Opimio consule ex senatusconsulto vocato ad arma populo pulsus, interemtus est, & cum eo Fuluius Flaccus consularis, socius eiusdem furoris. g) Caium Gracchum TVLLIVS h) virum vocat & praestantissimo ingenio, & flagranti studio, & doctum a puero; adeo vt plenior nemo, vel vberior ad dicendum fuisset. Damnum ergo, vt illius verbis porro insistam, eius immaturo interitu res Romanae Latinaeque

a) Teste PLVTARCHO in Tib. & Cai. Gracchis. Actione & affectibus tantum valuit, vt cum matris defleret necem, totius populi Romani lacrumas concitarit. vid. QVINTILIANVS Instit. Orat. 11. c. 3. Hinc IVVENALIS Satyr. 3. v. 24.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

b) vid. PLVTARCHVS l. c. c) Idem l. c. d) CICERO de Oratore lib. 3. cap. 60. A. GELLIVS Noct. Attic. l. 1. c. 11. vbi aliquanto aliter, quam alii, hac de re scribit. *Fistula* eius *concionatoria* vocatur apud AMMIANVM l. 30. e) lib. 15. c. 12. f) lib. 11. c. 13. g) LIVIVS lib. 61. epit. AVRELIVS VICTOR Illustr. virorum c. 65. CICERO de claris Orator. c. 34. Confer. ALEXANDER AB ALEXANDRO Genial. Dier. l. 1. c. 18. h) In Bruto cap. 33.

tinaeque literae fecerunt. Denique, *grandis*, inquit, *est verbis, sapiens sententiis, genere toto grauis: manus extrema non accessit operibus eius, praeclara inchoata multa, perfecta non plane.*

§. XIV.

C. FANNIVS STRABO Caii filius, anno ab V. C. IↃCXXXI. consul erat cum Cn. Domitio Ahenobarbo. Ille quoque ab eloquentia VELLEIO PATERCVLO *i)* celebratur, vtpote qui contra Gracchum de sociis & nomine latino orationem reliquit, ipsius TVLLII *k)* iudicio bonam & nobilem.

§. XV.

C. CARBO a CICERONE *l)* iungitur Tiberio Graccho, & vbi de hoc paulo superius verba fecimus, illius quoque indicauimus ingenium. Vterque Lepidum audiuit; *m)* vterque studiis floruit & eloquentia; vterque violenta morte exspirauit. *n)*

§. XVI.

Tantus in arte dicendi non fuit Q. METELLVS NVMIDICVS. Sed tamen dixit ille, eiusque collega MARC. SVLLANVS, de Republica, quantum illis viris, & consulari dignitati satis esse potuit. *o)* Illum grauem & disertum virum A. GELLIVS *p)* vocat, vbi verba quaedam proponit ex oratione quam

i) Lib. 2. c. 19. *k)* In Bruto cap. 26. *Horum*, inquit, *aetatibus adiuncti duo C. Fannii, Caii Marcique filii fuerunt, quorum Caii filius, qui consul cum Domitio fuit, vnam orationem de sociis & nomine Latino, contra Gracchum, reliquit, sane bonam & nobilem. &c.* *l)* In Bruto passim. *m)* TVLLIVS l. c. c. 25. *Hunc*, sc. Lepidum, *studiose duo adolescentes ingeniosissimi & prope aequales C. Carbo & T. Gracchus audire soliti sunt.* *n)* De Carbonum familia vid. CICERONIS ad famil. l. 9. epist. 21. *o)* CICERO in Bruto c. 35. Verrin. 4. c. 66. Ad Attic. l. 1. ep. 16. AVREL. VICTOR. de viris illustr. c. 62. *p)* Noct. Attic. l. 1. c. 6. Eius quoque mentionem facit lib. 6. cap. 11.

quam in censura de vxoribus ducendis ad populum habuit. *Metelli*, quasi *meritelli*, a merendis stipendiis, vt FESTVS habet, mercenarii fuerunt in re militari, & Romanos inter plurimi, plebeii quidem, sed victoriarum fortuna celebres. Noster *Numidicus* vocatur ob res in Numidia contra Jugurtam praeclare gestas.

§. XVII.

Neque MARCVS SCAVRVS summi oratoris habuit laudem, vtut in multis causis versatus esset. Laudat vero CICERO *q*) in eius oratione, sapientis hominis & recti grauitatem summam, & naturalem quandam auctoritatem: non vt causam existimaueris dicere, sed testimonium potius, quum pro reo dixit.

§. XVIII.

Sed omnes fere ingenio ac dicendi artificio superarunt L. CRASSVS & M. ANTONIVS, quorum aetas iam in maioris lucis ortum vergebat. Primus enim, P. Licinii Crassi Pontificis maximi filius, anno ab V. C. IↃCLXII. in morbum ex contentione vocis implicatus exspirauit; *r*) alter, ille parens M. Antonii Triumuiri, qui Ciceronis fuit hostis & parricida, quadriennio post, saeuitia Mariana interfectus est. *s*) *Crassus* eloquentium habebatur iuris peritissimus; in *Antonio* λόγων Σειρῆνα καὶ χάριν orationis veneres ac leporem ipse etiam PLVTARCHVS *t*) commendat. De vtroque vero TVLLIVM nostrum, *v*) summum eloquentiae iudicem, audire praestat. Ille existimauit

q) De clar. Orat. c. 29. Eum confundere noli cum Mamerco Scauro, insigni nobilitate & orandis causis, sed vita probroso, qui sub Tiberio fuit. Vid. SENECA de Benef. l. 4. c. 31. & ibi LIPSIVS. *r*) Vid. CICERO de Oratore lib. 3. ab exordio. *s*) Idem l. c. cap. 2. & 3. LIVIVS lib. 80. epit. *t*) In vita Marii. confer. LIVIVS l. c. *v*) De claris

mauit, hos oratores fuiſſe maximos, & in his primum copiam Latine dicendi aequatam Graecorum gloriae. Omnia veniebant *Antonio* in mentem, ipſius verba ſunt, eaque ſuo quaeque loco, vbi plurimum proficere & valere poſſent. Erat memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio, imparatus ſemper aggredi videbatur ad dicendum, ſed ita erat paratus, vt iudices, illo dicente, nonnunquam viderentur non ſatis parati ad cauendum fuiſſe. Verba ipſa quidem non elegantiſſimo ſermone, verum etiam non admodum inquinate locutus eſt. In hoc inſuper ſingularis fuit actio; manus, humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, & omnis motus verbis ſententiisque conſentiens; vox permanens, verum ſubrauca natura, quod vitium huic vni vergebat in bonum, quippe quod flebile habuit & aptum in quaeſtionibus ad fidem faciendam, vel ad commouendam miſericordiam. In *Craſſo*; quo nihil perfectius fieri potuiſſe Tullius ſtatuit, erat ſumma grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum vrbanitatisque oratorius, non ſcurrilis, lepos, accurata & ſine moleſtia diligens elegantia Latine loquendi, mira in diſſerendo explicatio, argumentorum item, & ſimilitudinum ſingularis copia. *x)*

§. XIX.

C. IVLIVS CAESAR STRABO, ille cum Antonio IↃCLXVI. a Marianis interfectus, *y)* orator fuit minime quidem vehemens, ſed nemo vnquam vrbanitate, nemo lepore, nemo ſuauitate conditior. *z)* Praeter orationes ſcripſit etiam tragoedias,

claris Orat. c. 36. 37. Idem Craſſum cum Antonio diſputantem in ſuis de oratore libris introducit. *x)* Plura de eo apud TVLLIVM l. c. videantur, vbi Craſſum modo cum Antonio, modo cum Q. Scaeuola comparauit eleganter & fuſe. *y)* LIVIVS lib. 80. epit. CICERO de Oratore lib. 3. c. 3. *z)* Teſte CICERONE in Bruto.

goedias, in quibus tamen ſine neruis lenitas perſpici poteſt. *a*) Adraſtum eius citat FESTVS *b*) Tecmeſſam MARIVS VICTORINVS.

§. XX.

Vltimo loco Velleius poſuit P. SVLPICIVM, qui ſenibus illis hactenus recenſitis, cum C. COTTA fuit adoleſcens. *Sulpicius*, vt CICERONIS verba mea faciam, *Craſſum volebat imitari, Cotta malebat Antonium: Sed ab hoc vis aberat Antonii, Craſſi ab illo lepos.*

§. XXI.

Praeter illos ſupra memoratos etiam floruere in arte dicendi, M. AEMILIVS LEPIDVS, qui eſt *Porcina* dictus, iisdem fere temporibus, quibus Galba, ſed paulo minor natu, & *ſummus Orator*, inquit CICERO, *c*) *eſt habitus & fuit, vt apparet ex orationibus; ſcriptor ſane bonus. Hoc in oratore Latino primum mihi videtur & lenitas apparuiſſe illa Graecorum, & verborum comprehenſio, etiam artifex, vt ita dicam, ſtilus.* L. PHILIPPVS, qui longo quantumuis interualo, proximus fuit ſummis oratoribus Craſſo & Antonio; multis ille facetiis & ſumma libertate vtebatur in oratione, ſatis erat creber in reperiendis, ſolutus in explicandis ſententiis; Graecis doctrinis inſtitutus, in altercando cum aliquo aculeo & maledicto facetus. *d*) Q. CATVLVS, vir omni laude praeſtans, bello Mariano IↃCLXVI. coactus vt vita ſe ipſe priuaret, *e*) orationis comitatem & incorruptam quandam Latini ſermonis integritatem teſtatus eſt, tum in orationibus, tum in eo libro, quem de conſulatu & de rebus ſuis conſcripſit & Xenophonteio ſermonis genere miſit ad Aulum Furium Poe-

 tam

a) CICERO l. c. *b*) In verb. *Prophetae.* *c*) In Bruto cap. 25.
d) TVLLIVS in Bruto c. 47. *e*) Idem de Oratore lib. 3. c. 3.

Poetam familiarem suum. *f)* M. DRVSVS vt vita, sic oratione turbulentus, auctoritate & oratione grauis. *g)* C. TITIVS de quo TVLLIVS noster in illo toties totiesque citato de claris oratoribus, quem *Brutum* inscripsit, commentario: *eiusdem,* inquit, *fere temporis fuit eques Romanus C. Titius; qui, meo iudicio, eo peruenisse videtur, quo potuit fere Latinus Orator sine Graecis literis & sine multo vsu peruenire. Huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum vrbanitatis habent, vt pene Attico stilo scriptae esse videantur.* Antiquior paulo L. CALPVRNIVS PISO, *Frugi* a frugalitate, *h)* & Censorius a munere, quod gessit, censurae *i)* cognominatus ille, qui L. Censorino & M. Manlio Coss. i. e. anno ab vrbe condita Iocv. Tribunus Plebis primus legem de pecuniis repetundis tulit, quae *Calpurnia* dicitur. *k)* Summa virtute & integritate fuit, vnde praeclarum *frugi* cognomen solus tempore suo reportauit, quod ipsi eius inimici negare nunquam potuere. C. Gracchus orator, qui multa saepe in nostrum turpia & flagitiosa dixit, cum aliquando eum in concionem vocari iuberet, & viator quaereret, quem Pisonem? erant enim

---

f) Idem in Bruto c. 35. *g)* Ibid. c. 28. & 62. *h)* CICERONI toties laudata. Tusculan. quaest. lib. 3. *Reliquas etiam virtutes,* inquit, *frugalitas continet, quae nisi tanta esset, & nisi iis angustiis, quibus plerique putant, teneretur, nunquam esset L. Pisonis cognomen tantopere laudatum.* Summam eius frugalitatem dignis laudibus euehit quoque in oratione pro M. Fonteio. *i)* DIONYSIVS HALIC. Rom. Antiq. lib. 2. cap. 5. vbi de Tarpeia Capitolium prodente, & passim hisce verbis eum citat: Ως δὲ πίσων Λεύκιος ὁ τιμητικὸς ἱστορεῖ: *vt autem Piso Lucius Censorius refert.* Ita *Pisonem* quoque *Lucium* nostrum *Censorium* vocat CENSORINVS de die natali cap. 17. & PLINIVS Hist. nat. l. 13. c. 13. vbi quidem C. pro L. mendose irrepsit. Confer. VOSSIVS de Hist. Lat. l. 1, cap. 6. *k)* CICERO de claris oratoribus. lib. 2. de officiis. Verrina oratione 5.

enim plures; *cogis me*, inquit, *dicere inimicum meum Frugi.* *l*) Anno ab vrbe condita Iↄcxx. consulatum cum P. Mucio Scaevola gessit; *m*) circa idem tempus, quo Tiberius Gracchus occisus est. *n*) Censor fuit anno Iↄcxxxiii. in qua dignitate Q. Caecilium Metellum Balearicum collegam habuit. Vt eum inter clariores huius aeui oratores referendum esse censeam, inducor M. Tvllii *o*) loco isto quidem satis vulgari: *Ipse etiam Piso & causas egit, & multarum legum aut auctor, aut dissuasor fuit: isque & orationes reliquit, quae iam euanuerunt, & annales sane exiliter scriptas.* Sed longum est enumerare omnes, quos, vt optime potuit, Cicero pater eloquentiae elegantissimo, quem *Brutum* inscripsit, de claris oratoribus commentario recenset. Missos ergo facimus reliquos, eoque magis quod neuter istorum, & in vniuersum omnes nos nihil iuuant; ceu quorum scripta, aut scriptorum fragmenta nequidem attigerunt secula nostra: vt iamdiu ad vnum omnes obliuione sepulti fuissent, nisi memoriam, nomina saltem, nobis eorum aliena cura & diligentia conseruauerit.

CAPVT VI.

De Historicis Latinis huius aeui clarioribus.

§. 1. Transitione ad Historicos facta, 2. De Q. Fabio Pictore agitur. 3. De L. Cincio Alimentio. 4. Catone Censorio. 5. L. Calpurnio Pisone. 6. Minatio Rufo. 7. C. Fannio. 8. Vononio.

---

l) Vid. Cicero in orat. pro M. Fonteio. *m*) Vid. Fasti consulares. *n*) Cicero Verrin. orat. 6. *Cum, Tiberio Graccho occiso, magnorum periculorum metus ex ostentis portenderentur, P. Mucio, L. Calpurnio Coss. aditum est ad libros Sibyllinos.* *o*) In Bruto.

nonio. 9. Cassio Hemina. 10. Sempronio Tuditano. 11. L. Caelio Antipatre. 12. Sempronio Asellione. 13. Sexto & Cneo Gelliis. 14. Claudio Licinio. 15. De omnibus Ciceronis iudicium. 16. Fragmentorum collectiones recensentur.

§. I.

POstquam de clarioribus huius aeui Poetis, Rhetoribus, Grammaticis atque Oratoribus, quanta fieri potuit, perspicuitate, locuti sumus, etiamnum paucis, eos persequi animus est, qui ex Latinis, res gestas vernacula sua consignantes, aeque promouerunt ornatum linguae, ac iure quasi proprio historicorum nomina sibi vindicarunt. Haec cum meditamur, neque primordia & fata historiae, inde ab antiquissimis temporibus, quod praestiterunt iam dudum alii, *a*) repetere, neque eos ab nobis alibi recensitos, *b*) qui oratione ligata carminibusque suis condiderunt annales rerumque memoriam, huc reuocare instituimus, promiscue omnes. Sed, vt breuior paulo magisque distincta sit haec dissertatio nostra, suum cuique ordinem statumue relinquentes, historicos solummodo huius aeui soluta oratione clariores nominabimus. Quibus adeo imitabimur eos, qui in ludicris, actionem licet habeant satis prolixam, vnum post alium, aptiori vt appareat figura, in scenam producunt. Illud vero non possum non in antecessum monere, quod Romani hoc aeuo, in rebus suis describendis, tantam linguae minime gentium eiusque culturae nauarint operam, quantam in oratione cum ligata tum prosa, eaque pereximia & illustri dicendi arte. Id quod Cicero *c*) haud obscure innuit, quando plurimos illius temporis historicos dicit *non exornatores*

a) Vid. G. I. Vossius de Historicis Graecis & Latinis. *b*) Puta Naeuium, Ennium, alios. *c*) De Oratore lib. 2. cap. 12. extr.

tores rerum, sed tantummodo narratores fuisse. Et paulo post: *Minime mirum, si ista res* (de historia sermo est) *adhuc nostra lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi vt in causis atque in foro eluceat.* &c.

§. II.

Historicorum, qui pedestri oratione commentati fuerunt, agmen ducit QVINTVS FABIVS PICTOR, *d)* scriptorum antiquissimus, *e)* nepos celeberrimi illius C. Fabii, qui aedem salutis Romae anno CCCCL. pinxit, ac familiae suae primus *Pictoris* nomen meruit; *f)* filius C. Fabii, qui militaris quaestor fuit anno ab V. C. CCCCLXXV. aedilis curulis CCCCLXXX. praetor CCCCLXXXIII. & consulatum CCCCLXXXV. cum Q. Ogulnio Gallo gessit. Noster vero quaestor prouincialis fuit anno IↃXXXV. LIVIVS *g)* cum testatur belli Annibalici temporibus vixisse, quem proinde ceu coaetaneum & aequalem illis tempestatibus auctorem, in proelio ad Trasimenum lacum enarrando, sequitur. Post Cannensem cladem, quae IↃXXXVIII. contigit, legatus a Romanis Delphos ad Apollinis oraculum mittitur sciscitatum, quibus precibus & supplicationibus deos possent placare, & quaenam futura finis tantis cladibus foret. *h)* Vnde redux in concione responsum ex Grae-

d) φάβιος πίκτωρ συγγραφεὺς Ῥωμαίων. *Fabius Pictor historicus Romanus* dicitur apud SVIDAM. *e)* Qui TITO LIVIO vocatur Hist. Rom. lib. 1. c. 44. Et lib. 2. c. 40. longe antiquissimus Auctor. *f)* PLINIVS hist. natur. lib. 35. c. 4. *Apud Romanos quoque honos mature huic arti* (pingendi) *contigit. Siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clarissimae gentis: princepsque eius cognominis ipse aedem salutis pinxit anno CCCCL. quae pictura durauit ad nostram memoriam, aede, Claudii principatu, exusta.* *g)* Hist. Rom. lib. 22. c. 7. Eius aetatem & elogium vid. apud EVTROPIVM lib. 3. c. 2. DIONYSIVM l. 1. c. 1. *h)* LIVIVS lib. 22. cap. 57. & APPIANVS in Annibalicis, postquam expo-

co carmine interpretatum recitauit. *i*) Hunc etiam bello Gallico, quod nouem annis ante istud Annibalicum, inter primum & secundum bellum Punicum, ab vniuersa Italia gestum est, interfuisse, idemque scripsisse, EVTROPIVS *k*) auctor est. Scripsit vero Latine: & hoc vel inde constat, quod vna cum Pisone Frugi & Catone, Latinis scriptoribus, a CICERONE *l*) opponitur Graecis. Nihilo tamen minus potuit etiam aliquid Graece ab isto consignatum fuisse. M. TVLLIVS *m*) saltem Fabii Pictoris annales Graecos memorat. Et DIONYSIVS HALIC. *n*) *His autem,* inquit, Graecis patriae auctoribus scilicet, *similes & nulla in re discrepantes historias in lucem ediderunt Romani homines, quotquot res priscas suae ciuitatis sermone Graeco,* τῇ Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ, *scripsere: quorum vetustissimi sunt Q. Fabius, L. Cincius, qui ambo bellis Punicis floruerunt. Horum*

fuisset Cannensem cladem, subiicit tandem: Ἡ δὲ βουλὴ Κοΐντον μὲν Φάβιον, τὸν συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων, ἐς Δελφοὺς ἔπεμπε χρησόμενον περὶ τῶν παρόντων. *Senatus Q. Fabium, qui & ipse harum Annibalicarum rerum historiam conscripsit, Delphos ad oraculum misit, sciscitaturum de praesenti rerum statu.* *i*) Vid. LIVIVS lib. 23. c. 11. *k*) Lib. 2. *Lucio Aemilio Cos. ingentes Gallorum copiae Alpes transierunt: sed pro Romanis tota Italia consensit: traditumque est Fabio Historico, qui ei bello interfuit, 800. millia hominum parata ad id bellum fuisse.* *l*) De Oratore lib. 2. cap. 12. Vbi inter alia: *ne nostros,* inquit, *contemnas, Graeci quoque sic initio scriptitarunt, vt noster Cato, vt Pictor, vt Piso. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio.* Et paucis interiectis: *Qualis inter Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit aliique permulti, talis noster Cato & Pictor & Piso, qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio, modo enim huc ista sunt importata & dum intelligatur quid dicant, vnam dicendi laudem putant esse breuitatem.* Confer. DIONYSIVS HALIC. Rom. Antiq. lib. 1. c. 1. *m*) De diuinat. lib. 1. c. 21. Sed mauult VOSSIVS de Historic. Latinis lib. 1. c. 3. diuersos statuere Fabios, quam eum ibi citatum pro eodem nostro scriptore habere. *n*) Rom. Antiq. l. 1. c. 1.

rum virorum vterque res, quibus ipse interfuit, vtpote probe sibi notas, diligenter scriptis mandauit: res vero priscas, quae post vrbem conditam gestae sunt, summatim percurrit. Annalium Pictoris mentionem praeterea fecerunt POLYBIUS, *o*) STRABO, *p*) PLINIVS, *q*) FABIVS QVINT. *r*) SOLINVS, *s*) A. GELLIVS, *t*) Grammatici veteres alii. Nihil nostra aetas scriptorum illius Pictoris vidit, ex quo de ratione dicendi & stilo iudicare possemus. CICERO *v*) vero eum ceterosque huius aeui historicos exiles nominat, & alibi *x*) non exornatores rerum sed tantummodo narratores, qui vnam dicendi laudem esse breuitatem existimauerint.

§. III.

L. CINCIVS ALIMENTIVS aliis *Mimantius* corrupte vocatus, aequalis Fabii Pictoris, bellis Punicis clarissimus, & scriptor rerum diligentissimus, quibus ipse interfuit. *y*) M. Claudio Marcello & M. Valerio Coss. cum P. Manlio Volsone & L. Manlio Alcidino & C. Lectiorio Praetor creatur, *z*) & Siciliam obtinet. Ita enim Patres decreuere, *vt alteri consulum Italia bellumque cum Annibale prouinciaque esset: alter classem, cui T. Otacilius praefuisset, Siciliamque cum L. Cincio praetore obtineret. a*) Ad eam obtinendam, Cannenses milites ipsi duarum instar legionum dantur. *b*) Rebus hic feliciter gestis, eius in Sicilia imperium, Q. Fabio Maximo quintum,

Cc 2 &Q.

o) Hist. lib. 1. p. m. 27. vbi eius fidem accusat, quod amore deceptus in fauorem Romanorum scripserit; & lib. 3. p. m. 236. seq. vbi de causis belli Punici secundi disquirit. *p*) Geograph. lib. 5. *q*) Histor. natur. lib. 10. c. 24. & lib. 14. c. 13. *r*) Instit. Orator. lib. 1. c. 10. *s*) Polyhist. c. 10. *t*) Noct. Attic. lib. 1. c. 12. lib. 5. c. 4. lib. 10. c. 15. *v*) De legibus lib. 1. *x*) De Oratore lib. 2. c. 12. *y*) DIONYS. HALIC. Rom. antiq. lib. 1. c. 1. Sic quoque LIVIO dicitur *diligens monimentorum auctor*, Hist. Rom. lib. 7. c. 3. & *maximus auctor*, lib. 21. c. 38. *z*) LIVIVS lib. 26. c. 23. *a*) Idem lib. 26. c. 28. *b*) Ibid. circ. fin.

& Q. Fulvio Flacco tertium coss. in annum prorogatur, exercentusque Cannensis ipsi datus ex milite Cn. Fuluii superstito suppletur. *c*) Post caedem M. Marcelli, cum paucis ante diebus ex Sicilia rediisset, nomine Senatus populique Romani cum Sex. Iulio Caesare & L. Licinio Pollione ad Crispinum consulem splendida quidem, at subtristi, legatione missus est. *d*) Denique, ipso fatente, *e*) captiuus ducitur ab Annibale, quocum de variis confabulatur rebus, postmodum in historiam suam transferendis. Scripsit autem, rebus feciliter peractis, eam historiam Annibalici idiomate Graeco. *f*) Nihilo tamen minus & quaedam Latine consignauit, vt *de Gorgia Leontino* historiam, ex qua senes ab Latinis veteribus filicernios vocari FVLGENTIVS *g*) probat. Citantur quoque passim a Grammaticis eius opera Latina *de Re militari*, *h*) *de fastis*, *i*) *de verbis priscis*, *k*) *de comitiis*, *l*) *de consulum potestate*, *m*) *de officio iurisconsulti*, *n*) *libri mystagogicon*. *o*)

§. IV.

c) Idem lib. 27. c. 7. *d*) Idem lib. 27. c. 31. *e*) Apud LIVIVM lib. 21. c. 38. Cuius testimonio STEPHANVS PIGHIVS in Annal. ad ann. CCCCXXXIV. fretus scribit, Cincium eum, qui Praetor Siciliam obtinuit & ad Crispinum consulem legatus fuit, non historicum nostrum, sed eius filium videri. Sed coniecturam isthanc refutauit dudum G. I. VOSSIVS de Historic. Latinis lib. 1. c. 4. qui post eam praeturam & legationem ad Crispinum arbitratur, Cincium in Annibalis manus venisse. *f*) Videatur DIONYS. HALIC. Rom. Antiq. lib. 1. c. 1. confer. VOSSIVS de Historic. Graecis lib. 4. c. 13. de Histor. Latin. lib. 1. c. 4. *g*) In libro de vocibus antiquis in collectione Mytholog. IACOBI MICYLLI. p. 148. edit. Basil. 1549. fol. Et in corpore Auctor. Latinae linguae DIONYS. GOTHOFREDI p. 802. *h*) Vid. GELLIVS lib. 16. cap. 4. *i*) MACROBIVS Saturn. l. 1. c. 12. *k*) FESTVS in voc. *peremere*, *reconductae*, *Rodus*, & *scena*. *l*) idem in voc. *patricios*. *m*) Idem in voc. *praetor*. *n*) Idem in voc. *nuncupata*. *o*) Idem in voc. *trientem*. Iteratis

§. IV.

Eodem tempore vixit M. PORTIVS CATO CENSORIVS, de quo inter clariores oratores iam satis dictum est. Ille fuit multis nominibus commendatus; sed ea solum proferemus heic loci, quae cum instituto nostro nunc magis conueniunt. Mentionem istius secundo facimus propter Originum libros, quibus profectioribus annis eximii historici laudem meruit. Dignis illud opus encomiis citat DIONYSIVS HALIC. *p) οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι πορκιός τε κάτων ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών.* AEMILIO PORTO interprete: *Sed doctissimi Romanorum scriptorum, inter quos est Portius Cato, qui Italicarum vrbium origines accuratissime collegit* &c. In illis historias seu annales populi Romani consignauit. Quare FESTVS: *q) Originum libros quos inscripsit Cato, non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus: quando praegrauant ea, quae sunt rerum gestarum populi Romani.* Et promiscue hinc ab scriptoribus *historiae r)* & *Annales s)* vocantur. Argumentum operis distincte CORN. NEPOS *t)* describit, cuius verba non possum non propter memoriam integra dare: *Senex*, inquit, *scribere historias instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas Regum pop. Rom. Secundus & tertius, vnde quaeque ciuitas orta sit Italica. Ob quam rem omnes Origines videtur*

 appel-

ratis vicibus eius mentionem facit DIONYS. HALIC. Rom. Antiq. l. 2. c. 5. vbi de Tarpeia Capitolium prodente. *p)* Rom. Antiq. l. 1. cap. 2. *q)* In voc. *Originum*. Cui respondet VOSSIVS de Histor. Latinis lib. 1. c. 5. p. m. 20. *r)* CORN. NEPOS in vita Catonis c. 3. CHARISIVS l. 2. *s)* Epitoma LIVII l. 49. *t)* l. c. Laudat illud opus cumprimis etiam CICERO Bruto c. 17. Et SALLVSTIVS hist. l. 1. cuius locum MARIVS VICTORIVS Exposit. in l. 1. Rhetor. Ciceronis nobis conseruauit. Vid. Antiq. Rhetores Latini ex Biblioth. FRANC. PITHOEI p. 130.

appellasse. In quarto autem bellum Punicum primum: in quinto secundum. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad praeturam Ser. Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominauit, sed sine nominibus res notauit. In iisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque viderentur miranda. In quibus multa industria & diligentia comparet, multa doctrina. Laudes suas in hoc opere Catonem minime praeteriisse docet PLVTARCHVS. v) Illud ipse manu sua descriptum maioribus literis legendum filio suo proposuit: vt domestica exempla virtutis edisceret. x) Sed omnis interiit labor iniuria temporum, cuius nunc nil nisi fragmenta quaedam nobis superstita sunt; collecta ab Antonio Riccobono, ad calcem libri de historia, & Ausonio Popma aliisque, de quibus supra. Extant quoque in fragmentis veterum Historicorum ab Elzeuiriis Sallustio annexis. Sallustius ipse scriptor seriae & seuerae orationis euasit, sibique stili attraxit duritiem, quod ex Catonis originibus verba excerpsit. y)

§. V.

L. CALPVRNIVS PISO *Frugi*, quem etiam capite superiore inter Oratores recensuimus, annales reliquit sane exiliter, CICERONIS iudicio, z) scriptos. Nihilominus dictionem in illis GELLIVS a) laudat, vbi, *simplicissima*, inquit, *suauitate & rei & orationis L. Piso Frugi vsus est in primo annali* cum

v) In vita Catonis maioris. x) PLVTARCHVS l. c. y) RAPIN dans ses Reflexions sur l'Histoire §. 11. *Salluste a de la grandeur dans son style: mais il a des expressions dures, qui le rendent sec en de certains, endroits, parce qu'il s'estoit formé dans la rudesse des Origines de Caton: ce qui donne à son discours vn serieux, qui a l'air de seuerité.* Confer. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 17. c. 18. SVETONIVS de illustr. Grammat, c. 10. & 15. z) In Bruto c. 27. a) Noct. Attic. l. 11. c. 14.

eum de Romuli Regis vita atque victu scriberet. Grauem auctorem eum vocat PLINIVS. *b*) Ipse citatur ab eo passim; *c*) ita quoque a LIVIO, *d*) ipso CICERONE, *e*) VARRONE, *f*) DIONYSIO, *g*) GELLIO, *h*) CENSORINO, *i*) atque aliis. CICERO *k*) aetatem eius indicat, vbi legem de repetundis primam, quae *Calpurnia* dicitur, illi tribuit, latam L. Censorino & M. Manlio Coss. h e. anno vrbis IↃCV.

§. VI.

MINATIVS RVFVS, Catonis in Cypriaca expeditione fidus comes, a VALERIO MAXIMO *l*) citatur; vnde VOSSIVS *m*) coniicit, eum Cypriacam Catonis expeditionem literis mandasse.

§. VII.

C. FANNIVS, Marci filius, diuersus ab illo eiusdem nominis Fannio, cuius inter Oratores facta mentio, vtpote quem Caii filium fuisse M. Tullii testimonio vidimus. *n*) Patrueles autem fuere, alter oratione, alter historia, quam scripsit, praeprimis clarus. Noster anno V. C. IↃCXIV. Cn. Calpurnio Pisone & M. Popilio Laenate coss. quaesturam gessit, & biennio post IↃCXVI. ad praeturam peruenit. In Asia militauit

b) Histor. natur. lib. 2. c. 53. *c*) vt lib. 13. c. 13. *d*) Lib. 2. c. 58. lib. 9. c. 44. l. 10. c. 9. l. 25. c. 39. *e*) Lib. 9. epist. 22. *f*) De lingua Latin. lib. 4. c. 32. vbi de lacu Curtio & c. 34. eiusd. lib. vbi de porta ianuali. *g*) Rom. Antiq. lib. 1. c. 10. vbi de Romuli & Remi ortu. l. 2. c. 5. vbi de Tarpeia Capitolium prodente, & passim. *h*) Noct. Attic. l. 6. c. 9. l. 11. c. 14, l. 15. c. 29. *i*) De die natali c. 17. *k*) In Bruto c. 27. *l*) Lib. 4. c. 3. exempl. Rom. 2. *m*) De historicis Latinis l. 1. c. 5. *n*) Vtrumque noli confundere cum alio C. Fannio eiusd. nominis tertio, cuius obitum PLINIVS lib. 5. epist. 5. luget, tum ob alias causas, tum maxime, quod opus de sceleribus Neronis imperfectum reliquerit.

uit ſub Scipione Aemiliano; in Hiſpania ſub Fabio Maximo Seruiliano. *o*) Caii Laelii Sapientis gener fuit, cum quo non pro ſortis neceſſitudine vixit, ob praelatum ſibi Q. Mucium Scaeuolam in auguratus petitione. Ita M. TVLLIVS *p*) de eo, poſtquam patruelem iſtius, alterum C. Fannium, propoſuerat: *Alter autem,* inquit, *C. Fannius M. F. Caii Laelii gener, & moribus & ipſo genere dicendi durior, is ſoceri inſtituto, quem quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praeſertim quum ille Q. Scaeuolam ſibi minorem natu generum praetuliſſet, cui tamen Laelius, ſe excuſans, non genero minori, dixit, ſe illud, ſed maiori filiae detuliſſe. Is tamen inſtituto Laelii Panaetium audiuerat. Eius omnis in dicendo facultas ex hiſtoria ipſius non ineleganter ſcripta perſpici poteſt, quae neque nimis eſt infans, neque perfecte diſerta.* Hiſtoriam iſthanc, quam alibi CICERO *q*) etiam *annales* vocat, Salluſtius apud MARIVM VICTORINVM *r*) a veritate commendat.

§. VIII.

VENONIVS hiſtoriam ſcripſit, quam TVLLIVS *s*) ſe non habere moleſte tulit. Ab Halicarnaſſenſi DIONYSIO *t*) ſcriptor ille *ἀξιοπιστώτερος, fide dignus*, vocatur.

§. IX.

---

o) Vid. PLVTARCHVS in Gracchis & APPIANVS in Ibericis. *p*) In Bruto. *q*) De legibus lib. 1. de orator. lib. 2. Ita etiam PLVTARCH. in Gracchis. *r*) Expoſit. in 1. Rhetor. Cic. *Namque hiſtoria & breuis eſſe debet in expoſitione, & aperta & probabilis: vt Salluſtius ſibi omnia in Catilina tribuit: quam breuiſſime potero, paucis abſoluam. Cum aliis hiſtoriographis ſingula tradidiſſet in libro 1. hiſtoriarum Catoni breuitatem, Romani generis deſertiſſimus paucis abſoluit; Fannio vero veritatem.* in collectione antiquorum Rhetorum Latinorum ex biblioth. FRANCISCI PITHOEI Pariſ. 1599. quae omnium rariſſima eſt, *p.* 130. *s*) Ad Attic. lib. 12. c. 1. & quae eiusdem fere partis repetitio eſt lib. 16. epiſt. 4. *t*) Roman. Antiq. lib. 4. c. 2.

§. IX.

L. CASSIVS HEMINA vetustissimus annalium auctor, vocatur apud PLINIVM. v) Vixit ludis secularibus quartis, C. Cornelio Lentulo & L. Mummio Achaico coss. anno vrbis IↃCVIII. quibus interfuisse illum testatur CENSORINVS. x) Fecit annalium libros quatuor, quorum vltimus inscribebatur *Bellum Punicum posterior*, ex veterum vsu. y) Citatur a variis PLINIO, z) GELLIO, a) MACROBIO, b) NONIO, c) Aliis.

§. X,

C. SEMPRONIVS TVDITANVS, consul fuit cum M. Aquilio anno vrbis IↃCXXIV. quo Scipio Aemilianus scelere suorum extinctus fuit. Cognominis rationem FESTVS d) exhibet; *Tudites mallei a tundendo dicti. Inde & cuidam cognomen Tuditano fuit, quod caput malleoli simile habuerit.* Libros scripsit commentariorum, citatos PLINIO, e) GELLIO, f) MACROBIO, g) aliis. TVLLIVS h) de stilo & dictione ita: *Caiusque Tuditanus, cum omni vita atque victu excultus, tum eius elegans est habitum etiam orationis genus.*

§. XI.

L. CAELIVS ANTIPATER Gracchorum aetate vixit, i) scriptor, vt temporibus illis potuit esse, luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam, vt Lucii Crassi magister: k) quamuis POMPONII IC. iudicio l) magis eloquentiae, quam scientiae iuris, operam dederit. Circa annum vrbis IↃCXXIV. florere

Dd coepit.

v) Lib. 13. c. 13. x) Cap. 17. y) Teste PRISCIANO lib. 7. z) Passim. a) Lib. 17. cap. 21. b) Saturn. lib. 1. c. 16. c) Passim. d) In nom. *Tudites*. e) Lib. 13. c. 13. f) Lib. 13. c. 14. l. 6. c. 4. g) Lib. 1. cap. 13. & 16. h) In Bruto. i) Vid. VALER. MAXIM. lib. 1. c. 7. exempl. Rom. 6. k) CICERO de claris orator. c. 26. l) L. 2. §. 40. digest. de orig. iuris.

coepit. Scripſit annalium ſiue hiſtoriarum belli Punici ſecundi, vt ex fragmentis eius ſaltem colligere potuimus, libros ſeptem ad L. Aelium Stilonem, Varronis magiſtrum, cui Lucilius quoque ſatyras miſit, quod ipſe teſtatur verſu:

Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Aeli. m)

Hiſtoriam Caelii poſtea M. Brutus in compendium redegit. *n)* Dictionem eius M. TVLLIVS paſſim inquirit. Alibi: *o) Paulum,* inquit, *ſe erexit & addidit hiſtoriae maiorem ſonum, vir optimus, Craſſi familiaris, Antipater: caeteri non exornatores rerum, ſed tantummodo narratores fuerunt. Eſt, inquit Catulus, vt dicis, ſed iſte ipſe Caelius, neque diſtinxit hiſtoriam varietate locorum, neque verborum collocatione, & tractu orationis leni & aequabili perpoliuit illud opus, ſed vt homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, ſicut potuit dolauit: vicit tamen, vt dicis, ſuperiores.* Rurſum: *p) Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc ſecuti non tenuerunt, ſimile faciamus* &c. Hadrianus vero Imperator, antiqui ſermonis amator, vt Catonem Ciceroni, Ennium Virgilio, ita quoque Caelium noſtrum Salluſtio praeferebat. *q)*

§. XII.

P. SEMPRONIVS ASELLIO ſub P. Scipione Africano ad Numantiam tribunus militum fuit. *r)* Coepit autem bellum

m) CORNIFICIVS, vel quisquis ſit auctor, Rhetoric. ad Herenn. lib. 4. cap. 12. *n)* CICERO ad Attic. lib. 13. ep. 1. *Epitomen Bruti Caelianorum velim mihi mittas.* Vbi quidem PAVLVS MANVTIVS intelligit librum de illuſtribus in Caelia familia viris. Eius vero ſententia non probatur VOSSIO de Hiſtoricis Latinis lib. 1. c. 8. *o)* De oratore lib. 2. c. 12. 13. *p)* Orator. c. 69. *q)* Vt refert SPARTIANVS, in Hadriano, licet in aliquibus exemplis corrupte *Caecilius* legatur. *r)* Vid. A. GELLIVS lib. 2. cap. 13.

bellum Numantium anno V.C. Iɔcxiv. Q. Seruilio Caepione & C. Laelio Sapiente, & durauit vſque ad annum Iɔcxxxi. P. Mucio Scaeuola & L. Calpurnio Piſone Frugi coſſ. quo Numantia exciſa eſt. Hiſtoriam earum rerum, quibus ipſe interfuit, *s*) libris vltra XIV. conſignauit. Ille ab HALICARN. DIONYSIO *t*) cum Porcio Catone, qui Italicarum vrbium origines accuratiſſime collegit, numeratur inter λογιωτάτυς τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, *Romanorum hiſtoricorum diſertiſſimos*, vel, vt ab AEMILIO PORTO latine redditur, *doctiſſimos.*

§. XIII.

SEXTVS & CNEVS GELLII, ille Auctori de origine gentis Rom. qui vulgo AVRELIVS VICTOR eſſe dicitur; hic vero ab AVLO GELLIO *v*) & DIONYSIO HALICARN. *x*) in annalibus memoratur paſſim. Ita quoque PLINIO ſeniori polygrapho, *y*) MACROBIO, *z*) CHARISIO, *a*) aliis. Aduerſus hunc Cato orationem pro L. Turio dixit. *b*) Vnde ſatis, quando vixerit, conſtare poteſt.

§. XIV.

CLODIVS LICINIVS eiusdem pene cum Sempronio Aſellione aetatis, res Romanas conſignauit, quarum librum tertium citat LIVIVS, *c*) vigeſimum primum NONIVS. *d*)

§. XV.

De illis hactenus memoratis omnibus praeſtat audire ſummi Oratoris iudicium, quam diſſerere multa. Ita ille: *e*) *Si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem,*

Dd 2

s) Ibidem. *t*) Rom. Antiq. l. 1. c. 2. *v*) Noct. Attic. l. 8. c. 13. l. 13. c. 21. *x*) Rom. Antiq. lib. 2. c. 5. 8. & 9. circ. fin. l. 6. c. 2. l. 7. c. 1. *y*) Hiſt. natur. l. 7. c. 56. *z*) Saturn. l. 1. c. 16. *a*) Paſſim. *b*) A. GELL. Noct. Attic. l. 14. c. 2. *c*) Hiſt. Rom. l. 29. c. 22. *d*) Cap. 3. n. 184. vbi quidem vulgo perperam legitur *Lucil. Rerum humanarum*. Caetera vide apud Voss. de Hiſt. Latin. l. 1. cap. 8. circ. fin *e*) CICERO de legibus lib. 1. c. 2.

nem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium venias, quanquam ex his alius plus habet virium, f) tamen quid tam exile quam isti omnes? Fannio autem aetate coniunctus Antipater, paulo inflauit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem & horridas, sine nitore ac palaestra: sed tamen admonere reliquos potuit, vt accuratius scriberent. Ecce autem successere huic belli g) Clodius. Asellio: nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem & inscitiam. Alibi: *h) Hanc*, de maximis annalibus loquitur, *i) similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine vllis ornamentis monimenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecides, Hellanicus, Accusitas fuit aliique permulti, talis noster Cato, & Pictor, & Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio, modo enim huc ista sunt importata, & dum intelligatur quid dicant, vnam dicendi laudem putant esse breuitatem. Paulalum se erexit, & addidit historiae maiorem sonum vocis vir optimus Crassi familiaris Antipater: Caeteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.*

§. XVI.

Prorsus nihil ex omnibus historicorum hactenus commemoratorum scriptis superest; obscuriora tamen quaedam fragmenta ex veterum Grammaticorum & aliorum superstitibus libris

f) Vt ex. gr. caeteris praeferendus est Cato, quem CICERO de Oratore lib. 1. quasi cum admiratione quadam laudauerat dudum: *Quid vero ille M. Cato? nonne & eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora atque ille aetas in hac ciuitate ferre maximam potuit, & iuris ciuilis omnium peritissimus.* g) Hic VOSSIVS pro *belli* censet legendum esse *Gellii*: de Historicis Latinis lib. 1. cap. 8. p. m. 34. h) De Oratore lib. 2. i) De quibus in dissertatione de Pueritia Latinae linguae cap. 3. §. 15.

libris recentior aetas, vt multa alia, postliminio quasi restituere voluit. Q. Fabii Pictoris, Fabii Maximi Seruiliani, C. Licinii Macri, Sempronii Asellionis, L Caelii Antipatri, Q. Claudii Quadrgiarii, Claudii Licinii, L. Cincii Alimenti, Cn. Gellii, L. Calpurnii Pisonis, L. Cassii Heminae, L. Cornelii Sisenae fragmenta ab ANTONIO AVGVSTINO collecta, & a FVLVIO VRSINO emendata cum Vrsini obseruationibus ad Sallustium, Caesarem, Liuium, Velleium, Tacitum, Suetonium & reliquos Historiae Augustae scriptores, prodierunt *Antverpiae* 1595. in 8. Veterum historicorum fragmenta haec & multa alia collegit quoque ANTONIVS RICCOBONVS ad calcem libri de historia: *Venetiis* 1568. in 8. & *Basileae* 1579. in 8. Et AVSONIVS POPMA anno 1620. in 8. sua vulgauit, quae exantlatis laboribus comparare potuit, veterum Historicorum fragmenta. Ea deinde quibusdam Sallustii editionibus subiecta sunt, vt nominatim Elzeuirianae *Lugd. Batau.* 1634 in 12. *Amstelodamensi* 1661. in 12. aliis.

CAPVT VII.

De Locutione huius aeui antiqua.

§. 1. Ad locutionem antiquam transitio. 2. Tractationis methodus. 3. Nominum substantiuorum significatio, vel obsoleta, vel rara, 4. Variata, 5. A Graecis mutuata, 6. Pro rerum circumstantiis conficta, 7. Ex sono data. 5. Substantiuorum terminatio, 9. Declinatio, 10. Genus. 11. Adiectiuorum significatio, vel obsoleta, vel rara, 12. Variata. 13. Adiectiuorum terminatio, flexio, & genus. 14. De Pronomine. 15. De Verbo, eiusque significatione, vel obsoleta, vel rara, 16. Variata, 17. Graeca. 18. De Verbi terminatione; 19. Coniugatione. 20. De

 Parti-

Particulis, Aduerbio, Praepositione &c. 21. Substantiua cum suis adiectiuis notabili significatione composita. 22. Verba cum aliis partibus orationis coniuncta, 23. Diuersis casibus. 24. Obseruationes miscellaneae. 25. Quibus consideratis luce meridiana clarius apparere huius & elegantioris, quod continuo sequitur, aeui differentiam. 26. Examinatur scriptura, quae literas & syllabas vocabulis detraxit, 27. Vel addidit, 28. Vel literas inter se commutauit. 29. Tabula vetus producitur aduersus Bacchanalia. 30. Illius scripturae vestigia in ipsis etiam politioris seculi monumentis commonstrantur.

§. I.

HOc etiam nunc pretium erit operis, vt Latinae linguae adolescentis, nec dum satis adultae commonstremus singularia quaedam, eius indolem atque genium illustrantia, in vocabulis, phrasibus, dictione integra, & ipsa denique scriptione, quoquo tum illa fieri potuit & consueuit modo. Sed tamen ne forsan nimis longe, vel ad taedium B. L. euagari videamur in illa tam ardua & difficili, quam prolixa & copiosa materia, specimem dabimus & quasi introductionem in historiam huius linguae, & in eius varias mutationes atque fata inquirendi modum, quem assidua lectione iustaque crisi, sua sponte quilibet augere, vel si pote perficere possit. Obscura & aliquando subleſtae fidei scriptorum fragmenta relinquimus aliis, & illis qui otio maiori gaudent & ingenio. Sufficient nobis, ad demonstrationem isthanc, quae omnium manibus versantur, exactissima Plauti & Terentii monumenta, subinde assumtis, ad eorum illustrationem, etiam reliquorum huius aeui scriptorum paulo clariorum testimoniis. Neque ea vsque adeo excutere animus est, vt referamus ad theses nostras,

noſtras, quicquid paſſim locutionis antiquae in illis obuenit, vel quod ab aliis iamdudum obſeruationibus variis illuſtratum habetur. Verborum atque phraſium poſſemus alias videri compilare inauſpicato lexica, & ea denuo exhibere, quae proſtant. Enim vero nihil minus quam hoc intendimus: ſed vt faculam qualemcunque incendamus aliquibus huius aeui tenebrarum plenis locutionibus; exhibeamus ſaltem teſtimonia veterum, quos modo laudauimus, eaque breuia, nec cumulata, ad locutionem antiquam, vel aſſerti alicuius veritatem comprobandam. Nam & verborum, ad intellectum, ſuccincta explicatione opus eſt. Id quod agimus nunc, nec fruſtra.

§. II.

Sunt pertractationis huius tres periodi, pro inſtituti ratione, א Examen *vocabulorum ſimplicium*, ב *Phraſium*, & ג *ſcripturae*. Nam de integra dictione ſatis, vel ad nauſeam, ſuperius & quauis data occaſione, in omnibus propemodum huius diſſertationis partibus, dictum eſt. א. *Vocabula ſimplicia* exhibebunt nobis A. *Nomen*, B. *Verbum*, C. *Particulas*. A. *Nomen* rurſum dabit, vt cum Grammaticis loquar, a. *Subſtantiuum*, b. *Adiectiuum*, c. *Pronomen*. &c.

§. III.

A. Primo primum, *Nominis* quod nomine venit, a. *Subſtantiuum* examinandum eſt, cuius 1. *ſignificationem* videmus ab huius aeui ſcriptoribus fuiſſe poſitam, qua nunc (*a.*) ſi non *obſoleta*, certe nec adeo vulgari, & cuiuis obuia, voces politiori Latinae linguae aetati, minime gentium arridere potuerunt. Exempla in promtu ſunt oppido multa; ſed dabimus, quae in probatiſſimis iugiter leguntur, pauca, & ea ordine ſolito elementorum expoſita diſtincte.

Ita

Ita *Anquinae*, Segelseile / sunt vincula, quibus tenentur antennae ad malum constrictae. LVCIL. *a*)

Funis enim praecisu' cito, atque anquina soluta est.

Apludas rustici veteres dixerunt furfures, seu genus minutissimae paleae frumenti, siue panici. De qua NAEVIVS: *Non hercle apluda est }hodie, quam tu nequior. b*) *Aqualis*, *c*) ein Wasser-geschir oder Gieß-faß. *Bilibris aqualis*, vas duas aquae libras continens. PLAVTVS: *d*)

- - Datin' isti sellam, vbi assidat cito,
Et Aqualem cum aqua?

Aquula, aquae diminutiuum. e) ein wenig Wasser. *Axicia*, *f*) forfex, qua secantur capilli; quasi *exicia* ab *exicando*: veteres enim, quod notum est, *exicare* pro *exsecare* dicebant. **Baxeae**, calceamenti genus. *g*) **Boia** proprie collare est; & *boiae* vinculorum genus, tam ligneum, quam ferreum. *h*) Alludit PLAVTVS: *i*)

- - Boius est, Boiam terit.

Vbi *Boia* pro collari accipienda est: ita tamen, vt dixisse appareat, ipsum Boium cum Boia femina cubare. Nam & ipsum

---

a) Incerto Satyr. libr. fragm. 10. edit. Franc. Dousae p. 5. ISIDOR. Orig. lib. 19. c. 4. *b*) Apud FESTVM in h. v. Alii apud NONIVM c. 2. n. 11. & A. GELLIVM lib. 11. c. 7. Vid. etiam PLINIVS hist. nat. l. 18. c. 10. vbi *applaudam* milii & panici & desaniae purgamentum interpretatur. *c*) PLAVTVS Milit. gloriof. A. 3. S. 2. v. 39. *d*) Curcul. A. 2. S. 3. v. 33. *e*) PLAVTVS Cistell. A. 2. S. 3. v. 38. Curcul. A. 1. S. 3. v. 3. CICERO de Oratore l. 2. c. 39. & l. 1. c. 7. *f*) PLAVTVS Curcul. A. 4. S. 4. v. 22. LAMBINVS ibi *excuijа* legit, ac interpretatur paruas scopas, quibus excutitur puluis e vestibus; eine Kehrbürste. *g*) Idem Menaechm. A. 2. S. 3. v. 40. *h*) FESTVS in h. v. PLAVTVS Asin. 3. 2. 5. *i*) Captiu. A. 4. S. 2. v. 108.

ipſum verbum *terere* obſcoenum eſt; quemadmodum PROPERTIVS de Cleopatra: *k*)

Et famulos inter femina trita ſuos.

Et PETRONIVS:

- - mutuis libidinibus attriti.

Bucaedae, qui bubulis loris caeduntur. *l*) ***Bucco*** garrulus, qui caeteros oris loquacitate, non ſenſu exſuperat. *m*) ***Bulga*** eſt folliculus omnis, quam veteres & appellarunt crumenam, & eſt ſacculus ad brachium pendens. LVCIL. *n*)

Cui neque iumentum eſt, nec ſeruus, nec comes vllus,
Bullam, & quicquid habet nummorum, ſecum habet ipſe,
Cum bulga coenat, dormit, lauit: Omnis in vna
Spes hominis bulga. - -

Buſtirapus *o*) qui lucri cauſa nefanda omnia ſubire non veretur, vel quaſi e rogo buſtoue rapit coenam, quae ſilicernium dicebatur, quod ſilentio tantum poterat cerni. ***Caprificus*** *p*) eſt ficus ſylueſtris, nullo tempore matureſcens, quae fere ruptis ſaxis intumeſcens exit: vnde *caprificus* dicta eſt, quod muros & parietes carpat. ***Capronae***, quaſi a capite pronae, dicuntur comae, quae ante frontem ſunt. LVCIL. *q*)

Aptari caput, atque comas fluitare capronas
Altas, frontibus immiſſas, vt mos fuit illis.

k) Lib. 3. 9. *l*) PLAVT. Moſtell. A. 4. S. 2. v. 1. *m*) Idem Bacchid. A. 5. S. 1. v. 2. ISIDORVS orig. lib. 10. hac voce. *n*) Lib. 6. fragm. 1. NONIVS cap. 2. n. 76. FESTVS h. v. *o*) PLAVTVS Pſeudol. A. 1. S. 3. v. 127. Confer. KIRCHMANNVS de funer. Rom. l. 4. c. 5. TERENT. Eunuch. A. 3. S. 2. *e flamma petere te cibum poſſe arbitror.* *p*) TERENT. Adelph. A. 4. S. 2. v. 38. *q*) Satyr. lib. 7. fr. 4. apud NONIVM cap. 1. n. 81.

FESTVS *r*) equorum iubas in frontem deuexas interpretatur. *Capulum* dicitur quicquid intra ſe capit rem aliquam. LVCILIVS: *s*)

Caeteri item in capulo hunc non eſſe, aliumque cubare.

i. e. in ſarcophago non eſſe; nam & ſepulchrum *capulum* veteres dici voluere, quod corpora defunctorum capiat. Ita PLAVTVS *t*) ſenem *capuli decus*, & alibi *capulo proximum* vocat, & *capularem ſenem.* *v*) ISIDORVS, *x*) vero *capulum* interpretatur etiam funem a capiendo, quod eo indomita iumenta comprehendantur. *Carinarii*, vel quod alii legere malunt *Cerinarii*, *y*) dicuntur qui cerino colore pannum inficiunt. *Caſteria*, *z*) locus vbi remi & gubernacula & caetera inſtrumenta nautica reponuntur. ein Arſenal, oder Zeug-Kammer. *Ceraria* al. *Geraria* *a*) dicitur mulier, quae cereos ad ſacrificiorum ſolennitates ſuppeditare conſueuit. *Cercurus* nauis Aſiana vel Cypria praegrandis, a Corcyra vel Cercyra inſula dicta. *b*) PLAVTVS: †)

Aedificat nauim Cercurum, & merces emit.

Collaria & *collare* *c*) vinculi genus eſt, quo collum adſtringitur. *Colliphia*, al. *colyphia* & *coliphia*, panes dicuntur cum recenti caſeo commixti. PLAVTVS: *d*)

Collyrae

r) In hac voce. *s*) Satyr. lib. 2. fr. 1. apud NONIVM c. 1. n. 15. *t*) Apud eundem l. c. *v*) ISIDORVS Orig. l. 20. c. 11. FVLGENTIVS de priſco ſermone n. 23. FESTVS in voc. *capulum* *x*) Origin. lib. 20. c. 16. *y*) PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 5. v. 36. *z*) Idem Aſin. A. 3. S. 1. v. 16. NONIVS c. 2. n. 128. *a*) PLAVTVS Milit. glor. A. 3. S. 1. v. 102. *b*) Vid. NONIVS c. 13. n. 4. confer. PLINIVS hiſt. nat. lib. 7. c. 56. †) Merc. A. 1. S. 1. v. 86. Idem Stich. 2. 2. 42. *c*) PLAVTVS Captiu. A. 2. S. 2. v. 107. *d*) Perſ. A. 1. S. 3. v. 12.

Collyrae facite vt madeant & colliphia.

Collyrae videntur esse paruuli panes mundi; sed & genus fictorum farinaceorum, quae, vt laganae, interdum in sartagine frigantur, interdum cocta per se edantur, interdum ex iure comedantur. Vnde *ius collyricum* nihil aliud est, quam illud, ex quo collyrae eduntur. *e*) *Colostra*, siue *colostrum*, lac nouum in mammis. *f*) Vnde MARTIALIS: †)

De primo matrum lacte collostra damus.

Colluthea g) sunt bellaria & tragemata, Confect, oder Nachtisch. *Comarchus h*) vici magister. *Conchitae* piscatores sunt, qui conchas legunt, vt *hamiotae* qui pisces hamo captant. *i*) *Conspicillum k*) locus, e quo semper aliquis conspici potest. *Corbitae* sunt naues onerariae, tardae & grandes, sic dictae, quod earum malus corbem in summo fastigio praeferebat. PLAVTVS: *l*)

Tardiores quam corbitae sunt in tranquillo mari.

LVCILIVS: *m*)

- - - *Polyphemu' ducentos*
Cyclops longu' pedes: & porro huic maiu' bacillum,
Quam malus naui in corbita maximus vlla.

Hinc *corbitare* est in corbitam immittere. Ita eleganter PLAVTVS *n*) de mulieribus cibo se ingurgitantibus ad mensam, dixit:

e) Vid. PLAVTVS Perf. A. 1. S. 3. v. 12. 15. 17. *f*) COLVMELLA 7. 3. NONIVS c. 2. n. 117. ISIDORVS Orig. l. 20. c. 2. PLAVTVS Poenul. A. 1. S. 2. v. 177. †) Lib. 13. epigr. 38. *g*) PLAVTVS Persa A. 1. S. 3. v. 7. *h*) Idem Curcul. A. 2. S. 3. v. 7. *i*) Idem Rudent. A. 2. S. 2. v. 5. *k*) Idem Cistell. A. 1. S. 1. v. 93. *l*) Poenul. A. 3. S. 1. v. 4. Confer. FESTVS. GELLIVS. 10. 25. NONIVS. 13. 2. *m*) Satyr. lib. 15. *n*) Casin. 4. 1. extr.

dixit: *Noui ẽstrices: corbitant, vbi comesse possunt.* ex veteri lectione, quam MEVRSIVS retinet, vbi quidem, quod ſcio, alii legunt: *corbitam cibi comesse possunt.* **Cordolium,** quaſi cordis dolor, pro moeſtitia, luctu & moerore ponitur. PLAVTVS: *o)*

> - - - *At mihi*
> *Cordolium eſt.* - -

Rurſum: *p)*

> - - - *Ibi tibi*
> *Erit cordolium* &c.

Corolla corona, victoriae ac regii honoris ſignum, & inſigne ſolitum capitibus Regum imponi, vt ſignificaret circumfuſos in orbe populos, quibus accinctus, ceu caput eorum, coronatur. *q)* **Crocota** veſtis eſt crocei coloris. *r)* Hinc *crocotarii, s)* qui pannum croceo colore inficiunt. **Cuppes** *t)* Ganeo, cupediarumque amans. ISIDORVS: *Cuppes faſtidioſus eſt & cupidus.* FESTVS: *Cupes & cupedia antiqui lautiores cibos nominabant.* **Curculio,** *v)* ſeu *Gurgulio,* pro gula, ſiue ea gutturis parte ponitur, qua λαρύγξ eminet, quam cernimus inter comedendum moueri. Alioquin curculio vermiculus eſt, qui in excuſſis frumenti granis naſcitur, eaque corrodit & deuorat. *x)* **Defrutum** *y)* eſt vinum muſto ad di·

---

o) Ciſtell. A. 1. S. 1. v. 67. *p)* Poenul. A. 1. S. 2. v. 86. *q)* Vid. ISIDORVS Orig. lib. 19. c. 30. Sed & ea voce utuntur melioris aeui poetae CATVLLVS 64. 66. PROPERTIVS 1. 3. 21. Confer. PASCHALII Coronarum l. 1. c. 7. *r)* NONIVS c. 16. n. 11. Confer. TAVBMANNVS in notis ad Plaut. Epidic. A. 2. S. 2. v. 47. *s)* PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 5. v. 47. *t)* Idem Trinum. A. 2. S. 1. v. 13. *v)* Idem Trinum. A. 4. S. 3. v. 9. *x)* PLINIVS 18. 30. VIRGILIVS Georg. l. 1. v. 185. *y)* Idem Pſeud. A. 2. S. 4. v. 51.

ad dimidias decocto factum. z) *Diuidia* est molestia siue dolor, FESTO discordia, NONIO tristitia. PLAVTVS: *a*)

Nimio illaec res est magnae diuidiae mihi.

Alibi: *b*)

Caue tibi ducenti nummi diuidiae fuant.

Duellum c) bellum. *Estrices* d) mulieres cibo se ingurgitantes ad mensam. Pari modo facta sunt nomina *tonstrix, adsestrix, possestrix.* &c. *Exagoga* e) exportatio siue euectio. *Excetra* hydra seu vipera est, dicta ab excrescentibus capitibus, vno reciso. PLAVTVS: *f*)

Nam cum leone, & cum excetra, cum ceruo, cum apro Aetolico,
Cum auibus Stymphalicis, cum Antaeo deductari mauelim,
Quam cum amore. - -

Id vocis & Comicus noster de mulierculis habet: *g*)

En excetra tu. - -

Rursum: *h*)

Cerebrum dispercutiam, excetra tu. - -

Fala, seu *Falla*, dicta a *falando*, quod Etruscis coelum significat, *i*) turris lignea vocatur. Vnde ENNIVS: *k*)

Malos defindunt, fiunt tabulata falaeque.

 Sed

z) COLVMELLA. l. 12. c. 20. *a*) Bacchid. A. 4. S. 6. v. 1. *b*) Bacchid. A. 4. S. 9. v. 110. *c*) Idem Asin. A. 3. S. 2. v. 13. Confer. CICERO in Orat. c. 45. QVINT. 1. 4. *d*) PLAVTVS Casin. A. 4. S. 1. v. 20. *e*) Idem Rudent. A. 3. S. 2. v. 22. & Truc. 4. 2. 6. *f*) Pers. A. 1. S. 1. v. 3. *g*) Pseudol. A. 1. S. 2. v. 82. *h*) Casin. A. 3. S. 5. v. 19. Vid. etiam LIVIVS. 39. 11. *i*) FESTVS hac voc. *k*) Lib. 15. apud NONIVM c. 2. n. 351.

Sed, ea ratione ac machina fabrica & ſimilia, etiam ſumitur pro fallacia. Quo ſenſu PLAVTVS: *l)*

Iſti, qui haſtis trium numorum cauſſa ſubeunt ſubfalas.

Famigerator *m)* VARRONI *n)* *Famiger* ein Mährlein-träger. Inde *famigeratio. o)* *Farferum*, aliis *farfenum*, virgulti ſeu fruticis genus foliis ornatum paulo amplioribus populi. *p)* PLAVT. *q)*

- - *eo proſternebant folia farferi.*

Flammearii, *r)* qui flammeo colore veſtes tingunt, die Rohtfärber. *s)* Inde *flameum* tegmen, quo matronae ſeu nouae nuptae velabantur. Coloris namque rubri eſt vultus eorum, qui pudore ſuffuſi, quandam prae ſe virtutis caſtitatem ferunt. Quare id genus veſtimenti ſanguineum ad ruborem cuſtodiendum mulieribus in ipſis nuptiis verecundiae ſymbolum eſſe debebat. Diuerſam rationem ſuppeditat FESTVS, *t)* qui *flameo*, inquit, *amicitur nubens ominis boni cauſa, quod eo aſſidue vtebatur Flaminica, i. e. Flaminis vxor, cui non licebat facere diuortium.* *Glandiae* ſunt partes in ſuibus calloſae, figura glandis, quae ex gutture & ceruice detrahuntur. *v)* *Glandiae*, ſiue glandulae, illae dicuntur in ſue, *tonſillae* in homine, Drüſen oder Finnen. Hinc *glandionida ſuilla*, finnicht Schweinen-fleiſch. *x)* Synecdoch. pro ſuibus ipſis. PLAVT. *y)*

Arripuit gladium, praetruncat tribus tergoribus glandia.

Grallato-

l) Moſtell. A. 2. S. 1. v. 10. *m)* PLAVTVS Trinum. A. 1. S. 2. v. 102. circ. fin. *n)* De Latin. lingua lib. 5. c. 7. *o)* PLAVTVS Trinum. A. 3. S. 2. v. 66. *p)* FESTVS h. v. *q)* Poenul. A. 2. v. 32. *r)* PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 5. v. 36. *s)* FESTVS h. v. *t)* In v. *flameo.* *v)* COLVMELLA lib. 8. c. 9. PLINIVS Hiſt. natur. l. 11. c. 37. *x)* PLAVTVS Menaechm. A. 1. S. 3. v. 27. *y)* Captiu. A. 4. S. 4. v. 7.

Grallatores a gradu magno appellantur pantomini, qui vt in ſaltatione aegipanas imitarentur, adiectis perticis furculas habentibus atque in his ſuperſtantibus ad ſimilitudinem crurum eius generis gradiebantur, vtique propter difficultatem conſiſtendi. z) Graecis vocantur γύπωνες καὶ πανικὰ φορῦντες. PLAVTVS: *a*)

Vinceritis ceruum curſu, vel grallatorem gradu.

Grumus dicitur agger a congerie. ACCIVS: *b*) *Quemcunque inſliteram grumum, aut praeciſum iugum.* *Hamiotae c*) piſcatores ſunt ab hamis dicti. *Hira*, diminutiue dicitur *Hila*, quam Graeci νῆστιν vocant, inteſtinum ieiunum *d*) eſt; pro aliis tamen etiam inteſtinis ſumi, docet NONIVS. *e*) Et eo ſenſu PLAVTVS: *f*)

Pulmones diſtrahuntur, cruciatur iecur,
Radices cordis pereunt, hirae omnes dolent.

Sed *hilas* VARRO *g*) putat fuiſſe ab *hilo* i. e. minimo dictas. *Illix* metaphora ab aucupum auibus deſumta, dicitur quicquid ad ſe aliquem trahit, ab illiciendo. PLAVTVS: *h*)

- - Aedis nobis area eſt, auceps ſum ego,
Eſca eſt meretrix, lectus illix eſt, amatores aues.

Illex & *Exlex* eſt, qui ſine lege viuit. LVCILIVS: *i*)

Non dico vincat licet & vagus exulet, erret
Exlex. - -

Quem

z) FESTVS h. v. *a*) Poenul. A. 3. S. 1. v. 27. *b*) Oenomao apud NONIVM c. 1. n. 50. Illud verbum obuenit quoque apud HIRTIVM vel OPPIVM de bello Hiſp. c. 8. & 24. & PLINIVM 33. 4. *c*) PLAVTVS Rudent. A. 2. S. 2. v. 5. *d*) FESTVS in h. v. *e*) Cap. 2. n. 410. *f*) Curcul. A. 2. S. 1. v. 23. *g*) De Latina lingua lib. 4. c. 22. *h*) Aſin. A. 1. S. 3. v. 68. *i*) Satyr. lib. 2. fr. 7. apud NONIVM cap. 1. n. 33.

Quemadmodum etiam *exos* dicitur, qui est sine osse. LVCRET. *k*)

Exos & exanguis timidos perfluctuat artus.

Inauris, *l*) ἐνώτιον, ἐλλόβιον, monile, quod auribus inseritur & appendet. ***Inuoluolum*** vermiculum PLAVTVS *m*) vocat., CATO *n*) *conuoluulum.* ***Iugula*** *o*) stella est Orion dicta, quod amplior sit caeteris, quasi nux iuglandis. *p*) ***Laserpitium,*** *q*) quasi lac sirpitium, succus ex radice silphii expressus. ***Laterculus*** *r*) genus pistorii operis, a forma, in quam fingitur. ***Lectisterniator*** qui lectos sternit. Ein Tisch-Decker / der Tisch und Bäncke zum Essen bereitet. PLAVTVS: *s*)

Tu esto lectisterniator. - -

Legirupam vocat PLAVTVS *t*) eum, qui leges rumpit, παράνομον, τὸν τοὺς νόμους παραβάντα. *v*) Hinc *legirupio. x*) ***Lenullus*** *y*) diminutiuum lenonis. ***Liberalia*** Liberi festa, quae Graecis διονύσια vocantur. NAEVIVS: *z*) *Libera lingua loquemur ludis liberalibus.* ***Limbolarii*** *a*) qui limbo oras vestium pingunt siue praetexunt. NONIVS *b*) *textores limborarios* legit, vt a limbo & ora deductum sit. *Limbus* muliebre vestimentum est, quod purpuram in imo habet. ISIDORVS *c*) *Limbus,* inquit,

k) Lib. 3. apud NONIVM c. 2. n. 267. *l*) PLAVTVS Menaechm. A. 3. S. 3. v. 17. *m*) Cistell. A. 4. S. 2. v. 63. *n*) De re rustica cap. 95. *o*) PLAVTVS Amph. A. 1. S. 1. v. 119. *p*) FESTVS h. v. *q*) PLAVTVS Rudent. A. 3. S. 2. v. 21. Ibi TAVBMANNVS, qui h. v. prolixe dilucidat ac silphii picturam ex argenteo Cyrenaeorum nummo exhibet. *r*) PLAVTVS Poenul. A. 1. S. 2. v. 112. *s*) Pseudol. A. 1. S. 2. v. 29. *t*) Pseud. A. 1. S. 3. v. 130. Pers. A. 1. S. 2. v. 16. *v*) Ein Gebot-Verächter. *x*) Rudent. A. 3. S. 4. v. 4. *y*) PLAVTVS Poenul. A. 2. v. 25. *z*) Apud FESTVM h. v. *a*) PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 5. v. 45. *b*) Cap. 14. n. 30. *c*) Orig. lib. 19. c. 33.

inquit, *est, quem nos ornaturam dicimus.* Et alibi *d*) nauiculam breuem, vt cymba & caupolus est, id vocis interpretatur. ***Lingulaca***, genus piscis vel mulier argutatrix est. *e*) NONIVS *f*) lingulacas dicit verbosas & locutulegas, a procacitate linguae & loquendi. PLAVTVS *g*) iocum in ambiguo quaerit:

> OL. *Vin' lingulacas?* ST. *Quid opus est, quando vxor domi est?*

Linteones, *h*) qui lintea texerent; Sed *lintearii*, qui venderent. *i*) ***Lituus*** appellatus est, quod litis sit testis. Est enim genus buccinae incuruae, quo qui cecinerit, dicitur liticen. ENNIVS: *k*) *Inde loci lituus sonitus effundit acutos.* ***Lucabos*** elephas dicitur. ENNIVS: *l*) *Atque prius pariet locusta lucam bouem.* ***Macis***, *m*) cordex aromaticus, nucis myristicae amiculum. ***Magudaris*** *n*) radix est Silphii. *o*) ***Mamphula*** appellatur panis Syriaci genus. LVCILIVS: *p*)

> *Pistricem validam si nummi suppeditabunt,*
> *Addas empleurion, mamphulas quae sciat omnes.*

Mandones, qui & *manducones* & *manduci*, dicti sunt edaces. LVCILIVS: *q*)

> *Atque omnes mandonum gulae.*

 Mandu-

d) Lib. 19. c. 1. *e*) FESTVS h. v. VARRO de Latina lingua lib. 4. c. 12. *f*) Cap. 1. n. 105. & 249. *g*) Casin. A. 2. S. 8. v. 63. *h*) PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 5. v. 38. *i*) AVS. POPMA de differentiis verb. lib. 3. *k*) Apud FESTVM h. v. *l*) VARRO de Latina lingua lib. 6. c. 3. Confer. Dissert. nostra de pueritia Latin. linguae cap. 5. §. 12. *m*) PLAVTVS Pseudol. A. 3. S. 2. v. 43. *n*) Idem Rudent. A. 3. S. 2. v. 24. *o*) Vid. PLINIVS hist. natur. lib. 22. c. 23. *p*) Incert. Satyr. libr. apud FESTVM h. v. *q*) Incert. Satyr. libr. fr. 85. apud NONIVM c. 1. n. 58.

Manducus est μορμολυκεῖον, effigies, quae in pompa & ludis antiquorum, inter caeteras ridiculas & formidolosas personas circumferebatur, magnis malis lateque dehiscens, & ingentem dentibus sonitum faciens. *r*) PLAVTVS: *s*)

CH. *Quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem?*
LA. *Quapropter?* CH. *Quia pol clare crepito dentibus.*

Mantellum, *t*) genus pallii aut velamentum. Germ. Mantel. *Mantisa* additamentum dicitur lingua Tusca, quod ponderi adiicitur, sed deterius, & quod sine vllo vsu est. *v*) LVCILIVS: *x*)

- - *Mantisa obsonia vincit.*

Manulearii, *y*) qui manuleas i. e. tunicarum manicas vendunt. *Manuleata* al. *manicleata tunica* ideo vocatur, quod tunica vestimentum erat sine manicis. *z*) *Marculus* malleus pusillus est. LVCILIVS: *a*)

Et velut in fabricam feruens cum marculu' ferrum
Multorum magnis tuditantium ictibu' tundit.

Mastruga *b*) vestis scortea, quae pessime olet. Ea Sardi vtebantur, & Barbari septentrionales, qui pelliti erant. *Meddix* apud Oscos nomen magistratus est. ENNIVS: *q*)

Summus

r) FESTVS h. v. *s*) Rudent. A. 2. S. 6. v. 51. *t*) PLAVTVS Captiu. A. 3. S. 3. v. 5. 6. *v*) FESTVS h. v. *x*) Incert. Satyr. libr. fr. 92. apud FESTVM l. c. *y*) PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 5. v. 37. *z*) De manicata tunica vid. PLAVTVS Pseud. A. 2. S. 4. v. 48. NONIVS c. 4. n. 313. ISIDORVS Origin. lib. 19. c. 22. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 7. c. 12. *a*) Incert. Satyr. libr. fr. 14. Confer. ISIDORVS Orig. lib. 19. c. 7. *b*) PLAVTVS Poenul. A. 5. S. 5. v. 34. Eadem vox obuenit quoque apud CICERONEM pro Scauro, Confer. ISIDORVS 19. 23. *c*) Apud FESTVM h. v.

Idem

Summus ibi capitur meddix, occiditur alter.

Melina, μηλωτὴ, pellis ouilla eſt, vnde ſcorteum omne *melinum* vocatur; & eſt apud PLAVTVM *d*) *melina* ſcortea mantica, vel coactilia e corio. *Melinus color e*) eſt candidus, a Melo inſula, cui peculiaris eſt, & vbi optimus habetur. *f*) Hinc vnguentum melinum, *g*) & oleum melinum. *h*) *Mellina i*) potio e melle, τὸ ὑδρόμελι. *l*) *Mendicabula hominum, l*) muthwillige Bettler. *Mergae, m*) furculae quibus acerui frugum fiunt; dictae a volucribus mergis, quia vt illi ſe in aquam mergunt, dum piſces perſequuntur, ſic meſſores eas in fruges demergunt, ut manipulos eleuare poſſint. *n*) *Mina*, mamma lacte deficiens. Ita PLAVTVS: *p*)

- - *Ego perperas, minas*
Oues in crumena hac in vrbem detuli.

Contra eleganter PLINIVS *q*) *munificem mammam* vocat eam, quae lac praebet. *Molochinarii*, *r*) qui colorem tingunt ad purpuram inclinantem, qualis in maluae flore ſpectatur. *Morticinus*, *s*) homo exſangui & cadaueroſa facie.

Idem eſſe putatur cum *Mediaſtutico*, qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt, vt LIVIVS notat. l. 24. c. 19. & l. 26. c. 7. *d*) Epidic. A. 1. S. 1. v. 21. *e*) PLAVTVS Epidic. A. 2. S. 2. v. 49. *f*) Vid. PLINIVS hiſt. natur. lib. 35. c. 6. & 7. ISIDORVS Origin. lib. 19. c. 17. *g*) PLINIVS l. 13. c. 1. *h*) Idem l. 23. c. 6. *i*) PLAVTVS Pſeudol. A. 2. S. 4. v. 51. *k*) De vinis antiquioribus vide PLINIVM l. 14. c. 13. *l*) PLAVTVS Aulul. A. 4. S. 8. v. 3. Confer. NONIVS c. 2. n. 541. *m*) PLAVTVS Poenul. A. 5. S. 2. v. 58. & Rudent. A. 3. S. 4. v. 58. *n*) FESTVS h. v. *o*) Idem h. v. *p*) Trucul. A. 3. S. 1. v. 9. *q*) Hiſt. nat. l. 11. c. 40. *r*) PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 6. v. 40. *s*) Idem Perſ. A. 2. S. 4. v. 12. Vid. etiam VARRO de LL. 6. 5. vbi ſacram legem recenſet, *ne quid morticinum adſit.* Quod OVIDIVS exponit quoque Faſtor. lib. 1.

Mortualia t) eadem omnino ſunt *nequalia*, quae FESTVS *detrimenta* interpretatur, quia nugae ſermonis ſunt detrimenta. NAEVIVS *mortalia* appellat veſtimenta, quae in luctu ſumebantur. *Moſculis* CATO, pro paruis moribus, dixit. v) *Mulleos* genus calceorum aiunt eſſe, quibus Reges Albanorum primi, deinde patricii vſi ſunt. M. CATO: x) *Qui magiſtratum curulem cepiſſet, calceos mulleos allucinatos &c.* *Muriatica*, y) ſalſamenta; *Muria* piſcium ſalſorum liquamen. *Murrobathrarii*, z) qui calceamenta muliebria vnguentis, odoribus & ſuffimentis imbuebant. *Muſimones*, Aſini, muli aut equi breves. LVCILIVS: a)

Pretium emit, qui vendit equum muſimonem.

Naſſa piſcatorii vaſis genus eſt, quo cum intrauit piſcis, exire non poteſt. b) PLAVTVS: c)

Nunquam hercle ex iſta naſſa ego hodie eſcam petam.

Vbi ſignificat, ſe domum heri non iturum, vbi futurum ſit, vt inſtar piſcis capiatur, & virgarum vnde ſibi periculum imminere videbat. Hinc adag. *E naſſa eſcam petere.* d) *Naſſiterna*, ita dicta quod tres naſos h. e. anſas haberet; eſt genus vaſis aquarii anſati & patentis, quale fuit, quo equi poſt confecta ſpacia in circenſibus perſundi & recreari ſolebant. CATO:

t) Idem Aſin. A. 4. S. 1. verſ. penult. v) FESTVS h. v. x) Origin. lib. 7. apud FESTVM h. v. Confer. ISIDORVS 19. 34. y) PLAVTVS Poenul. A. 1. S. 2. v. 39. z) Idem Aulul. A. 3. S. 5, v. 37. a) Satyr. l. 6. fr. 17. apud NONIVM c. 2. n. 530. b) FESTVS h. v. c) Milit. glorioſ. A. 2. S. 6. v. 98. d) Vid. ERASMI Adag. chiliad. 4. Cent. 4. n. 88. Formam naſſae eleganter expreſſit SILIVS l. 5. v. 47. Scribitur etiam *naxa* in antiquis libris. CICERO ad Attic. l. 15. ep. 20.

το: *e*) *Quotiens vidi truilos nassiternas, perfusos aqualis matellas sine ansis.* PLAVTVS: *f*)

Ecquis huc effert nasiternam cum aqua?

Nefrendes arietes dixerunt, quod dentibus frendere non possint. Alii voluere, *nefrendes* infantes esse nondum frendentes i. e. frangentes. Ita LIVIVS: *g*) *Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem.* *Nepa* aliquando scorpio, saepius cancer est. PLAVTVS: *h*)

Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.

Neruus, *i*) ferreum vinculum, quo pedes, vel etiam ceruices impediuntur. *k*) Veteres tamen Attici neruum simpliciter vocabant *κᾶλον*, *lignum.* *Ocrem* antiqui montem confragosum vocabant. LIVIVS: *l*) *Sed qui sunt hi, qui ascendunt altum ocrim?* *Offerumenta* dicuntur illa, quae offeruntur. *m*) PLAVTVS: *n*)

Ne offerumentas habebis plures in tergo tuo,

Quam vlla nauis longa clauos, tum ego ero mendacissimus.

Eleganti ioco plagas, quae tergo offerrentur atque ita imprimerentur, vt donaria sacris Deorum parietibus affigi solent, offerumentas appellauit. *Patagium* FESTO *o*) dicitur quod ad summam tunicam assui solet; NONIO *p*) aurea chlamys seu clauus aureus, qui pretiosis vestibus immitti solet. Hinc *pa-*

 tagiata

e) In ea oratione, quam composuit in Q. Sulpicium: apud FESTVM h. v. *f*) Stich. A. 2. S. 3. v. 28. Vid. Idem Poenul. A. 5. S. 5. *g*) Apud FESTVM h. v. *h*) Casin. A. 2. S. 8. v. 7. Confer. FESTVS h. v. CICERO de natura Deorum l. 2. c. 42. *i*) PLAVTVS Aulul. A. 4. S. 10. v. 13. *k*) FESTVS h. v. *l*) Apud eundem h. v. *m*) Idem h. v. *n*) Rudent. A. 3. S. 4. v. 48. *o*) In h. v. *p*) Cap. 14. n. 19.

tagiata tunica apud PLAVTVM. *q*) *Pausa* est quies alicuius rei. LVCILIVS: *r*)

Haec vbi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.

Et ACCIVS: *s*)

Nobis datur bona pausa loquendi.

Perduelles *t*) eos antiquitus nominabant, quos hodienum *hostes* vocamus. *Petimina*, in humeris iumentorum vlcera. LVCIL. *v*)

Vt petimen naso, aut lumbos ceruicibu' tangat.

Petrones *x*) rustici vocantur a petrarum asperitate, qui & *rupices*, item *varrones*, a *varris*, qui stipites sunt non dolati, praeduri ac enodes. *y*) *Polimenta* *z*) antiqui dicebant porcorum testiculos, cum eos castrabant, a politione segetum, aut vestimentorum &c. *a*) *Portisculus*, remigum hortator & magister in naue, qui *requiemque*, vt cum Ovidio loquar, *modumque voce dabat remis*. *b*) PLAVTVS: *c*)

Ad loquendum atque ad tacendum tute habeas portisculum.

Posti-

---

q) Epid. A. 2. S. 2. v. 47. *r*) Satyr. lib. 1. fr. 7. apud NONIVM c. 2. v. n. 686. *s*) Epigono: apud eundem l. c. *t*) PLAVTVS Amph. A. 1. S. 1. v. 94. *v*) Incert. Satyr. libr. fr. 41. apud FESTVM in h. v. *x*) PLAVTVS Captiu. A. 4. S. 2. v. 40. 41. 42. *y*) FESTVS h. v. *z*) PLAVTVS Menaechm. A. 1. S. 3. v. 28. *a*) FESTVS h. v. *b*) Ita SCALIGER ad Festum. Consentit DANIEL HEINSIVS ad istos Silii versus lib. 6.

- - Mediae stat margine puppis,
Qui voce alternos nautarum temperet ictus,
Et remis dictet sonitum, pariterque relatis
Ad numerum plaudat resonantia caerula tonsis.

Et P. MERVLA ad lib. 7. Annal. Ennii. FESTO & NONIO, quos DOVZA sequitur, non perticae gestor, sed pertica ipsa portisculus vocatur. *c*) Asin. A. 3. S. 1 v. 15.

Postilena vocatur lorum crassum, siue lignum incuruum sub iumentorum cauda, ad sustinendum βάςαγμα, cui onus imponitur. PLAVTVS: *d*)

Vt postilena possit ex te fieri.

Praeficae, mulieres ad lamentandum mortuum conductae, quae dant caeteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum praefectae. NAEVIVS: *e) Haec quidem mehercle opinor, praefica est, quae sic mortuum collaudat.* *Propudium*, genus hominum sceleratorum, quos Graeci καθάρματα vocarunt. *f*) PLAVTVS: *g*)

- - *quid ais propudium?*

Was sagst du Schelm?

Prosedae, *h*) a prosedendo in meritoriis ac fornicibus, *i*) meretrices sunt, alias *prostibula* dictae, quod ante stabulum, seu diuersorium, stant, quaestus diurni ac nocturni gratia, vt NONII verbis vtar. *k*) *Publici*, Aediles plebis. *Pullariam* PLAVTVS dixit manum dextram: *m*) forsan a palpandis tentandisque pullis, siue pueris. *n*) Antiqui enim puerum, quem quis amabat, *pullum* eius dicebant. *Purpurissum* *p*) spuma est collecta efferuescente purpura, cum ex ea tinctura efficitur. Inde *genae* & *buccae purpurissatae*. *q*) *Quadrantal* antiqui vocabant, quam ex Graeco ἀμφορέα dicunt

d) Casin. A. 1. v. 37. *e*) Apud FESTVM h. v. *f*) SCALIGER ad Festum. *g*) Curcul. A. 1. S. 3. v. 34. *h*) PLAVTVS Poenul. A. 1. S. 2. v. 54. *i*) FESTVS h. v. *k*) Cap. 5. n. 8. *l*) PLAVTVS Trucul. A. 2. S. 7. v. 6. *m*) FESTVS in h. v. *n*) TVRNEBVS Aduers. l. 3. c. 11. *o*) FESTVS in v. *pullus*. *p*) PLAVTVS Mostell. A. 1. S. 3. v. 104. *q*) Idem Trucul. A. 2. S. 2. v. 35.

dicunt, quod vas pedis quadrati, octo & quadraginta capit sextarios. *r*) PLAVTVS: *s*)

PH. *Sitit haec anus.* PA. *Quantillum sitit?* PH. *modica est,*
Capit quadrantal. - -

Iuuat transcribere verba, quibus duo Silli P. & M. Tribuni Plebis rogarunt: *t*) EX. PONDERIBVS. PVBLICIS. QVIBVS. HAC. TEMPESTATE. POPVLVS. OETIER. QVI. SOLET. VII. COAEQVATVR. SEDVLVM. VT. III. QVADRANTAL. VINI. OCTOGINTA. PONDO. SIET. CONGIVS. VINI. DECEM. P. IS. SEX. SEXTARII. CONGIVS. SIET. VINI. SEXTARIVS. AEQVVS. AEQVO. CVM. LIBRARIO. SIET. SEX. DE. QVINQVE. LIBRAE. IN. MODIO. SIENT. SI. QVIS. MAGISTRATVS. ADVERSVS. HAEC. D. M. PONDERA. MODIOSQVE. VASAQVE. PVBLICA. MODICA. MINORA. MAIORAVE. FAXIT. IVSSITVE. REFIERI, DOLVMVE. ADDVIT. QVOD. EA. FIANT. EVM. QVIS. VOLET. MAGISTRATVS. MVLTARETVR. DVM. MINORE. PATRIS. FAMILIAS. TAXAT. LICETO. SIVE. QVIS. IN. SACRVM. INDICARE. VOLVERIT. LICETO. *Rica* *v*) flameum virgineum est, quo sacrificium feminae Romano ritu [vnde VARRO *x*) id vocis inepte satis deriuat] facientes velare capita consueuerunt. NONIVS *y*) id dicit esse, quod nunc sudarium vocamus; FESTVS *z*) vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo flaminicae pro palliolo vtebantur. *Riuales* *a*) dicti sunt, quasi in

r) FESTVS h. v. *s*) Curcul. A. 1. S. 2. v. 15. *t*) Egregium antiquitatis monumentum FESTVS conseruauit in v. *publica pondera.* *v*) PLAVTVS Epid. A. 2. S. 2. v. 48. *x*) De lingua Latina l. 4. c. 29. *y*) Cap. 14. n. 15. *z*) In v. *Rica.* *a*) TERENTIVS apud NONIVM. c. 1. n. 137. Proprie *Riuales* sunt qui eodem riuo vtuntur. GELLIVS 14. 1. DONATVS ad illud Terentii Eunuch. 5. 9. 42. *Militem ego riualem recipiendum*

in vnum riuum, i. e. amorem, deriuantes; seu qui aemuli sunt in amore, eamque ob rem obtrectant inter se, vt solent, qui riuum habent communem. *Rorarii* appellantur milites, qui antequam congressae essent acies, primo non multis iaculis inibant proelium: quemadmodum vulgo ante maximas pluuias coelum rorare incipit. LVCILIVS: *b)*

Quinque hastae, aureolo cinctu rorariu' velox.

Rursum: *c)*

Pone paludatus stabat rorarius velox.

Sacciperium, *d)* maioris modi marsupium, a sacco & pera, quod alia etiam recipere posset. *Sambucinae*, *e)* pro *Sambucistriae*, a sambuca, instrumento musico. LIVIVS: *f) Tunc psaltriae sambucistriaeque & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis.* *Sargus*, piscis genus, quod in Aegyptio mari fere nascitur. LVCILIVS: *g)*

Quem praeclarus helops, quem Aegypto sargu' mouebit.

Schedia, genus nauigii inconditi, trabibus tantum inter se connexis facti, quo mercimonia circumferunt post amissam

Gg nauem.

piendum censeo; ita scribit: *Riuales dicuntur aemuli de mulieribus; facta translatione nominis a feris bestiis, quae sitientes cum ex eodem riuulo haustum petunt, in proelium contra se inuicem concitantur. Sic Cicero pro Coelio: sin erit ex illo fonte riualis, inquit. Sine riuali diligere*, est stulte mirari, quod nemo alius concupiscat. CICERO ad Quint. Frat. l. 3. ep. 8. *b)* Satyr. lib. 7. fr. 8. apud NONIVM c. 18. n. 3. *c)* Lib. 10. Ibid. Confer. VARRO de lingua Latina lib. 6. c. 3. FESTVS & BOCHARTVS in Phaleg. ad vers. 3. Psalm. 110. p. 913. *d)* PLAVTVS Rud. A. 2. S. 6. v. 64. *e)* Idem Stich. A. 2. S. 3. v. 57. *f)* Lib. 29. *g)* Incert. frag. 36. apud FESTVM. confer. PLINIVS l. 9. c. 17. & 51. *h)* Vid. FESTVS.

nauem. *h)* Inde schedium opus quodlibet imperfectum. Lvcilivs: *i)*

Qui schedium facit inconditum & inelaboratum.

Sculponeae rudia & rustica sunt calceorum seruilium genera, aliis coestus plumbo ligati. Naevivs: *k)* *Sculponeis batuenda sunt huic latera probe.* Pari modo Plavtvs: *l)* *Qui quaeso potius, quam sculponeas, quibus batuatur tibi os, senex nequissime.* **Sedentarii,** *m)* sutores, quorum ars sedentaria est. **Semizonarii,** *n)* qui zonulas, minus dimidio latas quam iusta zona est, faciunt, quae semicinctia dicuntur. *o)* **Sicyonia,** genus calceamenti. Lvcilivs: *p)*

Et pedibus laeua sicyonia demit honesta.

Sirpe, *q)* pars quaedam silphii, res magnae aestimationis & pretii. **Sirpicula,** vel *sirpiculum*, est canistri genus, a sirpando i. e. ligando dictum. Plavtvs: *r)*

Eis ego ora verberabo sirpiculis piscariis.

Solox, lana crassa, vel pecus lana contectum. Lvcil. *s)*

Pascali pecore ac montano, hirto atque soloce.

Spara, genus teli & minimi generis iacula, a spargendo dicta. Lvcil. *t)*

Tum spara, tum rumices portantur tragula porro.

Spinther, *v)* armillae genus, quo mulieres vtebantur brachio

---

h) Vid. Festvs. *i)* Incert. Satyr. lib. fr. 95. *k)* Philemporo, apud Fvlgentivm de prisco sermone. n. 21. *l)* Casin. A. 2. S. 8. v. 61. *m)* Plavt. Aulul. A. 3. S. 5. v. 39. *n)* Idem Aulul. A. 3. S. 5. v. 42. *o)* Isidorvs Orig. l. 19. c. 33. *p)* Incert. Satyr. fr. 37. apud Festvm. *q)* Plavtvs Rudent. A. 3. S. 2. v. 21. *r)* Captiu. A. 4. S. 2. v. 36. *s)* Incert. Satyr. lib. fr. 48. apud Festvm. *t)* Incert. Satyr. fr. 42. apud Festvm. *v)* Plavtvs Menaechm. A. 3. S. 3. v. 7.

chio summo sinistro. *x*) *Statutus*, *y*) homo magnae staturae. *Strophium*, *z*) ein Brüstlein / fascia breuis, quae virginalem papillarum tumorem cohibet. TVRPILIVS: a) *Me miseram, quid agam? inter vias epistola excidit mihi, infelix inter tuniculam ac strophium quam collocaueram.* Hinc *strophiarii*, eiusmodi fasciarum opifices. ISIDORVS *b*) *strophium* vocat cingulum aureum cum gemmis, & CINNAE allegat istud: *Strophio lactantes cincta papillas.* *Struices* *c*) antiqui dicebant omnium rerum exstructiones. *d*) Ita LIVIVS *struices saxeas*, & NAEVIVS *e*) *struix malorum* dixit. *Struere* namque tum vtebantur pro adiicere, augere. &c. *Subulo* tibicen vocatur. ENNIVS: *f*) *Subulo finitimas propter astabat aquas.* *Summanus*, *g*) Pluto, summus manium Deus, qui omnes in thesaurum suum auarissime rapit. Hinc *summanare* dicitur pro auide rapere & furari. *Summussi*, murmuratores. *h*) NAEVIVS: *Odi summussos, proin aperte dice, quid sit.* TERENTIVS *mussare* pro tacere posuit, cum ait: *Sile, cela, occulta, tege, tace, mussa*; & ipse VIRGILIVS *i*) scriptor plane aureus:

- - *cuncti se scire fatentur,*
Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant.

Gg 2 *Sup-*

x) FESTVS in h. v. *y*) PLAVTVS Rudent. A. 2. S. 2. v. 11. *z*) Idem Aulul. A. 3. S. 5. v. 42. *a*) Philop. apud NONIVM cap. 14. n. 8. CATVLLVS carm. 65. v. 65.

Non tereti strophio lactantes vincta papillas.

b) Origin. lib. 19. c. 33. confer. FESTVS in v. *Struppus.* & PLINIVS l. 21. c. 2. vtrobique capitis insigne vel corona vocatur. *c*) PLAVTVS Menaech. A. 1. S. 1. v. 26. *d*) Vid. FESTVS h. v. *e*) SERVIO teste. *f*) Apud VARRONEM de lingua Latina l. 6. c. 3. Vid. etiam PLINIVS l. 11. c. 37. & l. 28. c. 12. & 17. *g*) PLAVTVS Curcul. A. 3. v. 43. 44. 46. 48. *h*) FESTVS h. v. *i*) Aeneid. lib. 11. v. 345.

Supparus, *k*) linteum puellarum veſtimentum, quod & *ſubucula* appellatur. ***Suppromus***, qui cibum alicui promit, **ein Speiſe-oder Keller-meiſter.** Plavtvs: *l*)

Eho tu ſceleſte, qui illi ſuppromus es, eho!

Hinc *parce promus*, **ſparſam**; *Promus magis quam condus*, **der mehr verthut als erwirbt;** *Condus quaerit promum*, **ein Sparer will einen Verthuer haben.** ***Surum*** dicebant, ex quo per diminutionem ſit *ſurculus*. Ennivs: *m*) *Vnus ſurus ſurum ferret, tamen defendere poſſent.* ***Sutelae***, doloſae aſtutiae. *n*) Plavtvs: *o*)

Atque ob ſutelas tuas te morti miſero.

Tama dicitur, quum, labore viae, ſanguis in crura deſcendit, & tumorem facit. Lvcil. *p*)

Inguen ne exiſtat, papulae, tama, ne boa noxit.

Boa ſerpens aquatilis eſt, quem Graeci ὕδρον vocant, a quo icti obturgeſcunt. Vnde crurum quoque tumor, viae labore collectus, *Boa* appellatur. *q*) ***Tarmes*** vermis ligni, qui naſcitur arboribus importuno tempore caeſis. Plavt. *r*)

- - *Ambo ab infimo tarmes ſecat.*

Intempeſtiuos exciſos credo, id eis vitium nocet.

Temetum, vinum; hinc *temulentus*, & *temulentia*. *s*) ***Tenus*** pertica ſeu laqueus eſt, qui tenditur. Plavt. *t*)

Pendebit hodie pulchre, ita intendi tenus.

Ter-

---

k) Plavtvs Epid. A. 2. S. 2. v. 48. confer. Festvs. *l*) Milit. glorioſ. A. 3. S. 2. v. 12. *m*) Apud Festvm h. v. *n*) Vid. Festvs. *o*) Captiu. A. 3. S. 5. v. 34. *p*) Incert. Satyr. lib. fr. 21. apud Festvm. *q*) Ibid. in voc. *Boa*. *r*) Moſtell. A. 3. S. 2. v. 140. *s*) Vid. Festvs in h. v. Plinivs 14. 13. Qvintilianvs 1. 7. Gellivs 10. 23. *t*) Bacchid. A. 4. S. 6. v. 23.

Terginum, veteres, pro scutica & corio, dixerunt. LVCILIVS:

- - *Dum saluo tergo & tergino licet.*

PLAVTVS: *v)*

Nunquam edepol vestrum durius tergum erit, quam terginum hoc meum.

Termentum id est, quod nunc dicitur detrimentum. *x)* *Tricones,* morosi & ad reddendum duri. *y)* *Valgus*, qui diuersas suras habet atque talos vitiosos; sicut e contrario *vari* dicuntur incurua crura habentes. *z)* PLAVTVS: *a)*

Tum ne vxor mihi insignitos pueros pariat postea,
Aut varum, aut valgum. - -

PETRONIVS ait, *crura in orbem pandere*, qui crura velut in cornua extrorsum sinuata, infra coeuntibus talis, habent. De huiusmodi *valgo* MARTIALIS: *b)*

Cum sint crura tibi, simulent quae cornua lunae,
In rhytio poteras, Phoebe, lauare pedes.

Veruina, c) paruum veru; iaculi genus longum, quod aliqui *verutum* vocant, FVLGENTIVS *d)* interpretatur. *Vespergo, e)* stella, quam alio nomine *vesperum* & *vesperam* Latini, Graeci ἕσπερον vocant. *Victor, f)* ein Faß-binder, a viendo, i. e. vinciendo, seu colligando, idem est qui lictor ἀπὸ τοῦ ligando dictus. *Vindiciae,* res de quibus controuersia est. LVCILIVS: *g)*

 Nemo

v) Pseudol. A. 1. S. 2. v. 21. *x)* FESTVS. *y)* LVCILIVS apud NONIVM cap. 1. n. 85. *z)* FESTVS in v. *valgus*. *a)* Milit. glor. A. 3. S. 1. v. 128. *b)* Lib. 2. epigr. 35. *c)* PLAVTVS Bacchid. A. 4. S. 8. v. 46. *d)* De prisco sermone n. 33. *e)* PLAVTVS Amphitr. A. 1. S. 1. v. 119. *f)* Idem Rudent. A. 4. S. 3. v. 51. confer. VLPIAN. L. 27. §. vlt. D. ad legem Aquil. *g)* Incert. Satyr. fr. 47. apud FESTVM.

Nemo hic vindicias, numen, neque sacra verttur.

Violarii, h) qui vestes violae colore inficiunt. *Vitiligo*, in corpore macula alba. LVCILIVS: *i)*

Haec odiosa mihi vitiligo est, non dolet, inquit.

Vlpicum, species alii, quod victus remigum Romanorum erat cum pane nigro & sale. PLAVTVS: *k)*

- - *Tum autem plenior*

Alli vlpicique, quam sunt Romani remiges.

Volsella, l) instrumentum, quo pilos radicitus e corpore extirpant. *Vomitus* conuicium est in homines impuros. PLAVTVS: *m)*

Absolue hunc quaeso vomitum, ne hic nos enecet.

§. IV.

(β) *Variata* nonnunquam fuit, *n)* ac alia quam nunc quidem posita, adolescente Latinitatis aetate, vocabulorum, sigillatim de quibus heic loci sermo est, substantiuorum significatio. Exemplis paucioribus res erit clarior multum ac dilucidior. *Arrhabo* pluribus erat pro pignore. *o)* *Caudex* proprie est truncus arboris; sed metaphorice apud TERENTIVM, *p)* ponitur etiam pro stulto ac hebetioris ingenii homine. *Fabrica* dixit TERENTIVS *q)* pro *fallacia:* cum sint fabricae nunc

h) PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 5. v. 36. *i)* Apud FESTVM. *k)* Poenul. A. 5. S. 5. v. 35. *l)* PLAVTVS Curcul. A. 4. S. 4. v. 21. *m)* Mostell. A. 3. S. 1. v. 119. *n)* Ita VARRO de Latina lingua diserte, *multa*, inquit, *verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant*. l. 4. in princ. *o)* PLAVTVS Milit. glor. A. 4. S. 1. v. 11 TERENTIVS Heaut. A. 3. S. 3. v. 42. Confer. A. GELLIVS noct. Attic. l. 17. c. 2. *p)* Heaut. A. 5. S. 1. v. 4. *In me quiduis harum rerum conuenit, quae sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus.* *q)* Heaut. A. 3. S. 2. v. 34.

nunc ea inſtrumenta & machinae bellicae, quibus vrbes expugnantur, vt ſunt cuniculi, arietes, &c. *Factio* intoleranda potentia, quam Graeci συσκευὴν vocant. Ita PLAVTVS: *r)*

- - *Nicobuli filius*
Per vim vt retineat mulierem? quae haec factio eſt?

Alibi opulentiam & nobilitatem ſignificat. *s)* PLAVTVS: *t)*

- - *Tibi alia eſt ſponſa locuples Lemnia?*
MEC. *Habeas: neque nos factione tanta, quanta tu, ſumus,*
Neque opes noſtrae tam ſunt validae, quam tuae.

Inde *factioſus* homo dicitur opibus & bonis fortunae affluens. Rurſum PLAVTVS: *v)*

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te eſſe hominem diuitem,
Factioſum: me item eſſe hominem pauperum pauperrimum.

Flagitium, pro efflagitatione, conuicio, & *pipulo*, vt cum antiquis loquar, plerumque muliebri. PLAVTVS: *x)*

- - - *Abiero.*
Flagitio cum maiore poſt reddes tamen.

Heres

---

v. 34. *Nonne ad ſenem aliquam fabricam fingit.* Simili figura *fabricas admouere* dixit PLAVTVS Ciſtell. 2. 2. 5. *r)* Bacchid. A. 4. S. 8. v. 2. FESTVS: *Factio & Factioſus initio honeſta vocabula; vnde adhuc factiones hiſtrionum & quadrigariorum dicuntur. Modo autem nomine factionis ſeditio & arma vocantur.* *s)* Vid. NONIVS cap. 4. n. 191. *t)* Ciſtell. A. 2. S. 1. Idem Aulul. A. 2. S. 1. v. 45. *v)* Aulul. A. 2. S. 2. v. 50. *x)* Epidic. A. 3. S. 4. v. 78. Sed NONIVS c. 4. n. 215. *Flagitium*,

Heres pro domino ponebatur. *y*) *Hoſtis* peregrinus erat. *z*) *Labor* valebat pro morbo, vt valetudo & labor illis perfecta videretur antitheſis. Hinc *laborare* pro aegrotare. Sic & Graecis πόνος *dolorem* nonnunquam ſignificat. PLAVTVS: *a*)

Valetudo decreſcit, accreſcit labor.

Mira & *Miracula* veteres pro monſtris & horrendis ponebant. LVCILIVS: *b*)

Miracula cient elephantes.

Ita *miracula*, quae nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus efferebant, *c*) femin. genere, & turpe ſcortum fuit. *Nugae* tum erant, quae canebantur in mortuorum laudem, νηνία & planctum. *d*) *Pellecebrae*, ſiue *perlecebrae*, *e*) ſunt delinimenta meretricia, blandidicis dictis & ſuauiludiis imperitos iuuenum animos irretientia. Vnde ipſae meretrices *pellices* vocantur: *pellicere* namque amatorium verbum nihil aliud eſt, quam in amorem, ſiue, vt FESTVS ait, in fraudem ſenſim perducere. Ab eo *pellices* olim quidem erant feminae, quae alienos viros ad ſe pellicerent; poſtea

gitium, inquit, *veteres vitium, quod virgini infertur, dici voluerunt.* Confer. TERENTIVS Eunuch. 2. 3, 90. *y*) PLAVTVS Menaechm. A. 3. S. 2. v. 12. Confer. FESTVS ſeu PAVLVS epitomator illius. *z*) PLAVTVS Trinum. A. 1. S. 2. v. 65. Rudent. A. 2. S. 4. v. 21. Curcul. A. 1. S. 1. v. 5. VARRO de lingua Latina lib. 4. c. 1. CICERO offic. l. 1. c. 12. FESTVS. Alii. *a*) Curcul. A. 2. S. 1. v. 4. Idem Caſin. 2. 6, 62. Captiu. 2. 1. 2. Trinum. 2. 1. 35. Mercat. prol. v. 73. *b*) Satyr. lib. 1. fr. 26. apud NONIVM cap. 12. n. 15. Confer. VARRO de lingua Latina lib. 6. c. 3. *c*) FESTVS in v. *miracula*. confer. VARRO de LL. l. 6. c. 3. *d*) Exemplum vid. apud PLAVTVM Aſin. A. 4. S. 1. v. penult. vt alia taceam. *e*) PLAVTVS Aſin. A. 1. S. 2. v. 7.

poſtea omnia ſcorta *pellices* dicta ſunt. ***Puelli***, per diminutionem, pueri dicti ſunt. *f*) ENNIVS: *g*)

Poeni ſoliti ſuos ſacrificare puellos.

LVCILIVS: *h*)

Cumque hic tam formoſus homo, ac te dignus puellus.

Stultiloquentia, *i*) μωρολογία, **Narrentheidung.** ***Vidulus*** marſupium fuit e corio, in quod peregrinantes, quicquid ſecum portabant rerum, condebant. PLAVTVS: *k*)

- - *Eccum hunc in vidulo ſaluum fero.*

Alibi *l*) *vidulum* piſcem vocat. ***Vſus*** eodem prope ſenſu, quo *opus*, dicebant. *m*)

§. V.

(γ) ***A Graecis*** mutuata fuiſſe quamplurima, certo conſtat; cuius rei exempla & ſcriptorum teſtimonia innumera fere proſtant dudum ab aliis abunde & docte commendata. *n*) Illis ergo praeſuppoſitis, quae vulgo nota ſunt, paucula, & ea non vbiuis obuia, ad illuſtrationem quorundam in claſſicis huius aeui ſcriptoribus locorum, vt inſtituimus facere, etiamnum ſubiiciemus. ***Architecton,*** *o*) ἀρχιτέκτων, idem quod *architectus*, **ein Baumeiſter.** ***Batiola,*** τὸ βάτιον, vas ex quo bibitur. Nam & ATHENAEVS *p*) βατιάκην & βατιάκιον inter pocula

f) Vid. FESTVS h. v. *g*) Ibid. *h*) Ibid. *i*) PLAVTVS Trinum. A. 1. S. 2. verſ. vlt. *k*) Menaechm. A. 2. S. 2. v. 12. Idem Epidic. A. 1. S. 1. v. 20. Rudent. A. 5. S. 2. v. 2. 3. 5. 8. 10. 22. 23. paſſim. *l*) Rudent. A. 4. S. 3. v. 49. ſeqq. *m*) TERENTIVS Heaut. A. 1. S. 1. v. 28. Adelph. A. 3. S. 4. v. 66. *n*) Vid. CHRIST. DAVMIVS de cauſis amiſſarum radicum Latin. linguae c. 14. VECHNERVS in Hellenolexia. LEOP. PONATVS in Harmonia linguarum c. 7. CL. REIMANNVS in hiſtoria vocabulorum linguae Latinae p. m. 4. ſqq. Et plures alii. *o*) PLAVTVS Moſtell. 3. 2. 73. Poenul. 5. 2. 150. Amphitr. prol. v. 45. *p*) L. 2.

cula refert. PLAVTVS *q*) *batiolis bibunt*; & *batiolam auream* NONIVS *r*) ex Plauti colace refert. *Blitum*, *s*) *βλίτον*, genus oleris a ſaporis ſtupore appellatum, quod ex Graeco coniicere licet, cum ab his *βλαξ* dicatur ſtupidus. Atque id magis patet ex deſcriptione illius, quam legimus apud PLINIVM, *t*) vbi *Blitum*, inquit, *iners videtur, ac ſine ſapore aut acrimonia vlla. Vnde conuicium feminis apud Menandrum faciunt mariti.* Sic quoque PLAVTO noſtro *v*) meretrix, quae ſine lepore viuit, nec magni pretii eſt, *blitea* vocatur, & *lutea.* Graecis *κάλον* fuſtis ſeu vallus eſt. Hinc *Calas* quoque Latini vocabant fuſtes, quos, in proelium ſuos dominos ſequentes, portabant ſerui, inde *calones* dicti. Militis enim Romani conſuetudo erat, vt ipſe portaret ſibi arma & vallum, quod, vt monui, *calam* appellabant. LVCILIVS: †)

Scinde, puer, calam, vt caleas. - -

i. e. o puer, frange fuſtes, & fac focum. *Catapirates*, *καταπειράτης*, vel potius *καταπειρατηρία*, inſtrumentum, quo nautae maris altitudinem explorant. ISIDORVS: *x*) *Catapirates* [male *catopirates*] *linea cum maſſa plumbea, qua maris altitudo tentatur.* Hinc PLAVTVS: *y*) *Ne peſſum abeat tanquam catapirates maris.* Et LVCIL. *z*)

Hanc catapiratem puer eodem deferat, vncum,
Plumbi paxillum rodus, linique metaxam.

Cinaedi

q) Stich. 5.4.12. *r*) Cap. 15. n. 19. *s*) PLAVTVS Pſeud. A. 3. S. 2. v. 26. Conf. FESTVS, ſeu potius epitomator eius PAVLVS in h. v. *t*) Hiſt. natur. lib. 20. c. 22. circ. fin. *v*) Trucul. A. 4. S. 4. v. 1. confer. NONIVS. c. 2. n. 93. & ERASMVS Chil. †) Incert. ſatyr. lib. fr. 138. SERVIVS in 6. Aeneid. Virgil. *x*) Origin. l. 19. c. 4. *y*) Aulul. 4.1.12. *z*) Incert. ſatyr. libr. fr. 11.

Cinaedi veteribus saltatores dicti sunt, vel pantomimi ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα. LVCILIVS: *a*)

Stulte saltatum te interuenisse cinaedos.

Cirnea, aliis *hirnea*, & *irnea*, & *erneum*, *b*) genus vasis vinarii, παρὰ τὸ ὄρνεον, quod auis figuram haberet: aliis deriuatur a κιρνᾶν, quod est miscere, seu infundere. *Condalium*, aliis *condulus*, vel *condalus* ἀπὸ τῶν κονδύλων, i. e. digitorum articulis, dicitur annuli genus, quod serui digitis gerere solebant. *c*) PLAVTVS: *d*)

Condalium es oblitus - -

Diabathra, διαβάθρα, genus solearum Graecanicarum. *e*) Hinc *diabathrarii*, qui eas faciunt & diuendunt. *f*) *Drapeta*, *fugitiuus*; Graecis δραπέτης, a δράω *fugio*. PLAVTVS: *g*)

Conferunt sermonem inter se drapetae. *Epichysis*, *h*) ἐπίχυσις, est vas vinarium, e quo in cyathos vinum effundebatur. *i*) *Flemina* dicuntur cum ex labore viae sanguis circa talos defluit, ac tumorem facit: seu fluxu laborantes in pedibus, quem Graeci φλεμέλιαν vocant, ὁ τοὺς πόδας φλεγμαίνειν. PLAVTVS: *k*)

Lassitudine inuaserunt misero in genua flemina.

Gangraena, Graecis γάγγραινα, caro emortua, & incipiens partis affectae corruptela, *l*) der kalte Brand. NONIO

a) Satyr. lib. 2. apud NONIVM cap. 1. n. 15. Vid. etiam PLAVTVS Milit. 3. 1. 73. Asin. 3. 3. 37. *b*) PLAVTVS Amphitr. A. 1. S. 1. v. 273. Confer. NONIVS c. 15. n. 29. *c*) FESTVS h. v. *d*) Trinum. A. 4. S. 3. v. 7. *e*) FESTVS h. v. *f*) PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 5. v. 39. *g*) Curcul. 2. 3. 11. *h*) PLAVTVS Rudent. 5. 2. 32. Conf. TVRNEBVS Aduers. 22. 30. *i*) VARRO de LL. 4. 26. *k*) Epidic. A. 5. S. 2. v. 5. Confer. FESTVS in v. *flemina*. *l*) CELSVS 5. 26. 31.

NIO *m*) cancer vocatur. Itaque LVCILIVS: *n*)

Serpere vti gangraena mala atque herpestina posset.

Gaulus, Graecum γαῦλος, quod nauem onerariam significare *o*) videtur, PLAVTO *p*) vasis genus est in formam cymbii. ***Halophanta***, ὁλοφάντης, FESTO *q*) *halaphanta*, significat omnia mentientem, ἀπὸ τῆς ἅλης, i. e. πλάνης, καὶ ἅπαντα. Quemadmodum παρὰ τὸ σῦκον prouenit *sycophanta*. PLAVTVS: *r*)

Halophantam an sycophantam hunc magis esse dicam nescio.

Hippocampus, ἱππόκαμπος, equus marinus flexu in piscis caudam desinens; *s*) pisciculus est non edulis, eius tamen in medicina vsum PLINIVS *t*) praedicat. Sed LVCILIO *v*) *hippocampus* scutica est, vbi *transuerso*, inquit, *ordine posuit hippocampi elephanto armillos*. alii *camelos* legunt. Nomen ab vtraque forma factum est: ἵππος enim significat *equum*, & κάμπη *erucam*. ***Horaeum***, *x*) Graec. ὡραῖον vel ὁραῖον salsamenti genus ex pelamide pisce. Hinc nauicula piscatoria *horia*

m) Cap. 2. n. 375. *n*) Satyr. l. 1. fr. 18. apud NONIVM l. c. *o*) Eius proinde GELLIVS. 10. 23. inter nauium appellationes meminit. *p*) Rudent. 5. 2. 32. *q*) In hac voce. *r*) Curcul. A. 4. S. 1. v. 2. Illud Plautinum vocabulum adhuc mirum in modum diuexit criticos. ANDR. ALCIATVS parerg. iur. 2. 4. legit *kalophantam*, i. e. vtilia & honesta loquentem. Sic quoque apud PAREVM lexic. crit. p. 161. Calophanta καλοφάντης est χρηστολόγος, qui honeste quidem loquitur, sed cuius facta ab oratione discrepant. Confer. DEMPSTERVS ad Rosin. antiq. Rom. l. 9. c. 31. paralip. p. m. 938. *s*) DIOSCORIDES. 2. 35. PLINIVS 32. 11. NONIVS 2. 397. *t*) l. 32. 5. & 9. & l. 36. 5. *v*) Satyr. lib. incert. fr. 83. apud NONIVM l. c. *x*) PLAVTVS Captiu. A. 4. S. 2. vers. 71.

horia y) dicebatur, & *horiola. z*) Dicitur autem ita genus hoc ſalſamenti, quod fieret tempore veris: nam Graeci ὡραῖα omnes fructus aeſtiuos vocant. *Incloctores a*) flagellatores vocantur, ab ſonitu verberum ſtrepituue, qui Graecis κλωγμὸς eſt. *Lepadae, b*) Nonio *c*) *lopades*, genus conchae marinae. Itidem Graecis λεπὰς concha marina dicitur, petris ita firmiter adhaerens, vti vix inde poſſit diuelli. *Madulſa* ebrius, a Graeco μαδᾷν, vel quia ſit madidus vino. Plavtvs: *d*)

- - Ego nunc probe abeo madulſa.

Miccotrogus, e) a μικκὸς & τρώγειν *rodere*, ὁ μίκκον τρώγων, quaſi *paucirodus*, paraſitus, qui muris inſtar aliena rodit. German. ein Hunger-leyder und Schmarutzer. *Monogrammi*, μονόγραμμοι, vocabulum, vt apparet, mere Graecum dicitur in homines macie pertenues ac decolores; *f*) tractum a pictura, quae prius quam corporatur coloribus, vmbra fingitur, & Graecis dicitur μονόγραμμα. Lvcilivs: *g*)

Vix viuo homine ac monogrammo.

Paſceolus, h) ex aluta ſacculus: *i*) Graecis φασκώλιον. *k*) *Patalis bos, l*) cuius cornua diuerſa ſunt, ac late patent. *m*) Grae-

y) Idem Rudent. A. 4. S. 2. v. 5. confer. Nonivs c. 13. n. 3. & Fvlgentivs de priſco ſermone n. 15. *z*) Plavtvs Trinum. A. 4. S. 2. v. 100. *a*) Idem Aſin. A. 3. S. 2. v. 6. licet, quod ſcio, alii heic *indoctores* legant. *b*) Idem Caſin. A. 2. S. 8. v. 59. Rud. 2. 1. 8. *c*) Cap. 17. n. 9. *d*) Pſeudol. A. 5 S. 1. v. 7. confer. Festvs. *e*) Plavtvs Stich. A. 2. S. 1. v. 88. Parevs habet *microtrogus*. *f*) Vid. Erasmvs Chiliad. 4. cent. 4. adag. 31. *g*) Satyr. lib. 2. fr. 18. apud Nonivm. Vid. etiam Cicero de natura Deorum 1. 23. *h*) Plavtvs Rudent. A. 5. S. 2. v. 27. *i*) Nonivs c. 2. n. 635. *k*) Svidas: φασκώλιον ἐςὶ μαρσύπιον. Conf. Tvrnebvs Aduerſ. 3. 11. *l*) Plavtvs Trucul. A. 2. S. 2. v. 22. *m*) Festvs. h. v.

ci quoque, ex eadem mente, huiusmodi boues vocarunt πεταλεῖς, siue πετήλυς. *Pithecium*, n) πιθήκιον simiola, ein Aeffgen oder Affen-gesicht. πίθηξ simia. *Riscus*, o) ῥίσκον, in quo vestimenta reponuntur. p) *Schoenum* pessimi vnguenti genus, quod ex σχοίνω, i. e. iunco odorato fiebat. Hinc *obscoenus*, scoeno obnoxius. *Scoeno delibutas* PLAVTVS q) sordidas mulierculas vocat. *Scirtus*, r) σκύρθος, παρὰ τὸ σκιρτᾶν, quod est gestire & ludere, nomen conuenit seruo puero & iuueni. *Scriblita*, s) quasi στρεβλίτης ab intorsione dictum, genus placentae, cuius & ipse MARTIALIS t) meminit:

Circumlata diu mensis scriblita secundis
Vrebat nimio saeua calore manus.

Sito & *Silus*, v) Graec. σιμός, qui nasum habet resimum, i. e. sursum versus repandum instar simiae. x) *Soracum*, vel *Sarracum*, Graec. σώρακος, genus vehiculi, quo scenicorum ornamenta portantur. y) PLAVTVS: z)

Librorum eccillum habeo plenum soracum.

Spinturnicium, a) diminutiuum a *spinturnix* auis inauspicata &

n) PLAVTVS Milit. gloriof. A. 4. S. 1. verf. penult. o) TERENTIVS Eunuch. A. 4. S. 6. v. 17. p) POLLVX h. v. DONATVS ad cit. Terent. locum, id nomen Phrygium esse dicit, & significare cistam pelle contectam. SERVIVS paruam esse voluit in pariete fenestram, ad rerum repositionem relictam. q) Poenul. A. 1. S. 2. v. 55. r) TERENTIVS Hecyr. A. 1. S. 2. v. 3. s) PLAVTVS Poenul. prolog. v. 43. t) Lib. 3. epigr. 17. meminit eius quoque PETRONIVS c. 35. & 66. v) PLAVT. Rudent. A. 2. S. 2. v. 11. x) FESTVS & ibi SCALIGER. Etiam hoc verbum obuenit apud CICER. de natura Deorum 1. 29. & PLINIVM 11. 37. y) FESTVS h. v. z) Perf. A. 3. S. 1. v. 64. a) PLAVTVS Milit. gloriof. A. 4. S. 1. verf. penult. conf. PLINIVS hist. nat. 10. 13.

ta & deformis, eademque *ambuſtanea*, ſiue *incendiaria* dicta; quod de buſto, ſeu rogo, in tecta deferebat carbonis aliquid ac incendium portendebat. Graeco nomine appellatur παρὰ τὸν σπινθῆρα. Σπινθὴρ autem eſt ſtructura ignis. **Stacte**, *b*) ςακτὴ, ἀπὸ τῦ ςάζειν *ſtillare*, latex oleumue ex cynnamomo & myrrha inciſa ſudans ſtillansque. **Stalagmium** *c*) inaurium genus eſt oblongum, ex bacca pendula, a guttae ſimilitudine, quae Graecis ςαλαγμὸς dicitur. Ein länglich Ohr-gehäng. **Staticuli**, *d*) ſaltationes ſtatariae quaedam non perinde motoriae, quales erant in eo chori genere, quod ςάσιμον a Graecis vocatur; vel à parte ſaltationis dicuntur, in qua ſtatur. **Strutheus** adi. ςρέθειος. i. e. *paſſerinus*, idem quod paruum ſignificat, vt ſtruthea mala ſunt illa minora, quae odoratius vibrant, & cruda manduntur. Kleine Quitten. *e*) Sic PLAVTVS *f*) abſolute:

Commiſce mulſum, ſtruthea colutheaque appara.

FESTVS *Strutheum* vocat obſcoenam partem virilem, a ſalacitate videlicet paſſeris, qui Graece ςρυθὸς dicitur. **Sycophanta**, συκοφάντης, calumniator, delator, παρὰ τὰ σῦκα φαίνειν vulgo deriuatur, ſeu ab indicando eum, qui ficos ediſſet. *g*) Hinc συκοφαντία delatio, falſa accuſatio, calumnia. PLAVTVS: *h*) *Apud illas aedes ſiſtendae mihi ſunt ſycophantiae.* Rurſum: *i*) *Neque puduit eum ſycophantias ſtruere.* Atque hinc

---

b) Idem Curcul. A. 1. S. 2. v. 6. Moſtell. A. 1. S. 3. v. 151. LVCRETIVS l. 2. v. 846. confer. DIOSC. 1. 64. & PLINIVS 12. 16. & 13. 1. *c*) PLAVTVS Menaech. A. 3. 3. v. 18. *d*) Idem Perſ. A. 5. S. 2. v. 43. CATO apud MACROBIVM Sat. 2. 10. *e*) PLINIVS hiſt. nat. l. 15. c. 11. & 14. *f*) Perſ. A. 1. S. 3. v. 7. *g*) Confer. FABRI theſaurus eruditionis ſcholaſt. in h. v. & ERASMVS chiliad. 2. cent. 3. adag. 81. *h*) Trin. 4. 2. 25. *i*) Aſin. 1. 1. 56. Confer. idem Bacch. 4. 4. 88. Milit. glorioſ. 3. 1. 17. & GELLIVS 14. 1.

hinc etiam comicus noſter *k) ſycophantari* verbo vſus eſt pro mentiendo fallere; & *ſycophantioſe* aduerbio pro doloſe. *l*) *Sycophanta* vocatur porro ille qui ius callide pro cauſa ſua interpretatur, eoque malitioſe abutitur. Ita MENANDER: *m*) καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσὶν, ὁδ' ὁρῶν κὰς νόμους λίην ἀκριβῶς συκοφάντας φαίνεται. *Res pulchra lex eſt: lege ſi quis vtitur nimis perite, ſycophantam hunc dixeris.* Eo ſenſu TERENTIVS *n*) *clamitent*, inquit, *me ſycophantam hereditatem perſequi.* Atque etiam *ſycophantam* PLAVTVS *o)* poſuit pro quouis mendace & falſidico & blando homine. *Tenus*, ex τείνω *tendo*, laqueus dictus eſt, in neutro genere. *p*) Proinde PLAVTVS: *q*) *intendere tenus.* *Tomacula* ἀπὸ τοῦ τομεῖν *concidere*, edulium ex iecore porcino minutatim conciſo, **eine Leber-wurſt.** Hinc IVVENALIS: *r*) *Exta & candiduli diuina tomacula porci. s*) Et MARTIALIS: *t*) *fumantia qui tomacla raucus circumfert tepidis cocus popinis.* i. e. coquus magno clamore venalia praebet tomacula, coopertis ollis. *Trapezita*, τραπεζίτης, menſarius, **ein Wechsler.** *v*) Infinita alia poſſemus referre nomina, quae veteres Latini mutuarunt ab Graecis, & ciuitate donarunt: vt in hunc vſque diem vſu veniant illis, qui Latinae linguae velut ex orco reſtitutae puritatem ac nitorem curae cordique habent. *x*) Nec mirum; temporis enim ſucceſſu non ſolum alii ſuper alios coloni ex Graecia

k) Trin. 3. 3. 57. & 4. 2. 115. *l*) Pſeudol. 4. 7. 113. *m*) Apud STOBAEVM ſerm. 85. *n*) Andr. 4. 6. 19. *o*) Trin. 33. 86. Amphitruon. 1. 3. 8. Menaechm. 2. 1. 34. *p*) Apud NONIVM c. 1. n. 17. *q*) Bacchid. 4. 6. 23. *r*) Satyr. 10. v. 355. *s*) Quamuis, quod ſcio, vetus ſcholiaſtes in eo verſu *tomacula* pinguia viſcera interpretatur. *t*) Lib. 1. epigr. 42. vid. etiam PETRONIVS c. 31. & 49. *v*) PLAVTVS Captiu. 1. 2. extr. Pſeudol. 2. 4. 67. *x*) Vid. PONTANI **Harmonie der Sprachen.** & omnes fere lexicographi.

Graecia in Latium transfretarunt; *y*) verum etiam inter nationem vtramque continua rerum & literarum commercia instituebantur: *z*) vnde non potuit non ex illa in nostram vocabulorum magna copia promanare, & commixtio Latinitatis haud obscura sequi.

§. VI.

(*δ*) Ita etiam ab actione, vel passione, & aliis rerum circumstantiis, veteres continuo noua effinxerunt vocabula, composuerunt, quae dudum habuere, antiqua, & significationem illis pro lubitu indiderunt. Exempli gratia, *Argentiexterebronides* *a*) ab argento exterebrando dicuntur. *Exterebrare* autem illis erat pro exsculpere, extorquere, exprimere &c. *Damnigeruli,* qui damna, siue impensas ad meretricem deportant. PLAVTVS: *b*)

Ite, ite hac simul, muli aeris, damnigeruli, foras gerones.

Dentifrangibula, *c*) sunt pugni, qui dentes alicui comminuere gestiunt. *Elecebrae argentariae*, ab eliciendo argento, meretrices dicuntur. PLAVTVS: *d*)

Nam ita sunt hic meretrices omnes elecebrae argentariae.

Ferritribaces viri PLAVTO *e*) dicuntur, qui ferrum terunt. h. e. qui plurimum ferreis vinculis compediti sunt. Alibi *f*)

 vocat

y) Confer. Differt. nostra de Origine LL. cap. 8. seqq. *z*) Differt. de Pueritia LL. c. 1. & 2. *a*) PLAVTVS Pers. A. 4. S. 6. v. 20. Vbi vulgo quidem *argutiextenebronides* legunt, quod LAMBINVS a *tenebris* deriuare conatur: sed male. *b*) Trucul. A. 2. S. 7. vers. 1. *c*) PLAVTVS Bacchid. A. 4. S. 2. v. 14. *d*) Menaechm. A. 2. S. 3. vers. 26. *e*) Mostell. A. 2. S. 1. v. 9. *f*) Trinumm. A. 4. S. 3. v. 14.

vocat istos *ferriteros*, & catenas siue carceres *ferriterium*: *g*) quod ibi teratur ferrum ab illis, quibus vincula nectuntur.

> - - - *Tunc tibi*
> *Chorda tenditur: inde in ferriterium.*
> *Postea in crucem recta.*

Flagritribae, *h*) fractores ferularum, flagraque rumpentes serui. *Gerulifigulus*, sua qui gerit nunciatque figmenta: quemadmodum *famigerator*, & *rumigerulus*, qui famam & nouos rumores gestat, quod Graecis est λογοποιεῖν κ̧ λόγυς πλάτ-τειν. PLAVT. *i*)

> *Tua infamia fecisti gerulifigulos flagitii.*

Latomiae lapidariae *k*) sunt lapicidinae, quae alioqui sine adiectione, carcerem significant, a latomiis Syracusanis. *Nucifrangibula* Dentes sunt, quibus nuces franguntur. PLAVTVS: *l*)

> *Nucifrangibula excussit ex malis meis.*

Oculicrepidae, *m*) quibus oculi pugnis contundi solent. *Perenticida*, qui crumenam excutit perditque. Est enim a *pera* perenticida, vt a *parente* parenticida. PLAVTVS: *n*)

> *Ego tuum patrem faciam perenticidam.*

Plagipatidae, *o*) qui plagas patiuntur, quibusue sunt verba sine

---

g) Mostell. A. 3. S. 2. vers. 55. vbi *ferriterinium* legunt alii. *h*) PLAVTVS Pseudol. A. 1. S. 2. v. 5. vbi quidem probe scio, quod legunt alii, *flagricibas* vocari illos, qui flagris quodammodo nutriuntur. *i*) Bacchid. A. 3. S. 1. v. 14. *k*) PLAVTVS Captiu. A. 3. S. 5. v. 65. Conf. TVRNEBVS l. 14. c. 7. *l*) Bacchid. A. 4. S. 2. v. 16. *m*) Idem Trinum. A. 4. S. 3. v. 14. *n*) Epidic. A. 3. S. 2. v. 13. *o*) Idem Captiu. A. 3. S. 1. v. 12.

ſine penu & pecunia, Groſſprecher/und bange Buben. *Sandaligerulae, p)* ançillae, quae dominae *ſandalia* i. e. crepidas & calceamenta ſexus feminini elegantiſſima & praetioſa gerunt. *Sector zonarius*, Crumeniſeca, furtim auferens alterius nummos, Germanis ein Beutel-ſchneider. Antiquitus enim, quod notandum, in zonis aes gerebant, ſaltem crumenas in zonis propendentes. PLAVT. *q)*

Ni illic homo 'ſt aut dormitator, aut ſectorzonarius.

Subiculumflagri, r) qui aſſidue flagro ſubiicitur. *Tympanotriba, s)* homo eneruatus & effaeminatus, quales erant Cybelae ſacerdotes, vel exſecti matris Deum, manibus tympana pulſantes. *Veſtipici* & *veſtiſpicae t)* veſtium cuſtodes, qui frequenti diligentia veſtes inſpiciunt.

§. VII.

(ε) Denique ex ſonitu vocabula effinxerunt, quorum & nos nunc fidem ſed breuibus, exemplo vno alteroue allato, faciemus. Ita *Bilbit* factum a ſimilitudine ſonitus, qui fit in vaſe. NAEVIVS, *bilbit amphora*, inquit. *v) Pubuli cottabi,* flagella quibuscum ſerui caeduntur, reſonantia, ſiue crepitus plagarum. PLAVTVS: *x)*

Caue ſis tibi ne bubuli in te cottabi crebri crepent.

Scilicet in conuiuiis Graeci arte quadam vini reliquias e poculo ſolebant elidere in terram, vti reſonaret, vel crepidum red-

Ii 2 deret

p) Idem Trinumm. A. 2. S. 1. v. 22. *q)* Ibidem A. 4. S. 2. v. 20. *r)* Idem Perſ. A. 3. S. 3. v. 14. *s)* Idem Trucul. A. 2. S. 7. v. 49. *t)* Idem Trinumm. A. 2. S. 1. v. 22. Confer. VARRO de lingua Latina lib. 6. c. 2. & NONIVS c. 1. n. 41. *v)* Apud FESTVM. h. v. *x)* Trinumm. A. 4. S. 3. v. 4.

deret, quod *κοτταβίζειν cottabum facere* dicebant. *y*) Eo Plautus respicit, *bubulos cottabos* facete plagarum crepitus vocitans, qui eduntur, seruis vapulantibus; vel ipsa lora intelligens, ex corio bubulo facta, quibus apud Romanos olim seruilis conditionis homines caedere solebant. *Buttubata* NAEVIVS *z*) pro nugatoriis posuit, hoc est, nullius dignationis. *Coriendrus*, vocabulum tantum anominatione, & similitudine *Cylindri*, nominis proprii, confictum. PLAVTVS: *a*)

> CY. *Cylindrus ego sum. Non nosti nomen meum?*
> ME. *Seu tu Cylindrus, seu Coriendrus, perieris.*
> *Ego te non noui, neque nouisse adeo volo.*

Taxtax, confictum ex strepitu verberum, partim allusum ad *taxo*, quod est a *tango*. Vnde *taxatores* a scenicis dicuntur, quod alter alterum maledictis tangit: vt FESTVS docet. PLAVTVS: *b*)

> ... *taxtax tergo meo erit: non curo.*

Tintinnabulum aperte confictum a sonitu, apud PLAVTVM *c*) est genus vehiculi, vbi, *lanios*, inquit, *inde arcessam duos cum tintinnabulis.* Atque etiam hinc *tintinnaculi* viri vocantur carnifices, qui tintinnabula habebant, ad sumendum de aliquo supplicium. Nam qui ad supplicium ducebantur, tintinnabula gerebant, vt plebs aut conuocaretur, aut arceretur. PLAVTVS: *d*)

> *Nisi si ad tintinaculos voltis vos educi viros.*

Titi-

y) Vid. ATHENAEVS lib. 10. & 15. CICERO Tuscul. 1. LIPSIVS Antiq. lect. l. 3. I. PARRHASIVS de rebus per Epist. quaesitis. *z*) Apud FESTVM in h. v. *a*) Menaechm. A. 2. S. 3. v. 10. *b*) Perf. A. 2. S. 3. v. 12. *c*) Pseudol. A. 1. S. 3. v. 98. Confer. NONIVS c. 1. v. 188. ISIDORVS Orig. lib. 2. c. 21. circ. fin. *d*) Trucul. A. 4. S. 3. v. 8.

Titiuilitium nullius significationis esse testatur FESTVS; sed inter ea censendum, quae Graeci ἐπιφθεγματικά, veteres Latini *effutilia* vocant. FVLGENTIVS *e*) id vocis interpretatur filis putridis, quae de telis cadunt, re adeoque admodum vili. PLAVTVS: *f*)

Non ego istuc verbum emissim titiuilitio.

§. VIII.

Hactenus de significatione: sequitur 2. *terminatio* Nominum substantiuorum, qua veteres promiscue & indifferenter vsos fuisse, nunc demonstratum ibimus. Possemus syluam exhibere vocabulorum, quae plurali tantum numero efferuntur, & olim dicta singulariter fuere: vt *moene* pro *moenia*. *g*) Possemus diminutiua recensere, primitiuorum loco absque necessitate, vel alia causa vrgente aliqua, ab antiquis posita; ex. gr. *digitulus* *h*) pro *digito*; *diecula* *i*) pro *die*. Possemus nominum attendere dilatationes, qualem deprehendimus esse in *rapinatore* pro *raptore*. *k*) Sed hoc imprimis agemus hoc paragrapho, vti varietas terminationum per istas quinque vulgares declinationes, in aliquibus saltem, appareat. Nomina primi ordinis desinentia in A formare solebant etiam in AS tertii ordinis, vt *Angustitas*, *Angustia*, †) *Concorditas*, *concordia*, *l*) *Differitas*, *differentia*, *m*) *Discorditas*, *discor-*

Ii 3

e) De prisco sermone n. 20. *f*) Casin. A. 2. S. 5. v. 39. *g*) Ita ENNIVS: *Apud Emporium in campo hostium per moene.* vid. FESTVS in h. v. E contrario *liberos* in multitudinis numero etiam vnum filium filiamue vnicam dixerunt. vid. A. GELLIVS l. 2. c. 13. *h*) TERENTIVS Eunuch. A. 2. S. 2. v. 53. *i*) Idem Andr. A. 4. S. 2. v. 27. *k*) LVCILIVS Satyr. lib. 2. fr. 12. *Homo impudicus & impune est rapinator.* apud NONIVM. †) NONIVS c. 2. n. 38. *l*) n. 151. *m*) n. 207.

ſcordia. n) *Impigritas*, *Impigritia*, o) *Indulgitas*, *indulgentia*, p) *Inſanitas*, *inſania*, q) *Opulentitas*, *opulentia*, r) *Peſtilitas*, *peſtilentia*, s) *Triſtitias*, *triſtitia*. t) Aliquando in ES, vt *Amicities*, *Auarities*, *Deſidies*, *Luxuries*, *Notities*, *Pigrities*, *Triſtities*. v) Et in DO, hac ratione, *Duritudo*, *duritia*, x) *Ineptitudo*, *ineptia*, y) *Miſeritudo*, *miſeria*, z) *Moeſtitudo*, *moeſtitia*, a) *Noxitudo*, *noxia*, b) *Saeuitudo*, *ſaeuitia*. c) Secundi ordinis vulgo finita in VS, quae maſculini generis eſſe nouimus, haud raro in VM neutro genere poſuerunt. Ita *Gladium*. LVCILIVS: d)

Haerebat mucro gladium in pectore totum.

Naſum pro *naſus*. Idem: e)

Queis oculi non ſunt, neque naſum, & qualia ſunt.

Et PLAVTVS: f)

- - *Ex iſthoc loco ſpurcatur naſum odore illutibili.*

Rurſum: g).

Canem eſſe hanc quidem magis par fuit: ſagax
Naſum habet. - -

Vel etiam in AS genere feminino & tertia declinatione flectebant, vt *Autumnitas* pro *autumno*. h) Eiusdem ordinis deſinentia in VM, vulgo neutra, mutabant in VS, eadem decli-

n) n. 216. o) n. 434. p) n. 439. q) n. 414. r) n. 598. s) n. 684. t) n. 869. v) Vid. AVSONIVS POPMA de vſu antiquae locut. lib. 1. c. 8. x) NONIVS c. 2. n. 244. y) n. 455. z) n. 521. a) n. 522. b) n. 576. c) n. 796. d) Incert. Satyr. fr. 52. apud NONIVM. e) Satyr. lib. 7. fr. 15. apud eundem. f) Menaechm. A. 1. S. 2. v. 57. g) Curcul. A. 1. S. 2. v. 18. h) Vid. NONIVS c. 2. n. 22.

declinatione, ſed genere maſculino; vt *collus* pro *collum* dicerent. LVCILIVS: *i*)

> *Caldiſſima ac bene plena iam ſolorum atque anſeri col-*
> *lus.*

Etiam in O. vt *Deliquio* pro *deliquium. k)* Et in A. genere feminino, vt *Menda* pro *mendum.* LVCIL. *l*)

> - - *Quibu' mendae*
> *Omnibus in rebus fiunt, fierique potiſſunt.*

Tertii ordinis in O finita, fuerunt illis quoque in VS, ſic *Pauo* & *pauus, Capo* & *capus. m*) OR mutabant crebro in OS. *Labos* pro *labor. n*) Ita *Arbos, Colos, Timos, Vapos*, de quibus alibi. in AS, vt *Nitiditas* pro *nitor*; *o*) in IO, vt *Amatio* pro *amor*; *p*) in DO, vt *Albitudo* pro *albor. q*) Terminatio in AS & DO promiſcua erat. Hinc *Similitas, ſimilituto, r*) *Viciſſitas, viciſſitudo*, *s*) *Dulcitas, dulcedo, t*) *Laxitas, laxitudo, v*) *Magnitas, x*) & *Maximitas, y*) *magnitudo, Pulchritas, pulchritudo. z*) Viciſſim: *Anxitudo, anxietas, a*) *Aritudo, ariditas, b*) *Caſtitudo, caſtitas, c*) *Claritudo, claritas, d*) *Crebritudo, crebritas, e*) *Firmitudo, firmitas, f*) *Hilaritudo, hilaritas, g*) *Honeſtitudo,* *hone-*

---

i) Satyr. lib. 7. fr. 18 apud NON. Vid. etiam PLAVTVS Captiu. A. 2. S. 2. v. 107. *k*) PLAVTVS Captiu A. 3. S. 4. v. 93. *l*) Incert Satyr. fr. 28 apud NON. *m*) Vid. POPMA lib. 1. c. 8. p. m. 30. *n*) TERENTIVS Hecyr. A. 3. S. 1. v 6. Confer. NONIVS c. 8. n. 27. *o*) NONIVS c. 2. n. 578. *p*) Ibid. n. 18. *q*) Ibid. n. 33. *r*) NON. c 2. n. 827. *s*) n. 893. *t*) n. 215. *v*) n. 492. *x*) n. 528. *y*) n. 519. *z*) n. 665. *a*) NONIVS c. 2. n. 32. *b*) n. 23. *c*) n. 124. *d*) n. 101. *e*) n. 178. *f*) n. 314. *g*) n. 399.

honestas, h) ***Lenitudo****, lenitas, i)* ***Orbitudo****, orbitas, k)* ***Sanctitudo****, sanctitas, l)* ***Seueritudo****, seueritas, m)* ***Suauitudo****, suauitas, n)* ***Vanitudo****, vanitas. o)* AS nonnunquam transit in IA. Hinc ***Inania*** pro *inanitas. p)* ***Cuppedia****, cupiditas. q)* ***Variantia****, varietas. r)* In AS gentilia nominatiuum similem habebant genitiuo: ita ***Sarcinatis*** pro *Sarcinas*, nominandi casu, obuenit apud PLAVTVM: *s)*

Quid, Sarcinatis ecqua est?

Pari modo ***infimatis, summatis, cuiatis***, quae nos nunc *infimas, summas, cuias* efferimus. Sic quoque ἀρχαῖος vocandi casu ***Apollinis*** legimus apud eundem: *t)*

Imperium tuum demutat atque dictum Apollinis.

Desinentia in IO proferebant in AS, vt ***Largitas*** pro *largitio*; *v)* vel A, vt ***Lamenta*** pro *lamentatio. x)* *Aethiops* peregrinum, more Latinorum, pronunciabatur ***Aethiopus***. LVCILIVS: *y)*

- - - *hic est*

Rhinoceros velut Aethiopus. - -

Plebs, altera inserta vocali E, dicebatur ***Plebes***. Certe LVCILIVS: *z)*

Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.

Iuue-

---

h) n. 401. *i)* n. 486. *k)* n. 599. *l)* n. 805. *m)* n. 798. *n)* n. 797. *o)* n. 886. *p)* NONIVS l. c. PLAVTVS Aulul. A. 1. S. 2. v. 6. Quamuis heic malim *inanias* ea significare, quae vacua sunt. *q)* NONIVS c. 2. n. 123. *r)* n. 887. *s)* Mostell. A. 3. S. 2. v. 83. *t)* Menaechm. A. 5. S. 2. 4. 118. *v)* NONIVS c. 2. n. 488. *x)* Ibid. n. 493. *y)* Satyr. l. 3. fr. 21. PRISCIANVS lib. 6. *z)* Satyr. l. 5. fr. 17.

Iuuenilitas pro *iuuentute* valebat. *a*) *Seminium* pro *semine*, *b*) quod etiam prolem ſignificat. *Lac* duplici modo ſcriptum reperimus apud veteres, *hoc lacte*, in neutro, & *haec lactis*, in feminino genere. PLAVTVS: *c*)

Quae nec lactem, nec lanam vllam habent.

Idem: *d*)

Neque aqua aquae, neque lacte eſt lacti, crede mihi, vſquam ſimilius.

Terminationibus AL & AR apponebant E literam vocalem; inde vocabula, *animale*, *tribunale*, *ſale*, *pugilare*, *exemplare*, & ſimilia. *e*) Quartae declinationis nomina in VS, verſa legimus in A, vt *Artua* pro *artus*; *f*) & in IO, vt *Raptio* pro *raptus*. *g*) Deſinentia in V, etiam tum exibant in VM, vel in VS maſculino genere, & quarta declinatione, vt *Cornu*, *cornum*, & *cornus*, *Gelu*, *gelum*, & *gelus*, *Genu*, *genum* & *genus*. LVCILIVS: *h*)

- - *vt nobis talu' genusque.*

Denique ordinis quinti nomina, quae in ES deſinunt, in A flectebant primae declinationis, *temperatura* pro *temperies*; *i*) *effigia* pro *effigie*. PLAVTVS: *k*)

- . *Veneris effigia haec quidem eſt.*

Deinde in OR, vt *Macor* pro *macie*; *l*) Vel in DO, vt *Macri-*

Kk

a) NONIVS c. 2. n. 418. *b*) PLAVTVS Milit. glorioſ. A. 4. S. 2. v. 68. *c*) Bacchid. A. 5. S. 2. v. 16. *d*) Menaechm. A. 5. S. 9. v. 30. Confer. NONIVS c. 8. n. 4. *e*) Vid. POPMA l. c. p. m. 30. *f*) PLAVTVS Menaechm. A. 5. S. 2. v. 102. *g*) TERENTIVS Adelph. A. 3. S. 3. v. 2. *h*) Satyr. l. 4. fr. 16. apud NONIVM. *i*) NONIVS c. 2. n. 848. *k*) Rudent. A. 2. S. 4. v. 7. *l*) NON. c. 2. n. 525.

Macritudo m) pro *macie*, *Canitudo* pro *canicie*, n) *Mollitudo* pro *mollitie*. o)

§. IX.

3. *Declinatio*, ex praecedenti paragrapho ſatis apparet, nominum mutata fuiſſe; at ſigillatim etiam de iſta non nihil addere placet. Et notari meretur, veteres primae declinationis genitiuum ſingularem, atque ſimiles caſus, pronunciaſſe, Graecorum more, per AI. p) vt *prouinciai*, *coloniai*, &c. vel per AS, nominatiuo tantum S literam adiicientes, vt *familias* pro *familiae*: vnde hodie manſit *paterfamilias*, & ſimilia compoſita; ita *curas*, *fortunas*, *terras*, *triſtitias*. &c. q) Datiuum & Ablatiuum pluralem, *Diis* pro *deabus*, *Equis* pro *equabus*, *Filiis* pro *filiabus*. r) Secundi ordinis nomina quaedam in VS deſinentia quarti ordinis fecerunt, quod videre licet in *humus*, s) *pannus*, t) *cibus*, *lectus*, *ſomnus*, *ſonus*, &c. v) Genitiuum ſingularem eorum nominum, quae ante VS, vel VM, ſyllabam, I habent

m) Nonivs c. 2. n. 517. n) n. 106. o) n. 524. Plura vid. apud A. Gellivm lib. 16. cap. 7. lib. 17. cap. 2. alibi. p) Vid. Differt. noſtra de pueritia Latinae linguae cap. 5. §. 14. q) Vid. Avsonivs Popma de vſu antiquae loc. lib. 1. cap. 9. p. m. 34. r) Idem l. c. Plavtvs Poenul. A. 5. S. 3. v. 9. Stich. A. 4. S 1. v. 61. s) Nonivs. cap. 8. n. 36. t) Ibidem n. 42. v) Vid. Popma l. c.

bent: pronunciarunt per eandem vocalem simplicem, non geminatam, in ligata & soluta oratione, vt *Arcadi Arcadii*, *pecuari*, *pecuarii*, *Septimi*, *Septimii*, & id genus alia. *x*) Vocandi casu, *puere* pro *puer* dixerunt. PLAVTVS: *y*) *i prae puere.* In eadem declinatione, genitiuum pluralem protulerunt oratores simul atque poetae per contractionem mediae syllabae. Ita *Gallum* pro *Gallorum*, *z*) *mille nummum*, *a*) &c.

Deum metum, parentum amorem, & cognatum concordiam. b)

Tertiae declinationis nomina in ES, praesertim propria, ferme quinti ordinis fecerunt, efferentes genitiuum in EI; exempli grattia, *Achillei*, *Simonidei.* *c*) Et nominum Graecorum in O, genitiuum in VS flexerunt, *Dido*, *Didus*, similia. *d*) Promiscue Datiuum in I. & E. Accusatiuum in EM & IM, Ablatiuum in I & E. Exempla vide apud POPMAM. Atque etiam in V terminationem Ablatiui legimus, *Algu* pro *algore*, *e*) *lucu* pro *luce*. *f*) Nominatiuus & Accusatiuus plura-

Kk 2

x) Ibidem. *y*) Pseudol. A. 1. S. 3. v. 12. 20, 21. & passim. *z*) NONIVS cap. 8. n. 32. *a*) PLAVTVS Trinumm. A. 4. S. 2. v. 161. *b*) Idem Amphitr. A. 2. S. 2. v. 211. *c*) Vid. POPMA l. c. p. m. 35. *d*) Idem loc. cit. *e*) ACCIVS, LVCILIVS & LVCRETIVS apud NONIVM cap. 2. n. 28. *f*) TERENTIVS Adelph. A. 5. S. 3. v. 55.

pluralis exiit in IS, *omnis cives*, *omnis homines*, *hae puppis*, *hae restis*. Genitiuus promiscue in VM & IVM, *ciuitatum* & *ciuitatium*, *parentum* & *parentium*, *g*) imo in ORVM, vt *poematum*, *poematorum*. *h*) Quartae declinationis nomina plurimum etiam ad secundam flectere instituerunt, in genitiuo casu I posita vocali pro VS; ita *Adspecti* pro *adspectus*, *i*) *Aduenti* pro *aduentus*, *k*) *Aesti* pro *aestus*, *l*) *Exerciti*, *m*) *Flucti*, *n*) *Fructi*, *o*) *Lucti*, *p*) *Parti*, *q*) *Quaesti*, *r*) *Salti*, *s*) *Senati*, *t*) *Sumti*, *v*) *Tumulti*, *x*) *Victi*. *y*) Sed hoc regulare est omnibus nominibus quarti ordinis, vt exeat genitiuus apud veteres in VIS, interiecta I litera hodiernae terminationi: vt *Anuis* pro *anus*, *z*) *Domuis*, *a*) *Exercituis*, *b*) *Fructuis*, *c*) *Graduis*, *d*) *Partuis*, *e*) *Quaestuis*, *f*) *Rituis*, *g*) *Senatuis*, *h*) *Victuis*, *i*) quod, auctorum verbis sufficientibus recitatis, NONIVS MARCELLVS testatur. Datiuum eiusdem ordinis etiam in V terminabant, *Anu* pro *anui*. &c. *k*) Declinationis quintae genitiuum similem habuere nominatiuo, *huius facies* pro *huius faciei*; *l*) vel in II geminum

---

g) POPMA l. c. p. m. 36. *h*) NONIVS c. 8. n. 79. *i*) Idem c. 8. n. 15. *k*) TERENTIVS Phorm. A. 1. S. 3. v. 2. *l*) NONIVS c. 8. n. 9. *m*) Ibid. n. 14. *n*) n. 37. *o*) n. 61. vid. etiam TERENTIVS Adelph. A. 5. S. 4. v. 16. *p*) NONIVS c. 8. n. 17. *q*) n. 19. *r*) n. 6. *s*) n. 18. *t*) n. 10. *v*) n. 12. *x*) n. 7. *y*) n. 8. *z*) TERENTIVS Heaut. A. 2. S. 3. v. 46. NONIVS cap. 8. n. 91. *a*) Ibid. n. 66. *b*) n. 14. *c*) n. 61. & 72. *d*) n. 89. *e*) n. 19. *f*) n. 6. *g*) n. 93. *h*) n. 10. *i*) n. 88. *k*) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 4. c. 16. Confer. POPMA p. m. 37. *l*) A. GELLIVS lib. 9. c. 14.

num terminantem, vt *dii* pro *diei*, *m*) *pernicii*, *n*) *progenii*. *o*) Neque in dandi casu, vt nos nunc hodie, dixerunt *faciei* sed *facie*, extrema I vocali abiecta. *p*)

§. X.

4. *Genus* quoque dubium apud veteres, & alio nunc alioque modo positum fuisse, nemo in Latinis literis adeo hospes est, qui ignorare possit. Operae pretium non putamus, repetere ea, quae sub variis formis, variorum generum habebantur: sed quae sub vna eademque terminatione, quondam diuersimode & ambigue vsurpata, referemus; ita tamen vt neque heic nimia dictorum copia videamur decorum transgredi. *Agnus lupus, porcus*, & similia, vtroque genere pronunciabantur, quibus sexui discernendo addebatur *femina*, ut *lupus femina*, *porcus femina*, *agnus femina*; vel etiam articulus id demonstrare visus est, *haec lupus*. *q*) &c. *Aerarium* genere masculino legitur; *r*) *Finis*, feminino; *s*) *Aetas*, masculino; *t*) *Grando*, mascul. *v*) *Frons*, masculino; *x*) *Stirps*, masculino; *y*) Item *Lux*, *z*) *Silex*, *a*) *Calx*, *b*) *Crux*, *c*) & similia, quae non vt vitia, sed vt antiquam consuetudinem testantia, accipere debemus. Porro Graeca neutrius generis nomina, quae in tertia declinatione vulgo flectuntur, saepe numero veteres ad primam, genere feminino protule-

m) TERENTIVS Eunuch. A. 4. S. 7. v. 31. *n*) NONIVS c. 8. n. 24. *o*) Ibid. n. 51. Confer. GELLIVS l. c. *p*) Idem lib. 9. c. 14. *q*) FESTVS in voc. *Agnus* & *Masculino*. Confer. Dissertatio nostra de Pueritia Latinae linguae cap. 3. §. 9. *r*) NONIVS c. 3. n. 5. *s*) Ibid. n. 90. *t*) n. 13. *v*) n. 105. *x*) n. 89. FESTVS in voc. *Frons* & *Masculin.* A. GELLIVS l. 15. c. 9. *y*) NONIVS c. 3. n. 237. *z*) Ib. n. 118. *a*) n. 209. *b*) n. 60. *c*) FESTVS in voc. *Masc.* NONIVS c. 3. n. 31.

tulerunt, & *syrmam, dogmam, schemam, glaucomam, diademam,* id genus alia, formarunt. *d)* Ita PLAVTVS: *e)*

- - *Ego huc processi sic cum seruili schema.*

i. e. habitu seruili. Proin ipse SVETONIVS, scriptor longe recentioris aeui: *f)* *Ne cui exemplar imperatae schemae deesset.* *Praesepe,* quod regulariter neutrius generis est, in feminino posuere. PLAVTVS: *g)*

Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet se huc esum ad praesepim suam.

Imo & *Praesepia* in primo ordine consueuerunt declinare, vt *ad praesepiam* dixerint quoque. *h)* *Guttur i)* & *murmur k)* genere masculino, *fulmenta*, feminino *l)* scriptitarunt. LVCIL. *m)* exempli gratia:

Sufficit huic dum fulmentas quattuor addit.

Metus, genere feminino, *n)* itemque *specus*; *o)* At *Sexus* *p)* in neutro genere dixerunt. Alia breuitatis causa prudens omitto.

§. XI.

b. *Adiectiuum* secundo loco examinare, nostram adstrinximus fidem. Et haec est, vt instituti sequamur rationem, id genus nominum 1. *significatio* (*a*) *obsoleta*, & aliunde mutuata partim, qua rarius vel nunquam illa venire iam certo constat. *Adesum consumtum* veteres dicebant.

d) Vid. PRISCIANVS lib. 6. *e)* Amphitr. prolog. v. 117. *f)* Tiber. c. 43. *g)* Curcul. A. 2. S. 1. v. 13. *h)* Vid. NONIVS c. 3. n. 160. *i)* Ibid. n. 102. *k)* n. 142. *l)* n. 98. *m)* Sat. l. 4. fr. 23. *n)* FESTVS in v. *Masculin* & *metus*. *o)* NONIVS. c. 3. n. 194. *p)* Ibid. n. 193.

bant. *q*) ***Adgrettus*** ponebatur pro *aggressus*. *r*) ***Alliatus*** ille erat, qui allium olet, vt *vnguentati*, qui vnguenta. PLAVTVS: *s*)

Sine me alliato fungi fortunas meas.

Altile, ab *alendo*, non ſolum pingue, verum etiam opulentum & opimum ſignificat. *t*) ***Amuſſitatus***, ad amuſſim factus & examinatus. PLAVTVS: *v*)

Ineſt in hoc amuſſitata ſua ſibi ingenua indoles.

Arquatus morbus dictus eſt, qui regius vocatur, quod *arquus* ſit concolor de virore, vel quod ita ſtringat corpora, ut in arcum ducat. LVCILIVS: *x*)

Nos eſſe arquatos, ſurgamus, eamus, agamus.

Bardus ille, qui ingenio tardus eſt. PLAVTVS: *y*)

Nimis tandem me quidem pro barda & pro ruſtica reor habitam.

Broncus, qui dentes habet prominulos & os productum. LVCILIVS: *z*)

Broncus nouit lanius, dente aduerſo eminulo. - -

Id eſt Rhinoceros, quemadmodum MARTIALIS: *a*)

Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Capu-

---

q) SISENNA hiſtor. apud NONIVM cap. 2. n. 19. *r*) ENNIVS apud FESTVM in h. v. *s*) Moſtell A. 1. S. 1. v. 45. Ego LAMBINVM hic, vt plures alii, ſequor. Nonnulli, quod ſcio, *alliatum* hic interpretantur cibi genus, cui allium intritum eſt. Confer. FABRI theſaurus. *t*) NONIVS c. 2. n. 30. *v*) Milit. glorioſ. A. 3. S. 1. v. 38. Confer. FESTVS in voc. *Amuſſim*. & NONIVS c. 1. n. 28. *x*) Incert. Satyr. fr. 20. apud NONIVM c. 1. n. 151. Confer. eiusd. c. 5. n. 14. *y*) Perſ. A. 2. S. 1. v. 2 Conf. FESTVS in h. v. *z*) Sat. l. 3 fr. 21. apud NON. c 1. n. 102. Vid. etiam PLAVTVS Mil. glor. A. 3. S. 1. v. 128. vtut, quod noui, heic legunt alii *Brocchus*. *a*) Lib. 1. epigr. 4.

Capularem nominari volunt ſenem, iam morti contiguum; quin & reos *capulares* dicebant, qui capulo digni habebantur, vnde LVCILIVS: *b*)

- - *pergit capulare cadauer.*

Carchedonius, Carthaginienſis, ad Graecorum imitationem, quibus καρχηδὼν Carthago dicitur. *c*) *Catus*, pro acutus, verbum Sabinis vſitatum. Hinc ENNIVS: *d*) *Iam Cata ſigna fere ſonitum dare voce parabant.* Atque etiam *Catus e*) dicitur ille qui rerum vſum habet, & in rebus ciuilibus ſapit; vir prudens & cordatus. Quod ipſe PLVTARCHVS *f)* notat: ***Romani eum, in quo multarum rerum vſus ac experientia ſit, Catonem nominant.*** *Caudea ciſtella g*) eſt illa e iunco, ad ſimilitudinem equinae caudae, facta. *Cerebroſi h*) dicuntur ad inſaniam faciles, quibus cerebrum frequenter mouetur. *Cerinum i*) a cerae colore dicitur. *Cernuus k*) inclinatus, quaſi quod terram cernat. *Cerritus, l*) male ſanus, ſeu furioſus. *Compernis m*) NONIO *n*) vocatur, qui longis pedibus eſt; FESTO, *o*) qui genibus eſt plus iuſto coniunctis. *Crepera res* proprie dicitur, quae dubia

b) Apud FVLGENTIVM de priſco ſermone n. 23. Confer. NONIVS c. 1. n. 13. & ISIDORVS Orig. lib. 20. c. 11. *c*) Vid. PLAVTVS Poenul. prolog. v. 53. Alias charchedonius eſt gemma, de carbunculorum genere. vid. PLINIVS l. 37. c. 5. & 7. *d*) Apud VARRONEM de lingua Latina lib. 6. c. 3. Confer. NONIVS 2. 184. CICERO Tuſc. 1. 9. *e*) Vid. TERENTIVS Andr. A. 5. S. 2. v. 14. PLAVTVS Perſ. 4. 4. 7. *f*) In vita Catonis ſenioris. *g*) PLAVTVS Rudent. A. 4. S. 4. v. 65. Confer. FESTVS in h. v. *h*) LVCILIVS apud NONIVM c. 1. n. 82. PLAVTVS Moſt. 4. 2. 36. *i*) Idem Epid. A. 2. S. 2. v. 49. NONIVS. 16. 6. *k*) LVCILIVS apud NONIVM c. 1. n. 76. *l*) PLAVTVS Amphitr. A. 2. S. 2. v. 144. Menaechm. A. 5. S. 4. Ipſe HORAT. 2. Satyr. 3. FESTVS h. v. *m*) PLAVTVS Milit. glor. A. 3. S. 1. v. 228. *n*) Cap. 1. n. 103. *o*) In h. v.

dubia est; vnde *crepusculum*, lux dubia, & senes, *decrepiti*, qui in dubio vitae putantur esse constituti. Ita *creperum bellum*, anceps & dubium. LVCRETIVS: *p)*

Exaequataque sunt creperi certamina belli.

Et LVCILIVS: *q)*

Tristitia in summa, creperaque inuentu salutis.

Crucium, quod cruciat. Vnde LVCILIVS *r)* vinum insuaue *crucium* dixit. **Cumatilis** *s)* color marinus aut coeruleus, quasi fluctuum similis. Fluctus enim Graece *κύματα* vocantur. **Delibutus**, *t)* ab inusitato verbo *delibuo*, i. e. inungo. *Delibutus gaudio*, est perfusus, & plenus, & vnctus quasi gaudio; metaphora desumta ab illis, qui balsamo inunguntur, vt alacriores ad officia obeunda reddantur. **Deliquum**, al. *delicuum*, significat *minus* apud PLAVTVM: *v)*

Quando tibi nil domi deliquum est.

Dierectus est ad crucem actus, quasi ad diem erectus. *x)* PLAVTVS: *y)*

Abin' hinc dierecte? - -

Alibi: *z)*

- - *Tu i dierecta.* - -

Rursum: *a)*

Abi dierectus - -

Germ. Gehe du an den Galgen.

 Elle-

p) Lib. 5. Apud NONIVM c. 1. n. 45. *q)* Lib. 5. fr. 6. Ibidem. *r)* Apud FESTVM in h. v. *s)* PLAVTVS Epidic. A. 2. S. 2. v. 49. Confer. NONIVS c. 16. n. 1. *t)* TERENTIVS Phorm. A. 5. S. 6. v. 16. *v)* Casin. A. 2. S. 2. v. 33. Confer. FESTVS in h. v. *x)* Vid. FESTVS h. v. *y)* Trinumm. A. 2. S. 4. S. 56. *z)* Rudent. A. 4. S. 4. v. 126. *a)* Poenul. A. 1. S. 1. v. 32.

Elleborosus b) insanus dicitur. *Epicrocum* c) pro tenui sumitur. Proprie est genus amiculi croco tinctum, tenue ac pellucidum. d) *Exsinceratum* quod definit sincerum esse, vulneratum, plagis & verberibus affectum. PLAVTVS: e)

Lubet cauere malam rem prius,
Quam vt tergum exsinceratum fiat.

Exspes, sine spe. f) *Extorris*, extra terram, vel extra terminos. ACCIVS: g) *Nunc per terras vagus, extorris regno, exturbatus mari.* *Grauastellus*, senior, a grauitate dictus, h) vbi simul fortassis alluditur ad telluris pondus. PLAVTVS: i)

- - *illic grauastellus qui venit?*

Inanilogus, k) qui futilia & inania loquitur. *Insuasum* l) εἶδος δοκαρίου κεκαπνισμένου; color similis illi, qui est in trabibus, fumo diutino infectis. m) *Interpoles*, n) quae plurimum se pigmentis interpolare solent, vt ex vetulis nouae quasi puellae fiant. *Labosus*, laboriosus, ab eo, quod *labos*, pro *labore* dicebatur olim. LVCILIVS: o)

Praeterea omne inter hoc est labosum atque lutosum. - -

Rursum: p)

Labosas

b) PLAVTVS Rudent. A. 4. S. 3. v. 67. c) PLAVTVS Pers. A. 1. S. 3. v. 16. d) FESTVS h. v. e) Mostell. A. 4. S. 1. v. 11. f) ACCIVS apud NONIVM c. 1. n. 39. g) Ibid. n. 48. h) FESTVS h. v. i) Epidic. A. 5. S. 1. v. 14. k) PLAVTVS Pseudol. A. 1. S. 3. v. 24. l) Idem Trucul. A. 2. S. 2. v. 16. m) FESTVS in v. *Suasum*. n) PLAVTVS Mostell. A. 1. S. 3. v. 117. o) Satyr. lib. 3. apud NONIVM. p) Ibid.

- - *Labosas*

Tantalu' qui poenas ob facta nefantia luit.

Luscitiosus, al. *lusciosus*, q) qui vesperi ad lucernam, vel adhibito lumine, nihil videt. r) FESTVS s) *luscitionem* ait vitium esse oculorum, cum quis clarius vespertino tempore, quam meridie cernit. Quo morbo laborasse Tiberium Imperatorem DIO memoriae prodit, & SVETONIVS eundem noctu etiam in tenebris vidisse, refert. *Macellus*, macilentus. LVCILIVS: t)

Si nosti, non magnus homo est, nasutu', macellus.

Malacissandus, qui leniendus est, ceu nimis durus atque morosus, ἀπὸ τῦ μαλακίζειν lenire, mollire. PLAVTVS: v)

Apage a me, apage. BA. *Ah, nimium ferus es.* PI. *Mihi sum.* BA. *Malacissandus es.*

Medioximum, medio actum modo, seu mediocre. x) PLAVTVS: y)

Medioxumam quam duxit vxorem, ex ea
Nata est haec virgo. - -

Rursum: z)

At ita me Di Deaeque, superi & inferi & medioxumi.

Munis ἀρχαικῶς interpretatur a NONIO a) consentiens ad ea, quae amicus velit; a FESTO b) certus & officiosus, vt *immunis* dicitur e contrario, qui nullo fungitur officio. PLAVTVS: c)

Ll 2 *Dico*

q) PLAVTVS Milit. gloriof. A. 2. S. 3. v. 52. r) NONIVS c. 2. n. 512. s) In hac voce. t) Satyr. lib. 6. apud NONIVM c. 2. n. 524. confer. MARTIALIS l. 10. epigr. 96. v) Bacchid. A. 1. S. 1. v. 31. x) FESTVS in h. v. NONIVS c. 2. n. 556. y) Cistell. A. 2. S. 3. v. 67. z) Cistell. A. 2. S. 1. v. 40. a) Cap. 1. n. 88. b) In hac voce. c) Mercat. A. 1. S. 1. v. 104.

Dico eius pro meritis gratum me & munem fore.
Murricidus, ignauus & ſtultus. PLAVTVS: *d*)

Vae tibi, murricide homo. - -

Ningulus, nullus. ENNIVS: *e*) *Qui ferro minitere atque in te ningulus mederi queat.* **Noegeum**, candidum & pellucidum. LIVIVS: *f*) *Simul ac lacrimas de ore noegeo deterſit.* **Oculiſſimus**, cariſſimus. PLAVTVS: *g*)

Salue, oculiſſime homo. - -

Et paulo ante: *h*)

Huic proximum illud oſtium oculiſſimum:

Haec enim lectio nobis placet, prae vulgari, *oſtium occluſiſſimum*: ipſo indice FESTO, *i*) & poſt eum criticis, quos habemus, celebrioribus, TVRNEBO, *k*) H. STEPHANO, *l*) pluribus aliis. **Obſitus**, veterum more *plenus* dicitur apud TERENTIVM, *m*) ex eo, quod ager frugibus ſentibusue obſitus, illis plenus eſt. **Piſatilem** NAEVIVS dixit e Piſis oriundum Panteleontem tyrannum, qui profectus inde nunc *Piſanus* diceretur. *n*) **Priua** dixerunt veteres, quae nos *ſingula* dicimus Inde *priuilegium* &c. *o*) **Querquera febris**, quae grauis & magna. LVCILIVS: *p*)

Querquera conſequitur febris, capitisque dolores.

Rodus, vel *Raudus*, ſignificat aliquid rude & imperfectum. *q*)

Sollo

d) Epid. A. 3. S. 1. v. 12. Confer. FESTVS h. v. *e*) Apud FEST. h. v. *f*) In Odyſſea apud FESTVM h. v. *g*) Curcul. A. 1. S. 2. v. 28. *h*) Ibid. A. 1. S. 1. v. 15. *i*) In voc. *oculiſſimus*. *k*) Aduerſ. lib. 11. c. 7. *l*) De Plauti Latinitate p. 280. *m*) Eunuch. A. 2. S. 2. v. 5. *n*) Vid. FESTVS h. v. *o*) A. GELLIVS noct. Attic. lib. 10. c. 20. NONIVS cap. 2. n. 694. *p*) Satyr. lib. incert. fr. 18. apud FESTVM h. v. *q*) Vid. FESTVS h. v.

Sollo dicitur Osce, quod nos *totum* vocamus. LVCIIIVS: *r)*

Suasa quoque omnino dirimit non solla dupondi.

Spissa tunica s) crassa dicitur. At *spissus* significat etiam tardum. CAECILIVS: *t)*

Nihil ego spei credo: omnes res spissas facit.

Hinc *spissigradus*, qui tardo gradu incedit, & *spissigradissimus* ille est, qui tardissimus. PLAVTVS: *v)*

- - duco aduocatos homines spissigradissimos,

Tardiores quam corbitae sunt in tranquillo mari.

Stlembus quoque grauis & tardus vocatur; ita LVCILIVS *x)* *equus pedibus stlembum* dixit equum pigrum & tardum. *Stultiuidus*, qui stulte videt; der verblendet ist. PLAVTVS: *y)*

Vin' iam faciam, vt stultiuidum te fatearis?

Vescus fastidiosus est. Sed LVCRETIVS *z)* *vescum* edacem dixit. *Virosae mulieres*, luxuriosae & virorum appetentes; *a)* quemadmodum *mulierosi* dicti sunt mulierum appetentes. *b)* *Vitulans*, laetans gaudio, vt prato vitulus. ENNIVS: *c)* *Habet is coronam vitulans victoria.* *Voluptabilis*, laetus, desideratus, exoptatus, exspectatus. PLAVTVS: *d)*

Voluptabilem mihi nuncium tuo aduentu attulisti.

Ll 3 §. XII.

r) Incert. Satyr. fr. 38. apud FESTVM h. v. *s)* PLAVTVS Epid. A. 2. S. 2. v. 46. *t)* Apud NONIVM c. 4. n. 422. *v)* Poenul. A. 3. S. 1. v. 3. *x)* Apud FESTVM h. v. *y)* Milit. gloriof. A. 4. S. 3. v. 64. *z)* Apud FESTVM h. v. *a)* LVCILIVS apud NONIVM c. 1. n. 80. *b)* AFRANIVS Ibid. n. 116. *c)* Apud FESTVM h. v. *d)* Epidic. A. 1. S. 1. v. 19. Pluravid. apud A. GELLIVM lib. 19. c. 7.

§. XII.

(β) *Variata* significatio, & aliter atque nunc vſurpata, eſt in quamplurimis. Exempli gratia, *Aſſiduus*, *e*) qui, ab aſſidendo, nunc diligens ac indefeſſus dicitur, ab *aſſibus duendis* i. e. aere dando, tum temporis locuples & diues fuit; cui oppoſitus *proletarius*, plebeius, pauper, ac vilioris conditionis homo, qui nihil Reip. exhibebat, ſed prolem tantum, qua ciuitas augeatur, ſufficiebat. *f*) Niſi quis apud PLAVTVM, quem citauimus, cum DOVSA *g*) & TAVBMANNO *h*) *ſcurras* ſiue *vrbanos aſſiduos* ciues iſtos putet ita fuiſſe dictos ab *aſſidendo*, vt ad conciliabula referantur, in quibus id genus hominum aſſidue garriendo famigerandoque abſentes, male bonas impendere horas, totamque adeo ſuam aetatem, quaſi peregrinantes diſperdere ſolent. *Babylo*, *i*) a Babyloniorum praeſertim Regum, & Perſaorum opibus, liberalitate, luxu &c. prodigus & profuſus dicebatur. *Cupidus* pro *cupiendus* & *expetibilis*. Ita ENNIVS: *k*)

Stultu 'ſt qui cupida cupiens cupienter cupit.

Et PLAVTVS: *l*) *Non eſt cupida ciuitas*. *Curioſa bellua* *m*) eſt animal gracile ac macilentum, quaſi curis illud ſe conficeret. *Demenſum* *n*) *diminutum* ſignificare NONIVS autumat;

---

e) PLAVTVS Trinumm. A. 1. S. 2. v. 165. *f*) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 16. c. 10. NONIVS MARCELLVS cap. 1. n. 342. & cap. 2. n. 666. ISIDORVS Origin. lib. 10. hac voce. *g*) Plautinarum explanationum lib. 4. c. 22. *h*) In notis ad citatum Plauti locum p. m. 1108. *i*) TERENTIVS Adelph. A. 5. S. 7. v. 17. Confer TVRNEBVS Aduerſ. l. 19. c. 10. *k*) Apud NONIVM c. 2. n. 173. *l*) Mercat. A. 5. S. 1. v. vlt. *m*) PLAVTVS Aulul. A. 3. S. 6. v. 25. 26. vbi quidem DOVSA cum FESTO putat *curionem* eſſe pro *curioſam* legendum. Hic, *curionem*, inquit, *agnum Plautus pro macro dixit, quaſi cura macruiſſet.* *n*) Apud TERENTIVM Phorm. A. 1. S. 1. v. 9.

tumat; alii, & recte, quaternos olim frumenti modios, a dominis quolibet menſe datos ſeruis, idque non a *menſe*, verum a *demetiendo* appellatum eſſe. Graec. τὸ σιτομέτριον. PLAVTVS: *o*)

Vos meminiſtis, quod calendis petere demenſum cibum.

Dimidiatum eſt quaſi diſmediatum, & in duas partes diuiſum. *p*) LVCILIVS:

Vno oculo, pedibusque duobus, dimidiatus vt porcus.

Fortis Rex dicebatur tyrannus; *q*) etiam celer, magnarum virium, diues & formoſus. *r*) Quatuor ſignificationes priores per ſe patent; vltima non item. Sed omne dubium amouiſſe videtur ANACREON de formae vi: νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον καὶ πῦρ καλή τις οὖσα. *Ferrum & ignem ſuperat mulier, quae formoſa eſt.* Ideoque PLAVTVS: *s*)

Sed Bacchis etiam fortis tibi viſa eſt?

Immemorabilis *t*) actiue ponitur pro eo, qui pertinax eſt, ne quid commemoraret vel indicaret alteri. Sic ***impetrabilis*** *v*) pro eo, qui facile quid impetrare poteſt. ***Incogitabilis*** *x*) pro eo, qui nihil cogitat, homine inconſiderato. Sed *verſus immemorabiles y*) dicuntur memoratu indigni, nefandi, aetatem qui ferre nullo modo poſſunt. ***Incredibilis*** *z*) indignus, cui quiſquam credat. ***Inteſtabilis*** & ***inteſtatus*** non ſolum accipitur pro eo, qui, propter fraudem aliquam, neque teſtis alteri eſſe, neque

o) Sticli. A. 1. S. 2. v. 3. *p*) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 3. c. 14. *q*) ISIDOR. Orig. l. 9. c. 3. Conf. eiusdem l. 10. h. v. CORNEL. FRONTO apud Gothofredum p. m. 1334. *r*) Vid. NONIVS c. 4. n. 195. *s*) Bacchid. A. 2. S. 2. v. 38. *t*) Apud PLAVTVM Ciſtell. A. 2. S. 2. v. 3. *v*) Moſtell. extrem. *x*) Mercat. A. 3. S. 4. *y*) Captiu. prolog. v. 56. *z*) Bacchid. A. 4. S. 3. v. 3.

neque in causa sua testes adhibere alios, neque testamentum facere potest; verum etiam pro eo, qui euiratus suisque testiculis priuatus est, castrato, spadone. Qua vocis ambiguitate ludit PLAVTVS: a)

Semper curato ne sis intestabilis.

Quod amas, amato testibus praesentibus.

Nauus. celer ac strenuus, a nauium velocitate dictus. Adeoque ENNIVS: b)

Nauus repertus homo.

Rursum: c)

Nauorum, imperium seruare, est insuperantum.

Et PLAVTVS: d)

Naue agere oportet, quod agas, non ductarii.

Superstitiosus ille appellatus est primum; qui totos dies precabatur & immolabat, vt sui liberi superstites sibi essent; postea vero nomen istud latius patuit, e) & praeter alios dictus diuinus, seu vates. Ita PLAVTVS: f)

Superstitiosus hic quidem est: vera praedicat.

Rursum: g)

Illic homo superstitiosus est. - -

Et repraesentatur fatidicus, vel augur futurorum, vel hariolus praeteritorum, quae humanitus scire nemo potuit.

§. XIII.

1. *Terminatio* nominum, quae vocant, adiectiuorum, pariter atque significatio cum *flexione* & *genere* toto, coelo diuersa fuit hoc aeuo ab elegantiori subsequentis seculi musa, proin

a) Curcul. A. 1. S. 1. v. 30. Milit. glorios. A. 5. v. 24. 25. b) Annal. L. 6. apud FESTVM, h. v. c) Lib. 16. ibid. d) In Friuolaria ib. e) Vid. CICERO de natura Deorum lib. 2. f) Curcul. A. 3. v. 27. g) Amphitr. A. 1. S. 1. v. 167.

proin etiamnum vſu antiquata exiſtimantur illis, qui genium caſtioris vel adultae Latinitatis ſequuntur. Breuitati ſtudemus iam, & paucula damus, exempli gratia, verba propemodum obuia omnibus. *Alter*, *Solus*, *Nullus*, & ſimilia nouimus facere caſum genitiuum in IVS, datiuum in I. Secus apud veteres, & huius aeui ſcriptores. Ita **alterae** pro *alteri* in dandi caſu: TERENTIVS: *h*)

- - *Haec ipſa in itinere alterae*
Dum narrat, forte audiui. - -

Idem: *i*)

Mihi ſolae ridiculo fuit;

pro ſoli. ***Nulli*** pro *nullius*, in genitiuo, Idem: *k*)

Tam nulli conſilii ſum.

Vnde patet eos dicere ſolitos etiam ***vni*** & *vnius*, ***toti*** & *totius*, ***iſti*** & *iſtius*, & ſic in reliquis. **Celere** *l*) dixerunt pro *celerum*, in neutro genere. **Diuitior** *m*) pro *ditior*. **Gnarures** *n*) pro *gnari*, Graec. γινώσκοντες. **Gracila** pro *gracilis*. LVCRE. *o*)

- - *Quod gracila eſt, pernix, quod pectore puro,*
Quod puero ſimilis. - -

Hilarus *p*) pro *hilaris*. ***Infimatis*** pro *infimas* ſeu infimi ordinis. PLAVTVS: *q*)

- - *Ego infimatis infimus.*

Mm *Non*

h) Heaut. A. 2. S. 2. v. 30. *i*) Eunuch. A. 5. S. 6. v. 3. *k*) Andr. A. 3. S. 5. v. 2. *l*) TERENTIVS Phorm. A. 1. S. 4. v. 1. *m*) Idem Phorm. A. 1. S. 1. v. 8. *n*) PLAVTVS Moſtell. A. 1. S. 2. v. 17. *o*) Satyr. l. 8. fr. 4. apud NONIVM c. 8. n. 48. *p*) TERENTIVS Adelph. A. 4. S. 7. v. 38. & A. 5. S. 3. v. 56. *q*) Stich. A. 3. S. 2. v. 37.

Non vtibilis, pro *inutilis*. PLAVTVS: *r*)

- - - *non vtibilis hic locus factis tuis.*

Mansues, pro *mansuetus*, posuit CATO. *s*) *Magnificius* dixit idem *t*) pro *magnificentius*. *Munificior*, a munifico, identidem CATO *v*) dixit, cum nunc *munificentior* dicamus; vtut *munificens* non sit in vsu. *Mirificissimum* *x*) idem erat quod admiratione maxime dignum. *Mediocriculo*, pro *mediocri*, vsus est CATO. *y*) *Nefantia*, pro *nefanda*. LVCILIVS: *z*)

- - *Ob facta nefantia luit.*

al. *pendit*. Rursum: *a*)

Dissociat atque omnia ac nefantia.

Plera, dixisse antiquos, testis est PLAVTVS, *b*) cum ait: *plera pars pessumdatur*. *Quotumus*, pro *quotus*. PLAVT. *c*)

Quotumas aedis dixerit, id ego admodum incerto scio.

Rursum: *d*)

- - *quotumo die.*

Rapacidae, *e*) patronymici more, pro *rapaces*. *Spurcificus*, pro *spurcus*, quem NONIVS *f*) saeuum & sanguinarium interpretatur. PLAVTVS: *g*)

Nam te omnes saeuumque seuerumque atque auidis moribus commemorant, - - - *Spurci-*

r) Mercat. A. 5. S. 4. v. 45. *s*) Apud FESTVM h. v. *t*) Apud eundem h. v. *v*) Ibid. h. v. *x*) TERENT. Phorm. A. 5. S. 6. v. 31. *y*) In oratione, quam in consulatu dixit; apud FESTVM h. v. *z*) Satyr. l. 3. apud NONIVM c. 8. n. 47. *a*) Lib. 29. ibid. *b*) Apud FESTVM h. v. *c*) Pseud. A. 4. S. 2. v. 7. *d*) Ibid. A. 4. S. 7. v. 77. *e*) PLAVTVS Aul. A. 2. S. 7. v. vlt. *f*) Cap. 4. n. 425. *g*) Trinum. A. 4. S. 1. v. 7.

Spurcificum, immanem - -

Subices, pro *subiectis*, ENNIVS *h*) posuit. Ita: *Nubes per ego Deum subices humidas.* **Suppum** antiqui dicebant, quem nunc *supinum* dicimus. LVCILIVS: *i*)

Si vero das, quod rogat, & si suggeri' suppum.

Tenta dictum pro *extensa*. Ita LVCRETIVS: *k*)

Tympana tenta sonant palmis & cymbala circum.

§. XIV.

c. *Pronomen* similiter vetustissimi, siue terminationem, siue genus, siue declinationem, respicere velis, alio atque alio modo, quam nos hodie, vel etiam illi castigatioris seculi scriptores protulerunt. **Ipsus**, pro *ipse*, passim videmus obuenire, apud PLAVTVM: *l*)

Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriae.

Rursum: *m*)

Ipsus se excruciat, qui homo quod amat, videt, non potitur, dum licet.

Apud TERENTIVM: *n*)

- - *mihi policitu' est ipsus gnatus.*

Et paulo post: *o*)

Ipsu' mihi Dauus, qui intimu' est eorum consilius, dixit.

Hinc **ipsipsus**, pro *ille ipse*. *p*) **Ipsipse**, al. *ipsipe*, pro *ipsi*. *q*) **Qui**, pro *quis*; *r*) imo **quips**, quo *quis*, & **ips**, pro *is*, legere est apud vetustissimos. *s*)

Mm 2 *Quisquam*

h) In Achille; apud FEST. h. v. *i*) Apud FESTVM h. v. *k*) Lib. 2. Vid. NONIVS c. 2. n. 868. *l*) Trinum. A. 2. S. 2. v. 42. *m*) Curc. A. 1. S. 3. v. 14. Idem Captiu. arg. v. 7. & alibi. *n*) Andr. A. 3. S. 2. v. 47. *o*) Andr. A. 3. S. 3. v. 44. *p*) PLAVT. Cistel. A. 2. S. 3. v. 58. *q*) FESTVS h. v. *r*) TERENT. Phorm. A. 5. S. 8. v. 1. *s*) Vid. Dissertatio nostra de pueritia Latinae linguae, c. 3. §. 8. alibi.

Quisquam genere feminino, posuit TERENTIVS. *t)* *Cuiatis* pro *cuius*, nominandi casu, ENNIVS:

Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis,
Quisquis erit, cuiatis erit.

Et PLAVTVS: *v)*

Rogant cuiatis sit, quid ei nomen siet.

Ab oloes dicebant, pro *ab illis.* *x)* *Em* & *Im*, pro *eum.* *y)* *Emem* pro *eundem.* *z)* *Hic, haec, istaec*, & similia, pro *hi, hae, istae.* Exempla vide apud POPMAM. *a)* Quibus subiicimus haec PLAVTI: *b)*

- - - *periere haec oppido aedes;*

Et TERENTII: *c)*

- - *continuo haec adornant, vt lauet.*

Hisce pro *hi*, nominandi casu pluralis numeri. PLAVTVS: *d)*

Hisce hami atque hae harundines sunt nobis quaestu & cultu.

Rursum: *e)*

Non hercle hisce homines me marem, sed feminam
Vicini rentur esse serui Militis.

TERENTIVS: *f)*

- - *Hisce hoc munere arbitrantur*
Suam Thaidem esse. - -

Quo-

t) Eunuch. A. 2. S. 3. v. 82. & A. 4. S. 4. v. 11. *v)* Menaechm. A. 2. S. 2. v. 66. Confer. IANI DOVSAE Plautin. Expl. lib. 3. c. 5. *x)* FESTVS, siue PAVLVS eius epitomator, in h. v. & *ollic* *y)* FESTVS his vocibus. *z)* FESTVS ibid. *a)* De vsu antiq. locut. lib. 1. c. 10. *b)* Mostell. 1. 3. 9. *c)* Eunuch. A. 3. S. 5. v. 34. *d)* Rudent. A. 2. S. 1. v. 5. *e)* Milit. glor. A. 2. S. 6. v. 6. *f)* Eunuch. A. 2. S. 2. v. 38. vbi quidem, quod scio, *hice* vulgo legitur.

Quoiusmodi pro *eiusmodi. g)* *Vopte*, pro *vos ipsi*, CATO *h)* posuit, & *Mihipte*, pro *mihi ipsi. i)* Sed *Me* antiqui vulgo dicere solebant, pro *mihi*. Ita ENNIVS: *k) Si quid me fuerit humanitus, vt teneatis.* LVCILIVS: *l) Nunc ad te redeo, vt quae res me impendet, agatur.* Ipse TERENT. *m)*

- - *Nimis me indulgeo.*

Sum, pro *suum*, vel *eum*, vsus est ENNIVS: *n) At tu non vt sum summam seruare decet rem.* Et alibi: *o) At sese sum quae dederat in luminis oras.* *Sam*, pro *suam*. Idem: *Nec quisquam philosophiam in somnis vidit prius, quam sam discere coepit.* *Sapsam*, pro *ipsam*. ENNIVS: *p) Quo res sapsa loco sese ostendatque iubetque.* Et PACVVIVS: *q) Nam Teucrum Regi sapsa res restibiliet.* *Sas*, pro *suas*. ENNIVS: *r) Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.* *Sos*, pro *suos*. Idem: *s) constitit inde loci propter sos Dea Dearum.* Denique *Sis* pro *suis*. Idem: *t) Postquam lumina sis oculis.* *Ibus*, casu dandi, pro *iis*. PLAVTVS: *v)*

Et in ibus emit olim amissum filium.

Quicum, ablatiuo casu. PLAVTVS: *x)*

Quicum haec mulier loquitur?

Pari modo *ab aliqui*. Idem: *y)*

 Verum

g) PLAVTVS Pseud. A. 2. S. 4. v. 51. h) Apud FESTVM h. v. i) Ibid. k) Apud FESTVM in v. *me*. l) Ibid. m) Eunuch. A. 2 S. 1. v. 16. Et ita in locis quampluribus aliis. n) Annal. lib. 1. apud FESTVM in voc. *sum*. o) Lib. 2. ibid. p) Lib. 16. apud FESTVM in voc. *Sas*. q) In Teucro. ibid. r) Lib. 1. apud FESTVM h. v. s) Apud eundem h. v. t) Ibidem. v) Captiu. argum. v. 5. x) Menaechm. A. 2. S. 3. v. 18. y) Epidic. A. 3. S. 1. v. 11.

Verum aliquid, aliqua aliquo modo
Aliunde, ab aliqui, aliqua tibi ſpes eſt fore mecum fortunam.

§. XV.

B. *Verbum* attendere velis, eiuſdemque 1. *ſignificationem*, vt in nomine, videbis rurſum (α) oppido multorum vſu nunc antiquatam & *obſoletam* eſſe. Ex innumeris, pro inſtituti ratione, afferemus pauca. *Abiugare* huius aeui ſcriptoribus fuit *ſeparare, alienare.* PACVVIVS: z) *Quae res te ab ſtabulis abiugat, certum eſt loqui.* *Abſumedo*, PLAVTVS, a) in paronomaſia leporem quaerens, verbum confinxit, pro *abſumo*, non multum ab *ſumine* diſcrepans. *Sumen* autem contendunt quaſi *ſugimen* dici, quod proprie in ſuibus eſt, ſuilla vbera continens. b) *Adnictare* poſuerunt pro ſaepe & leuiter oculo annuere. NAEVIVS: c) *Alii adnictat, alium amat, alium tenet.* *Aduerruncare*, d) pro *auertere*. *Alludiare* dicuntur heri canibus ſuis, cum eis alludunt, vel cum eos demulcent. PLAVTVS: e)

Etiam me meae latrant canes? AG. *At tu hercle alludiato.*

Idem f) de muliere inquit, alludiabo, pro *adludam*, vel *adblandiar* illi; ita:

Quando adbibero, alludiabo: tum ſum ridiculiſſimus.

Amba-

z) Medo, apud NONIVM cap. 2. n. 37. a) Captiu. A. 4. S. 3. v. 4. b) Vid. TAVBMANNVS in notis ad cit. loc. p. m. 248. c) In Tarentilla, apud FESTVM h.v. d) LVCILIVS, PACVVIVS, alii apud NONIVM c. 2. n. 49. e) Poenul. A. 3. S. 4. v. 64. f) Stich. A. 2. S. 3. v. 58.

Ambadedere g) est *arrodere* circumquaque. *Apisci*, *adipisci*. h) **Betere**, *ire*. PLAVTVS: i) *Vos betite, defensum patriam, in pugnam.* **Caecultare** est caecis proximum esse. Ita PLAVTVS: *Numnam mihi oculi caecultant?* k) **Caluier**, l) *Calui*, antiquum verbum est, idem valens, quod *frustro* seu frustra habeo & decipio. m) **Caperare**, est rugis frontem contrahere & asperare; tractum a caprorum frontibus crispis. n) PLAVTVS: o)

Quid istud est, quod illi caperat frons seueritudine?

Hinc *frons caperata* dicitur, pro seuera & tristi. **Caussificor**; dicebant veteres, pro *recuso*. PLAVTVS: p) *haud caussificor*; i. e. non recuso; ὀ προφασίζομαι. **Cette**, pro *dicite*, vel *date*; ab eo quod cedo. NAEVIVS: q) *Pro industria ne te regem prognatum patrem Lycurgum cette.* ENNIVS: r) *Saluete optima corpora, cette manus vestras, measque accipite.* PLAVT. s)

Vxor tibi placida & placata 'st. Cette dextras nunc iam.

Cicurare est *mansuefacere*. PACVVIUS: t) *Nulla res neque cicurare, neque mederi potis est, neque reficere. Incicorem* hinc *immansuetum* & *ferum* dixit idem: *Reprime incicorem iracundiam*: vt ex aduerso *Consilium cicur*; vbi *cicur* pro *sapiente* ponitur. v) **Collabascere**, x) niedersincken v. am Leib abnehmen.

Collutu-

---

g) PLAVTVS Merc. A. 2. S. 1. v. 14-17. h) LVCIL. apud NON. c. 2. n. 50. i) Nypteris, apud NON. c. 2. p. 73. k) FESTVS h. v. l) TERENT. Eunuch. A. 1. S. 2. v. 84. m) PRISCIAN. l. 10. NON. c. 1. n. 20. CAIVS in l. 233. D. de veib. signif. n) NONIVS c. 1. n. 27. o) Epid. A. 5. S. 1. v. 3. p) Aul. A. 4. S. 10. v. 25. q) Lycurgo, apud NONIVM c. 2 n. 122. r) Medea, ibid. s) Merc. A. 5. S. 4. v. 4. t) Apud VARRONEM de Latina lingua l. 6. c. 5. v) Vid. FESTVS in v. *incicorem.* x) PLAVTVS Stich. A. 4. S. 1. v. 17.

Collutulare, *dedecorare*, & quaſi luto inquinare. *y*) PLAVTVS: *z*)

Te honeſtet, me autem collutulet.

Compotire, *a*) *compotem facere.* *Concenturiare*, *colligere*, dictum a centuriis, quae ad ſuffragia conueniebant. PLAVTVS: *b*)

Nam epiſtola illa mihi concenturiat metum
In corde. - -

Concipilare dixerunt, pro *compilare*, quemadmodum *reciperare*, pro *reparare*, *incitegere*, pro *integere*, & ſimilia. At FESTVS: *c*) *Concipilaſti dictum a Naeuio, pro corripuiſti & inuolaſti.* Imo PLAVTVS: *d*)

- - *Etiam ſcelus viri minitare, quem ego*
Offatim iamiam concipilabo. - -

Connaſare *e*) eſt in ſacrinulam ad aſportandum compilare, ſeu colligere, praeſertim in fuga. *Coruitare* eſt circumſpicere. Vnde FESTVS *Corbitores*, more ſcribendi antiquo, B & V literis commutatis, *ſaltatores* vel *cernuatores* vocat, propter geſtus eorum, quod modo ſurſum, modo deorſum ſpectent; ſicut corui, & cornices, & monedulae ſolent. Ita PLAVTVS: *f*)

Noui ego illas ambas eſtrices: coruitant, vbi
Comeſſe poſſunt. - -

Vbi quidem, quod ſcio, & ſuperius probaui, *corbitant* alii legere malunt, a *corbita*, quaſi explent ita ſe cibo, ac ſi corbitam

y) Vid. NONIVS c. 2. n. 120. *z*) Trinumm. A. 3. S. 2. v. 67. *a*) PLAVTVS Rudent. A. 4. S. 2. v. 6. *b*) Trinumm. A. 4. S. 2. v. 160. *c*) In hac voce. *d*) Trucul. A. 2. S. 7. v. 61. *e*) TERENTIVS Phorm. A. 1. S. 4. v. 13. *f*) Caſin. A. 4. S. 1, v. 20.

tam aliquam onerent; alii *corbitam*, quam comesse potuerint.

Deartuare est quasi per artus concidere, vel in articulos dissecare. PLAVTVS: g)

Delaceravisti deartuauistique opes.

Hinc *deartuatus*, per artus discissus. h) Rursum PLAVTVS: i)

- - *deartuatus sum miser.*

Deiuuare pro *non iuuare* valebat. Idem: k)

Deserere illum, & deiuuare in rebus aduersis pudet.

Delicare, pro *explanare*, vel *indicare*. ACCIVS: l) *Quare alia ex crimine inimicorum effugere possis delica.* *Depuuere*, pro *caedere*. LVCILIVS: m)

- - *palmisque misellam*

Depuuit me. - -

i. e. verberauit me. *Dispennere*, pro *expandere*, tractum a pennis & volatu auium. PLAVTVS: n)

- - *Distendite hominem diuorsum, & dispennite.*

Eleuit, pro *maculauit*. LVCILIVS: o)

Si hic vestimenta eleuit luto. - -

Elinguare est *linguam abscindere*. PLAVTVS: p)

Si hercle ego te non elinguandam dedero vsque ab radicibus.

Esitare, *comedere*. PLAVTVS: q)

Catulinam carnem esitauisse Romanos.

 Exasci-

g) Captiu. A. 3. S. 5. v. 14. confer. NONIVS c. 2. n. 205. h) NONIVS c. 1. n 314. i) l. c. Scena 4. v. 108. k) Trinumm. A. 2. S. 2. v. 63. l) Achille, apud NONIVM c. 2. n. 225. m) Apud FESTVM h. v. n) Milit. glor. A. 5. v. 14. Conf. NONIVS c. 1. n. 30. o) Satyr. lib. 6. apud NONIVM cap. 2. n. 273. p) Aulul. A. 2. S. 2. v. 72. q) Apud FESTVM in v. *Catulina*.

Exaſciare eſt aſcia vel ſecuri parare & polire. Ita lex in XII. tabulis: *Rocom aſciad nei poleitod*; & vulgaris locutio, *ſub aſcia dedicare*. Sed improprie dicitur pro *perficere* & *abſoluere*, apud PLAVTVM: *r)*

Iam hoc opus eſt exaſciatum. - -

Exdorſuare, NONIO *s)* *dorſo nudare*; FESTO *t)* *dorſum confringere*, vel *eximere*: verbum antiquatum PLAVTVS *v)* vſurpauit hoc modo:

- - *Muraenam exdorſua, quantum potes.*

Friguttire eſt geſtu corporis cupiditatem animi declarare. PLAVTVS: *x)*

- - *Tu nam quid friguttis? quid iſtuc tam cupide cupis?*

Fuo dicebat pro *ſum*, vnde *fuat*, *y)* *fuant*, *z)* & id genus alia flectuntur. ***Gnarigare***, pro *narrare*; vnde *gnarigauit*, narrauit, & *gnaruiſſe*, narraſſe, LIVIVS *a)* dixit. ***Imbito***, pro *ineo*. PLAVTVS: *b)*

Meam domum ne imbitas. - -

i. e. ne ineas. Sic *combito* coeo, vel conuenio, *praebito*, praeuenio, *rebito*, redeo, *perbito*, pereo, & id genus alia leguntur, a ſimplici verbo *betere* compoſita. Veteres enim *baetere*, *betere*, & *bitire*, dicebant. Hinc *bitienſes*, qui aſſidue peregrinantur. ***Incomitiare*** ſignificat tale conuicium facere, pro quo in comitium h. e. in conuentum venire neceſſe ſit. *c)* Ita PLAVT. *d)*

ne me

---

r) Aſinar. A. 2. S. 2. v 93. *s)* Cap. 1. n. 61. *t)* In h. v. *v)* Aulul. A. 2. S. 9. v. 2. *x)* Caſin. A. 2. S. 3. v. 49. *y)* TERENTIVS Hecyr. A. 4. S. 3. v. 4. *z)* PLAVTVS Epidic. A. 5. S. 1. v. 13. *a)* Vid. FESTVS h. v. *b)* Epidic. A. 1. S. 2. Vid. idem Captiu. A. 3. S. 5. v. 32. Pſeudol. A 3. S. 1. v. 12. Confer. FESTVS in v. *perbitere*, & NONIVS c. 2. n. 654. *c)* FESTVS h. v. *d)* Curcul. A. 3. v. 30.

- - *ne me incomities,*

Inconciliare, *e*) *irritare*, & inimicos reddere. ***Inforare***, *f*) ad analogiam vocis *incomitiare* confictum, pro eo, quod est, causae experiundae gratia in ius vocare, siue in forum ad iudicis tribunal trahere. ***Lamberare*** est *scindere* & *laniare*. *g*) PLAVTVS: *h*)

- - *me meo ludo lamberas.*

Vbi seruus verberari se suo ludo dicit. ***Lapire*** significat *obdurefacere*, & lapidem quasi parare. PACVVIVS: *i*) *Lapit cor cura, aerumna corpus conficit.* ***Lurcare***, cum auiditate cibum sumere. LVCILIVS: *k*)

Vt lurcaretur lardum, & carnaria furtim
Parum conficeret.

Inde *lurcones*, qui anxie omnia in ventrem ingerunt. Idem: *l*)

Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

Mutire pro *loqui* posuere. ENNIVS: *m*)

Palam mutire plebeo piaculum est.

Noscitare, pro *explorare*, siue noscere conari. PLAVTVS: *n*)

Loca contemplat, circumspectat sese, atque aedis noscitat.

Obscaeuare, quasi scaeuum, i. e. malum omen afferre. *o*) PLAVTVS: *p*)

e) PLAVTVS Bacchid. A. 3. S. 6. v. 22. Mostell. A. 3. S. 1. v. 85. Pers. A. 5. S. 2. v. 53. Trinum. A. 1. S. 2. v. 99. Confer. FESTVS in h. v. *f*) PLAVTVS Curcul. A. 3. v. 31. *g*) FESTVS h. v. *h*) Pseud. 2. 4. 53. *i*) Apud NONIVM cap. 1. n. 87. *k*) Apud NONIVM c. 1. n. 34. *l*) Ibidem. Confer. SIGONIVS de nominibus Romanorum, apud Gothofredum, inter auctores Latinae linguae p. 1432. *m*) In Telepho, apud FEST. h. v. *n*) Trinum. A. 4. S. 2. v. 21. *o*) NONIVS c. 2. n. 595. *p*) Asin. A. 2. S. 1. v. vlt.

Metuo, quod illic q) obſcaeuauit meae falſae fallaciae.
Et vſitata formula eſt infauſta deprecantium, *nolo obſcaeues*, i. e. nolo te verba ominoſa & infelicia proferre. Ita comicus noſter: *r*)

Ohe, iam ſatis; nolo obſcaeues: catuli vt ludunt nunc volo.

Obſcaeni interpres, funeſtique ominis auctor, vna eademque ſignificatione venit apud VARRONEM, *s*) qui *obſcaenum* arbitratur fuiſſe dictum ab *ſcaena*, quod, niſi in ſcaena, palam dici non debeat. Hinc *obſcaenae volucres*, *t*) SERVIO auctore, ſunt, quae aduerſa canendo ſignificant. *v*) Quo ſpectant etiam verba ARNOBII: *x*) *Nec aduerſus ſpes bonas mali ominis obſcaenitate traducor.* **Obſipare** *y*) *aſpergere* ſignificat. FESTVS *z*) *ſipat* iacit interpretatur, *inſipare*, iniicere, vnde *diſſipare*, diſiicere. **Obſorduit**, pro obſoleuit, CAECILIVS *a*) habet in his: *Obſorduit iam haec in me aerumna miſeria.* **Occentare** dicebant veteres, pro *conuicium facere*, cum id clare & cum quodam clamore fieret, vt procul exaudiri potuiſſet: quod turpe habebatur. &c. *b*) Inde lex in XII. Tab. *Sei quei pipulod ocentaſit*, &c. *c*) PLAVTVS: *d*)

Contem-

---

q) *Illic* antiq. pro *ille*. *r*) Stich. A. 5. S. 4. v. 52. Vbi quidem, quod ſcio, alii legunt *nolo obcaedes*; i. e. nolo hic quicquam tragicum & cruentum. quodque caedes imitetur. Ludum malo catellorum, qui inter ſe laſciue luſitant. Vid. TAVBMANNVS ad l. c. *s*) De lingua Latina lib. 6. c. 5. *t*) Apud VIRGILIVM Aeneid. lib. 3. & 12. *v*) Alias *obſcaeni* ſignificationes vide apud NONIVM cap. 4. n. 330. *x*) Lib. 1. *y*) PLAVTVS Ciſtell. A. 2. S. 3. v. 37. *z*) In voc. *inſipare*. *a*) Apud NONIVM c. 2. n. 604. *b*) Vid. FESTVS in h. v. *c*) Vid. Diſſert. noſtra de pueritia LL. cap. 4. §. 10. *d*) Mercat. A. 2. S. 3. v. 56.

Contemplent, conſpiciant omnes, nutent, nictent, ſibilent,
Vellicent, vocent, moleſti ſint, occentent oſtium.
Impleantur meae fores elogiorum carbonibus.

Paritare, e) pro *parare*. *Praeſtinare*, pro *emere*, & emendo tenere. PLAVTVS: f)

Vt enim praeſtines argento, priusquam veniat filius,
Atque ita eum te in libertatem dicas emere.

Sic quoque *deſtinare*. Idem: g)

- - *Eas quanti deſtinat?*

Protollere, pro *differre*. LVCILIVS: h)

Si non amplius ad luſtrum hoc protolleret vnum.

Quiritare, pro *clamare*, tractum ab iis, qui fidem Quiritium, ſeu populi Romani, clamantes implorare ſolebant. i) LVCILIVS: k)

Hic, inquam, rudet e roſtris atque eiulitabit,
Concurſans vti arenarius, clareque quiritans.

Redhoſtire, pro *gratiam referre*, & *hoſtire*, pro *aequare*, poſuerunt. NAEVIVS: l) *Comitem ſenem ſapientem contra redhoſtis Menalus*. PACVVIVS: m) *Niſi coerceo proteruitates, atque hoſtio ferociam*. *Regieſcere* apud PLAVTVM *creſcere* ſignificat. n) *Repedare*, *recedere*, ſeu pede iterare. PACVVIVS: o)

Paulum repeda, gnate, a veſtibulo gradum.

e) PLAVTVS Pſeudol. A. 1. S. 5. v. 71. f) Epidic. A. 2. S. 2. v. 92. Confer. FESTVS in h. v. g) Moſtell. A. 3. S. 1. v. 112. h) Satyr. lib. 1. apud NONIVM c. 2. n. 693. i) Vid. VARRO de lingua Latina lib. 5. c. 7. Confer. FESTVS in voc. *Quirites*. ISIDORVS Orig. l. 9. c. 2. k) Satyr. lib. 6. apud NONIVM c. 1. n. 78. l) In Lupo, apud FESTVM h. v. m) In Teucro, ib. n) Vid. FEST. in v. *regieſcit*. o) Apud FEST. in h. v.

LVCILIVS: *p)*

Sanctum ego a Metello Romam repedabam munere.

Sardare, *intelligere*. NAEVIVS: *q) Quod Bruti nec satis sardare queunt.* *Siciliciſſare*, Sicule loqui, vt *Atticiſſare*, Attice loqui, *Graeciſſare*, Graece loqui. *r)* PLAVTVS: *s)*

Atque adeo hoc argumentum Graeciſſat, tamen
Non Atticiſſat, verum Siciliciſſitat.

Succuſſare eſt ſurſum frequenter excutere. ACCIVS: *t) Agite, ac vulnus ne ſuccuſſet greſſus, caute ingredimini.* LVCILIVS: *v) Succuſſatoris tetri, tardique caballi.* *Vruat* apud ENNIVM ſignificat *circumdat. x)* *Veruncent*, *vertant*. PACVVIVS: *y) Dei monuerint meliora, atque amentiam averruncaſſent tuam.* *Vitulari*, *exultare*, *laetari*, quod a *vitulo* VARRO *z)* & FESTVS *a)* deriuant; NONIVS *b)* a *vita*, quae interdum laetitiam lubentiamque deſignat. Conſentientes hic TAVBMANNVM, *c)* illi ſummum SCALIGERVM *d)* habent. Quoquo modo autem ſe res habet, ENNIVS: *e)*

Habet is coronam vitulans victoria.

NAEVIVS: *f)*

Vt in venatu vitulantes ex ſuis locis nos mittant &c.

PLAVTVS: *g)*

Opes, ſpes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor.

Vbi

---

p) Apud NONIVM c. 2. n. 738. *q)* Apud FESTVM h. v. *r)* Idem h. v. *s)* Menaechm. Prolog. v. 11. 12. *t)* Philoctera, apud NONIVM cap. 1. n. 55. *v)* Satyr. lib. 4. Ibid. *x)* Vid. FESTVS h. v. *y)* Apud FESTVM h. v. Conf. VARRO de LL. lib. 6. c. 5. *z)* De lingua Latina lib. 6. cap. 6. *a)* In voc. *vitulans*. *b)* Cap. 1. n. 47. *c)* In ſuo ad Plautum comment. *d)* in Feſti caſtig. *e)* Apud FESTVM l. c. *f)* Apud NONIVM l. c. *g)* Perſ. A. 2. S. 3. v. 2.

Vbi nota *lubens merito*, quae verba in multis inſcriptionibus leguntur, ſolemnem fuiſſe antiquitus formulam in precibus, gratiarum actionibus, ſuppliciis Deorum. &c. Sed vereor, ne plus ſatis cumulare auctorum exempla eorundemque vocabula iamdudum obſoleta coaceruare viderer.

§. XVI.

(β) *Variat* in aliis ſignificatio, quam poſuere veteres, a communi loquendi uſu; quod ex ſequentibus patet. Ita legimus verba vſurpata fuiſſe, ***Abiugare,*** *h*) pro *ſeparare*, & *alienare*. ***Adiugare***, *i*) pro *adiungere*. ***Affectare***, *k*) pro *afficere*. ***Amittere***, pro *dimittere*. Terentius: *l*) *Abs te amittas filium*; i. e. dimittas. *Corporare*, *m*) pro *interficere*, & quaſi corpus ſolum ſine anima relinquere. *Decollare* ſignificat non ſolum τραχηλοκοπεῖν, ac ceruicibus abſcindere caput; verum etiam *deficere*, atque *fallere*, *perire*, *deeſſe*, &c. Solebant enim veteres de collo ſibi crumenam ſuſpendere, quae *decollare* dicebatur, cum in collo nuſquam erat: vt adeo verbum iſtud proprie valeat de marſupio, quod collo abeſt atque perit. *n*) Id vocis Nonius *o*) expoſuit etiam, *collo deponere*. *Graſſari*, quod aut animi, aut crudelitatis eſt, *p*) antiqui nunc poſuere pro *adulari*, *q*) nunc pro *incedere* &

---

h) Vid. Naevius apud Nonium c. 2. n. 37. *i*) Pacuvius ibid. c. 2. n. 55. *k*) Plautus apud eundem c. 2. n. 54. *l*) Heaut. A. 3. S. 1. v. 71. *m*) Ennius & Accius apud Nonium c. 1. n. 73. *n*) Vid. Plautus Aſin. A. 3. S. 3. Epid. A. 3. S. 2. Trucul. A. 3. S. 1. v. 7. *o*) Cap. 2. n. 222. Addatur Plautus Captiu. A. 3. S. 1. v. 37. Caſin. A. 2. S. 4. v. 28. *p*) Agraetius apud Gothofredum inter auctores Latinae linguae. p. 1351. *q*) Festus h. v.

& *ambulare*; *r*) quanquam incedere hoc nobilium perſonarum eſſe, SERVIVS velit, vnde SALLVSTIVS: *ad gloriam virtutis graſſari.* Atqui etiam ſignificat hoc verbum, *ſupra modum ſaeuire.* *s*) ***Innubere***, pro *tranſire*, quod illae, quae nubunt, ad domos maritorum ſuorum tranſeunt. LVCIL. *t*)

Suam enim inuadere atque innubere cenſent.

Inuitare, pro *repleri.* *v*) ***Latrare***, pro *poſcere*, ENNIVS poſuit. *x*) ***Latrocinari*** pro *militare* valebat. PLAVTVS: *y*)

An quia latrocinamini, arbitramini
Quiduis licere facere vobis?

i. e. an putatis, licere vobis facere omnia, quia homines militares eſtis? Inde *latrones*, qui mercede conducti militabant. *z*) VARRO *a*) docet latrones dictos a *latere*, qui circum latera habebant ferrum; vel a mercede, quae dicitur Graece λάτρον καὶ σάτρον; vel quod *latent* ad inſidias faciendas. ***Minuere***, *b*) pro *mutare.* ***Muſſitare***, *c*) quod proprie eſt diſſimulandi cauſa tacere, pro *pati*, cum ſilentio conſiderare, tacite ferre, & quaſi vocem abſorbere. ***Promittere***, *d*) pro *minari.* ***Redhibere***, pro *recuſare* & *reddere.* PLAVTVS: *e*)

- - *Si male emtae*

Forent,

r) Idem l. c. NONIVS cap. 4. n. 219. Exempla vide apud PLAVTVM Rudent. A. 1. S. 4. v. 19. 31. Bacchid. A. 5. S. 2. v 19. Poenul. A. 3. S. 1. v. 11. *s*) Vid. NONIVS c. 4. n. 219. *t*) Satyr. lib. 6. apud NON. c. 2. n. 431. *v*) Exempla vide ſis apud NONIVM c. 4. n. 232. *x*) Auctore FESTO h. v. *y*) Milit. glor. A. 2. S. 6. v. 19. Confer. Eiusdem Poenul. A. 3. S. 3. v. 90. & Trinumm. A. 2. S. 4. v. antepenult. Et NONIVS cap. 2. n. 508. *z*) Vid. FESTVS h. v. *a*) De lingua Latina lib. 6. c. 3. Confer. ISIDORVS Orig. lib. 10. in voc. *latro.* *b*) TERENT. Andr. A. 2. S. 3. v. 18. Hec. A. 4. S. 3. v. 10. *c*) Idem Adelph. A. 2. S. 1. v. 53. *d*) Idem Heaut. A. 4. S. 3. v. 7. *e*) Moſtell. A. 3. S. 2. v. 113.

Forent, nobis istas redhibere haud liceret.

Vnde *Redhibitum* id proprie dicitur, quod redditum est improbatumque ei, qui dedit, itemque rursum coactus habere id, quod ante habuit. *f*) *Resecrare* *g*) est iuris iurandi religione soluere, & quasi reobsecrare. *Sperare* *h*) pro *timere*. *Succenturiari* *i*) pro *reponi*.

§. XVII.

(γ) Ab Graecis mutuantur non pauca; verbi gratia, *Abligurire* *k*) suauibus escis consumere, ἀπὸ τῦ λιγυρῦ: λιγυρὸν Graeci *suaue* appellant. *Badizare*, *l*) incedere, Gr. βαδίζειν. *Carere* lanam, *m*) ἀπὸ τῦ κείρειν; idem est ac tondere, vel purgare. *Clepere*, ἀπὸ τῦ κλέπτειν, furari. PACVVIVS: *n*) *Ex occulto sermonem clepere*. i. e. suffurari. Hinc *cleptae* *o*) fures dicuntur. *Harpagare*, a Graec. ἁρπάζειν, rapere; ἅρπαξ, rapax. *Imbulbitare* est puerili stercore inquinare, dictum ex fimo, quem Graeci βόλβιτον appellant. LVCILIVS: *p*)

Haec te imbubinat, & contra te imbulbitat ille.

Bubinare est menstruo mulierum sanguine inquinare. Graecorum infantibus πάππα, idem quod nostris hodie. Vnde παππάζειν, apud Homerum vox infantilis, pro *patrem vocare*. Hinc *papae* & *papillae* antiquitus, Festo auctore, dicebantur capitula mammarum. Deriuandum adeoque, vt a ruma, *ru-*

f) FESTVS h. v. *g*) PLAVTVS Aul. A. 4. S. 7. v. 4. *h*) TERENTIVS Andr. A. 2. S. 3. v. 21. *i*) Idem Phorm. A. 1. S. 4. v. 53. *k*) TERENT. Eunuch. A. 2. S. 2. v. 4. *l*) PLAVTVS Asin. A. 2. S. 3. v. 116. *m*) Idem Menaechm. A. 5. S. 2. v. 46. *n*) Apud NON. cap. 1. n. 72. PLAVTVS Pseud. A. 1. S. 2. v. 6. *o*) Idem Trucul. A. 1. S. 2. v. 9. *p*) Apud FESTVM in voc. *bubinare*.

mare, a papa, *papare* ſeu *pappare*, quod eſt ſugere, & aliquando praemanſos delicatosque cibos comedere. Quo ſenſu PERSIVS: *q*)

Et ſimilis Regum pueris pappare minutum
Poſcis, & iratus mammae lallare recuſas.

Pro *edere* PLAVTVS *r*) abſolute poſuit *pappare* in his:

Nouo liberto opus eſt, quod pappet.

Patriſſare, *s*) Graec. πατριάζειν, eſt patris mores referre. *Propinare*, *t*) a Graec. προπίνειν, poſt potum tradere. *Protelare* *v*) eſt protrahere, exagitare, ſeu longe propellere; a πρὸ καὶ ἑλεῖν, quod eſt, *ante* & *trahere*; vel a τῆλε *longe*; alii ab aſſiduo telorum iactu verbum iſtud deriuare conantur. &c. &c.

§. XVIII.

2. *Terminationes*, extremitatesve verborum, variae admodum & ancipites occurrunt. Quod infinitis exemplis demonſtrare poſſemus; quae nunc breuitatis cauſa omitto, B. L. ablegans ad NONII MARCELLI, induſtrii Grammatici, vel AVSONII POPMAE V. C. opera. *x*) Interim nec taedet, quaedam, copiae cauſa, nude appoſuiſſe [*a*] *deponentia*, ab veteribus active uſurpata. Ita *Abomino* pro *abominor*. PLAVT. *y*)

Etiam ob ſtultitiam tuam te tueris? multam abomina.

Caetera NONIVS, ſuis quaeque teſtimoniis, illuſtrat: *Arbitrare* pro *arbitrari*, *z*) *Aucupare* pro *aucupari*, *a*) *Auſpicare*, *b*) Co-

q) Satyr. 3. Vid. etiam NONIVS cap. 2. n. 97. *r*) Epidic. A. 5. S. 2. v 62. *s*) TERENTIVS Adelph. A. 4. S. 2. v. 25. *t*) ENNIVS & TERENTIVS apud NONIVM cap. 1. n. 140. *v*) TERENTIVS Phorm. A. 1. S. 4. v. 36. *x*) Vid. huius lib. 1. de vſu antiq. locut. cap. 11. *y*) Trinumm. A. 3. S. 2. v. 82. *z*) NONIVS c. 7. n. 23. *a*) n. 1.

b) *Cohortare*, *c*) *Congredere*, *d*) *Consolare*, *e*) *Contemplare*, *f*) *Cunctare*, *g*) *Dignare*, *h*) *Eluctare*, *i*) *Expergiscere*, *k*) *Frustrare*, *l*) *Imitare*, *m*) *Impertire*, *n*) *Laetare*, *o*) *Luctare*, *p*) *Merere*, *q*) *Mirare*, *r*) *Multare*, *s*) *Ominare*, *t*) *Opinare*, *v*) *Paciscere*, *x*) *Percontare*, *y*) *Pollicere*, *z*) *Proficiscere*, *a*) *Recordare*, *b*) *Refragare*, *c*) *Scrutare*, *d*) *Sortire*, *e*) *Vagare*. *f*) Sexcenta alia. [β] Viciſſim non pauca, quae vt plurimum nunc terminationem agendi habent, in patiendi extremitatem deſinebant, ac inſtar deponentium, quae vocant, verborum erant. Ita *Adiutari*, *g*) *Bellari*, *h*) *Certari*, *i*) *Conſecrari*, *k*) *Copulari*, *l*) *Emungi*, *m*) *Expalpari*, *n*) *Manducari*, *o*) *Murmurari*, *p*) *Nutriri*, *q*) *Palpari*, *r*) *Pignerari*, *s*) *Puniri*, *t*) *Sacrificari*, *v*) *Spoliari*. *x*) &c. [γ] Rurſus alia aliam, atque nunc, habuere terminationem, vel ipſam ſui eſſentiam mutarunt. Et

Oo 2

---

b) n. 5. *c*) n. 35. *d*) n. 42. *e*) n. 50. *f*) n. 11. *g*) n. 9. *h*) Cap. 2. n. 227. & cap. 7. n. 17. *i*) Cap. 7. n. 6. *k*) n. 40. *l*) n 44. *m*) n. 46. *n*) n. 34. *o*) Cap. 2. n. 494. *p*) Cap. 7. n. 31. *q*) n. 4. *r*) n. 56. *s*) Terentivs Eunuch. A. 4. S. 7. v. 4. Adelph. A. 1. S. 2. v. 10. *t*) Nonivs cap. 7. n. 53. *v*) n. 59. *x*) n. 54. *y*) n. 52. *z*) n. 25. *a*) n. 21. *b*) n. 65. *c*) n. 3. *d*) n. 6. *e*) n. 22. *f*) n. 2. *g*) Nonivs cap. 7. n. 83. *h*) n. 32. *i*) n. 43. *k*) n. 92. *l*) n. 72. *m*) n. 111. *n*) n. 74. *o*) n. 79. *p*) n. 85. *q*) n. 87. *r*) n. 3. *s*) n. 84. *t*) n. 97. *v*) n. 98. *x*) n. 100. Confer. A. Gellivs lib. 18. cap. 12.

Et huius generis fubiiciemus pauca, fed quae fufficiunt, mira vocum & in ipfis extremitatibus fata ad oculos demonftrandum. Ita *Accepſo* pro *accipio* valebat. PACVVIVS: *y*) *Haud finam quicquam profari, priusquam accepſo, quod peto.* *Augificare* *z*) pro *Augere.* *Blatire* pro *blaterare*, i. e. confingere, aut incondite, inaniter, ftulte & percupide loqui. *a*) PLAVTVS: *b*)

Quippe tu mihi aliquid, aliquo modo, alicunde ab aliquibus blatis.

Et alibi: *c*)

- - *Ita nugas blatis.*

Confieri *d*) pro *perfici.* *Congrueo* *e*) pro *congruo.* Pari modo *claudeo* pro *claudo* legimus dictum a veteribus: fed & *viueo* pro *viuo*, & *diceo* pro *dico*, ex NONIO conftat aliquando vfitata fuiffe. *Defetiſcar* *f*) pro *defatigabor.* *Duo* pro *do*; hinc *duis* pro *das*, *g*) *duint* pro *dant.* *h*) Sic *creduis* pro *credis*, *i*) & *creduas* pro *credas.* *k*) *Perduis* pro *perdas.* *l*) *Perduit* *perdat*, *m*) *Perduint* *perdant*, *n*) & id genus alia. *Fruiſci* pro *frui.* LVCILIVS: *o*)

Aeque

y) Teucro, apud NONIVM c. 2. n. 51. *z*) ENNIVS apud NON. c. 2. n. 61. *a*) Vid. FESTVS in voc. *Blaterare.* *b*) Epid. A. 3. S. 1. v. 13. *c*) Amphitr. A. 2. S. 1. v. 79. *d*) TERENT. Adelph. A. 5. S. 8. v. 23. *e*) Idem Heaut. A. 3. S. 1. v. 91. *f*) Idem Phorm. A. 4. S. 1. v. 23. *g*) FESTVS h. v. PLAVT. Aul. A. 2. S 2. v. 61. *h*) TERENT. Andr. A. 4. S. 1. v. 42. Phorm. A. 3. S. 2. v. 34. *i*) PLAVT. Captiu. A. 3. S. 4. v. 73. *k*) TERENT. Phorm. A. 5. S. 8. v. 4. *l*) PLAVTVS Amphitr. A. 2. S. 2. v. 215. *m*) Idem Epid. A. 1. S. 1. v. 64. *n*) Idem Cafin. A. 3. S. 5. v. 17. TERENT. Heaut. A. 5. S. 5. v. 7. Phorm. A. 1. S. 2. v. 73. Hec. A. 1. S. 2. v. 59. & A. 3. S. 4. v. 27. *o*) Satyr. l. 18. apud NONIVM c. 2. n. 343.

Aeque fruiscor ego, ac tu. Caelivs: *p) Domus suas quemque ire iubet & sua omnia fruisci.* Impercere pro *parcere.* Plavtvs: *q)*

- - *Amabo, integrae atque*
Imperitae huic impercito. - -

h. e. parcito virgini huic castae, ac venerei conflictus imperitae. *Latitauerunt* Cato *r)* posuit pro *saepe tulerunt.* *Magnificare* pro *magnifacere.* Lvcil.

Magnificare hos, his bene velle, his viuere amicum.

Plavtvs: *s)*

- - *Pudicitia est, pater,*
Eos magnificare, qui nos socias sumserunt sibi.

Terentivs: *t)*

Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum magnifacere.

Multifacere dicebant vt magnifacere & paruifacere. Cato: *v) Neque fidem, neque iusiurandum, neque pudicitiam multifacit.* Quod merito ab vsu recessit, quia quantitas numero non aestimatur, neque multitudinem desiderat. *Moriri x)* pro *mori*; & *emoriri y)* pro *emori.* *Scalpurire z)* pro *scalpere,* &c.

§. XIX.

3. *Coniugationum* ex dictis quoque varietas magna & inconstantia apparet. Confundere autem solebant primam &

p) Lib. 1. ibid. *q)* Casin. A. 4. S. 4. v. 12. *r)* Apud Festvm h. v. *s)* Stich. A. 1. S. 1. v. 44. Item Pseudol. A. 4. S. 1. v. 34. *t)* Hecyr. A. 2. S. 2 v. 18. *v)* Apud Festvm h. v. *x)* Plavtvs Captiu. A. 3. S. 5. v. 74. *y)* Terentivs Eunuch. A. 3. S. 1. v. 42. *z)* Plavtvs Aulul. A. 3. S. 4. v. 8.

& ſecundam, primam & quartam, ſecundam & tertiam &c. Exempla vide apud Avsonivm Popmam; *a)* quibus adde ***Lauit*** pro *lauat, b)* ***Sonit*** pro *ſonat, c)* ***Feruit*** pro *feruet, d)* ***Fulgit*** pro *fulget, e)* ***Cupiret*** pro *cuperet, f)* vt, breuitatis cauſa, innumera alia ſilentio tranſeam. In ipſis coniugationibus per ſingulos fere ordines formarum, vt cum Grammaticis loquar, modorum atque temporum, mira poteſt obſeruari verborum varietas, quibus nunc non licet diutius immorari. Sed quaedam perfunctorie notabimus. ***Auxiliatus*** paſſiue dixit Lvcilivs: *g)* *A me auxiliatus ſi eſt.* ***Caletur*** imperſonaliter Plavtvs. *h)* ***Eſtur*** pro *editur* Idem: *i)*

> ***Iam iſta quidem abſumta res erit: dies noctesque eſtur,***
> ***Bibitur, nec quisquam parſimoniam adhibet.***

Et ipſe Ovidivs: *k)*

> ***Eſtur, vt occulta vitiata teredine nauis.***

Facitur pro *fit. l)* ***Meditata*** paſſiue. *m)* ***Oſa ſum*** pro *odi.* Plavtvs: *n)*

> ***Inimicos ſemper oſa ſum obtuerier.***

Obtuerier contra intueri ſignificat. Neque dicere verebantur ***poteſtur*** pro *poteſt, o)* ***poſſetur*** pro *poſſet, p)* ***poteratur*** pro

a) De vſu antiq. locut. l. 1. c. 11. p. m. 43. ſeq. *b)* Apud Nonivm c. 10. n. 2. *c)* Ibid. n. 4. *d)* Ibid. n. 1. & 3. Terent. Adelph. A. 4. S. 1. v. 18. *e)* Nonivs l. c. n. 12. *f)* Ibid. n. 16. *g)* Satyr. incert. lib. fr. 121. *h)* Captiu. A. 1. S. 1. v. 12. *i)* Moſtell. A. 1. S. 3. v. 78. *k)* 1. de pont. 1. *l)* Apud Nonivm cap. 10. n. 19. *m)* Terentivs Phorm. A. 1. S. 5. v. 18. *n)* Amphitr. A. 3. S. 2. v. 19. *o)* Apud Nonivm c. 10. n. 34. *p)* Ibid. n. 33.

pro *poterat.* q) *Sciri* legimus apud TERENTIVM. r) Idem ab actiuo *queo* passiuum fecit *queor*, & *quita est* pro *potuit.* s) Tertiam pluralis in praesenti facile terminare faciebant in NVNT, vt *donunt* dicerent pro *dant*, t) *nequinont* pro *nequeunt*, *solinunt* pro *solent*, *ferinunt* pro *feriunt*, v) *prodinunt* pro *prodeunt.* x) *Scibat* pro *sciebat* vulgo notum est. y) Maxima videri licet in praeteritis differentia. *Adauctauit* pro *auxit* posuere, z) *Capsit* pro *cepit.* a) A *descendo* non *descendi*, sed *descendidi*, fecerunt. b) Rursum *discrepuit* pro *discrepauit*, c) *Exposiuit* pro *exposuit*, d) *Imposiuit* pro *imposuit*, e) *Loquitatus* pro *locutus*, f) *Meritauere* CATO g) ait pro *meruere.* A *mordeo* effecerunt *morsi.* h) *Parsi* CATO i) rursum dixit pro *peperci.* Alii *Sapiui* pro *sapui*, k) & *soluerit* pro *solitus sit.* l) Denique

q) Ibid. n 33. r) Andr. A. 2. S. 1. v. 39. & A. 5. S. 4. v. 19. Heaut. A. 2. S. 3. v. 38. s) Hecyr. A. 4. S. 1. v. 57. t) PACVVIVS & NAEVIVS apud NONIVM cap. 2. n. 220. PLAVTVS Captiu. A. 4. S. 2. v. 39. Mercat. A. 2 S 1. v. 2. Pseudol. A. 3. S. 1. v. 2, & 4. v) FESTVS in voc. *nequinont.* x) ENNIVS apud FESTVM in h. v. y) TERENTIVS Eunuch. A. 1. S. 2. v. 33. Heaut. A. 2. S. 2. v. 68. Phorm. A. 5. S. 1. v. 39. z) ACCIVS apud NONIVM cap. 2. n. 52. a) PLAVTVS Pseudol. A. 4. S. 3. v. 6. Rudent. A. 2. S 1. v. 15. b) Vid. A. GELLIVS lib. 7. cap. 9. c) NONIVS cap. 7. n. 99. d) PLAVTVS Casin. A. 4. S. 4. v. 27. e) Idem Rudent. A. 2. S. 3. v. 27. f) Idem Bacchid. A. 4. S. 7. v. 5. g) Apud FESTVM h. v. h) GELLIVS lib. 7. cap. 9. i) Apud FESTVM hac voc. k) Apud NONIVM cap. 10. n. 31. l) Ibidem n. 35.

Denique verba satis vulgaria, *poposci*, *momordi*, *pupugi*, *spopondi*, *cucurri*, veteres plerique non, quemadmodum postea receptum est per O, aut per V, repetitis in verbo primis literis, sed per E, atque hoc ad imitationem Graecorum dixerunt. *m*) Tempus futurum, tertii licet vel quarti ordinis, in EBO vel IBO terminare faciebant. Ita *Aperibo* pro *aperiam*, *n*) *Audibo* pro *audiam*, *o*) *Dicebo* pro *dicam*. *p*) *Dormibo*, *q*) *Esuribo*, *r*) *Expedibo*, *s*) *Inuenibo*, *t*) *Obedibo*, *v*) *Operibo*, *x*) *Paribo*, *y*) *Reperibitur*, *z*) *Scibit*, *a*) *Seruibit*, *b*) *Venibit*. *c*) Imperatiuos, *fac*, *dic*, *duc*, & similia, *face*, *d*) *dice*, *e*) *duce*, *f*) &c. pronunciabant. Subiunctiuo modo, pro *sim*, *sis*, *sit*, *siem*, *g*) *sies*, *h*) *siet*, *i*) proferebant, *volam* pro *velim*. *k*) Contra, *edim* pro *edam*, *l*) *Faxo* *m*) & *Faxim*, *n*) pro *faciam*,

---

m) A. GELLIVS lib. 7. c. 9. *n*) NONIVS c. 10. n. 15. *o*) Ib. n. 11. PLAVTVS Captiu. A. 3. S. 4. v. 86. *p*) NONIVS c. 10. n. 17. *q*) PLAVTVS Trinumm. A. 3. S. 2. v. 100. *r*) NONIVS c. 7. n. 90. *s*) Idem c. 10. n. 5. *t*) Idem c. 7. n. 96. *v*) Idem c. 10. n. 24. *x*) Ibid. n. 25. *y*) Ibid. n. 26. *z*) Ibid. n. 29. *a*) PLAVTVS Epidic. A. 1. S. 1. v. 69. *b*) Idem Trinumm. A. 1. S. 2. v. 27. TERENTIVS Hec. A. 3. S. 5. v. 45. *c*) NONIVS cap. 10. n. 32. *d*) PLAVTVS Casin. A. 3. S. 5. v. 14. Epidic. A. 1. S. 1. v. 37. Milit. glor. A. 2. S. 3. v. 64. *e*) Idem Casin. A. 2. S. 6. v. 38. Poenul. A. 5. S. 4. v. 63. *f*) Idem Asin. A. 1. S. 1. v. 84. TERENTIVS Eunuch. A. 3. S. 3. v. 32. *g*) PLAVTVS Poenul. A. 1. S. 2. v. 64. *h*) Idem Epidic. A. 1. S. 1. v. 60. *i*) Idem Amphitr. A. 2. S. 2. v. 155. Captiu. A. 3. S. 5. v. 78. Poenul. A. 5. S. 3. v. 2. *k*) NONIVS c. 7. n. 88. *l*) Idem c. 10. n. 18. *m*) PLAVTVS Mostell. A. 1. S. 1. v. 65. *n*) Idem Poenul. A. 5. S. 2. v. 131. & 133. Trinumm. A. 1. S. 2. vers. penult.

ciam; *Axim* pro *agam*, & *egerim*; *o*) *Adaxim* pro *adigam*, vel *adegerim*: *p*) Hinc *Axitiosi* factiosi dicebantur. *q*) Neque saluus infinitiuus. Exemplum unum alterumue in medium proferemus, & causam fore satis expeditam, nobis persuademus. *Passum* pro *pansum* à *pando* faciebant. *r*) *Quaeso* vt significat idem quod *rogo*, ita *quaesere* ab antiquis pro *quaerere* ponebatur. ENNIVS: *s*) *Nautisque mari quaesentibus vitam*. Rursum: *t*) *Ducit me vxorem liberorum sibi quaesendum gratia.* Pro *Auferre sustollere v)* valebat. Passiuis & similibus infinitiuis vulgo syllabam ER apponebant; ita *aduersarier*, †) *aggredirier*, *x*) *bubulcitarier*, *y*) *credier*, *z*) *contemplarier*, *a*) *curarier*, *b*) *funditarier*, *c*) *impingier*, *d*) *opperirier*, *e*) *proficarier*, *f*) *versarier*, *g*) *viderier*. *h*) Aliquando verba dilatabant, scriptitantes e.g. *Mauolo* pro *malo*, *i*) *Transdere* pro *tradere*, *k*) *Potesse* pro *posse*. *l*) Quaedam in suis temporibus contrahebant. Sic legere passim licet, *Sensti* pro *sensisti*, *m*) *immersti* pro *immersisti*

o) NONIVS c. 10. n. 7. *p*) PLAVTVS Aulul. A. 1. S. 1. v. 1. *q*) FESTVS h. v. conf. VARRO de LL. lib. 6. *r*) Vid. A. GELLIVS l. 15. c. 15. *s*) Lib 2. Apud FESTVM in voc. *quaeso*. *t*) In Cresphonte ib. *v*) PLAVTVS Cistell. A. 1. S. 1. v. 117. & A. 2. S. 3. v. 8. Poen. A. 1. S. 2. v. 136. †) PLAVTVS Stich. A. 4 S. 1. v. 9. *x*) Idem Mercat. A. 2. S. 1. v. 24. *y*) Idem Mostell. A. 1. S. 1. v. 50. *z*) Idem Poen. A. 2. v. 43. *a*) Ibid. A. 5. S. 3. v. 10. *b*) Captiu. A. 3. S. 5. v. 79. *c*) Poenul. A. 2. v. 36. *d*) Captiu. A. 3. S. 5. v. 76. *e*) Cistell. A. 2. S. 3. v. 48. *f*) Poenul. A. 2. v. 8. *g*) Ibid. A. 1. S. 2. v. 53. *h*) Ibid. v. 84. *i*) TERENT. Hec. A. 4. S. 1. v. 25. *k*) Idem prol. Phorm. v. 2. *l*) Idem Eunuch. A. 2. S. 3. v. 32. & A. 4. S. 3. v. 23, PLAVTVS Poen. A, 1. S. 2. v, 17. *m*) TERENT. And. A. 5. S. 4. n. 11.

merſiſti, n) **Commorat** pro *commouerat*, *o)* **Peccaſſo** pro *peccauero, p)* **Curaſſis** pro *curaueris*, *q)* **Seruaſſit** pro *ſeruauerit*, *r)* **Amasſint** pro *amauerint*, *s)* **Effodint** pro *effoderint*, *t)* **Emisſim** pro *emiſerim*, *v)* **Adiurit** pro *adiuuerit*, *x)* **Concluſſem** pro *concluſiſſem*, *y)* **Produxe** pro *produxiſſe. z)* Id genus alia.

§. XX.

C. *Particulas*, denique fidem dedimus, vel obſcuriores, vel rariores & obſoletas veterum exhibere. Et obueniunt has inter (1.) *Aduerbia:* **Adfatim** pro *abunde* vel *abundanter*, dictum, vt FESTVS *a)* habet, a copia fandi. LIVIVS: *b)*

Adfatim edi, bibi, luſi.

Aetatem aduerbialiter pro *ſaepe*, & *diu. c)* **Ampliter** pro *amplius. d)* **Antidhac** pro *antea. e)* **Aſſulatim** pro *minutatim. f)* *Pultando aſſulatim foribus exitium afferre.* Die Thür in Drümmern zerſtoſſen. **Aſtu** aduerbialiter pro *aſtute. g)* **Attemperate** pro *tempeſtiue. h)* **Donicum** pro *donec. i)* **Duelli** Aduerbialiter pro *belli*, h. e. in bello. PLAVTVS: *k)* *Valete*

n) PLAVTVS Bacchid. A. 4. S. 4. v. 26. *o)* TERENT. Phorm. A. 1. S. 2. v. 51. *p)* PLAVTVS Rudent. A. 5. S. 2. v. 61. *q)* Idem Pſeudol. A. 1. S. 3. v. 3. *r)* Idem Ciſtell. A. 4. S. 2. v. 76. & Stich. A. 4. S. 1. v. 1. *s)* Idem Curcul. A. 4. S. 4. v. 22. *t)* Idem Captiu. A. 3. S. 5. v. 66. *v)* Idem Caſin. A. 2. S. 5. v. 39. *x)* TERENTIVS Phorm. A. 3. S. 3. v. 4. *y)* Idem Eunuch. A. 4. S. 3. v. 25. *z)* Idem Adelph. A. 4. S. 2. v. 22. *a)* In h. v. *b)* Apud FESTVM l. c. *c)* Vid. NONIVS c. 2. n. 29. *d)* PLAVTVS Ciſtell. A. 2. S. 3. v. 54. *e)* Ibidem A. 1. S. 1. v. 1. *f)* Idem Captiu. A. 4. S. 2. v. 52. Menaech. A. 5. S. 2. v. 106. NONIVS c. 2. n. 31. *g)* TERENT. Eunuch. A. 5. S. 4. v. 2. *h)* Idem Andr. A. 5. S. 4. v. 13. *i)* PLAVT. Moſtell. A. 1. S. 2. v. 35. Pſeud. A. 6. S. 4. v. 72. *k)* Captiu. prol. v. vlt. Conf. Idem Epid. A. 3. S. 4. v. 14. Trucul. A. 2. S. 6. v. 2. & FESTVS in voc. *Duellum.*

- - *Valete iudices iustissimi*
Domi duellique duellatores optumi.

Eccere pro *ecce*, seu potius *ecce rem*. PLAVTVS: *l*)
- - *Eccere*,
Perii misera. - -

Vbi quidem probe scio legere alios *aecere*, vt sit formula iurandi per aedem Cereris, quemadmodum *aedepol*, *aecastor*, &c. Ita Muretus & sequaces. *m*) ***Fabre*** pro *artificiose*, & *perfecte*. *n*) ***Facul*** pro *faciliter*; huic contrarium est ***difficul.*** *o*) ***Furatim*** pro *furtim*. *p*) ***Insanum*** pro *valde*, & *vehementer*: quod insani vehementer omnia faciant. *q*) Et I s. CASAVBONVS *r*) monet, veteres, cum aliquid vehementer extollerent, solitos, tanquam exclamantes, orationibus suis vocem μανία inserere; Vnde locutiones illas manasse μανικὸν ὅσον μέγα, & *insanum magnum*, pro *valde magnum*. ***Minitabiliter*** antiq. pro *minaciter*. *s*) ***Ne*** pro *non*. *t*) ***Nox*** pro *noctu*. PLAVTVS: *v*)
- - *nox si voles manebo.*

Rursum: *x*)

l) Menaechm. A. 2. S. 3. v. 50. Vid. Idem Trinumm. A. 2. S. 2. v. 105. *m*) Confer. FESTVS in voc. *eccere*. *n*) PLAVTVS Stich. A. 4. S. 1. v. 64. *o*) Vid. FESTVS h. v. & NONIVS c. 2. n. 331. *p*) PLAVTVS Trucul. A. 4. S. 4. v. 29. Vbi quidem alii *futatim*, quasi profusim ac identidem, legunt. *q*) PLAVTVS Bacchid. A. 4. S. 5. v. 1. Curcul. A. 1. S. 3. v. 21. Mostell. A. 3. S. 3. v. 5. Trinumm. A. 3. S. 2. v. 47. Confer. VARRO de LL. lib. 6. cap. 5. FESTVS h. v. NONIVS c. 2. n. 450. *r*) Ad Athen. l. 13. c. 5. *s*) NONIVS c. 2. n. 546. *t*) PLAVTVS Mostell. A. 1. S. 2. v. 22. & 29. Trinum. A. 5. S. 2. v. 32. TERENT. Eunuch. A. 2. S. 3. *Quid ne es alacris?* pro *cur non est alacris?* *v*) Asin. A. 3. S. 3. v. 7. *x*) Rudent. A. 2. S. 4. v. 4. Confer. GELLIVS ab exord. lib. 8.

- - *Si nox venit.*

Nullus eleganter & antique pro *non.* PLAVTVS: *y*)

- - *is nullus venit.*

Numero pro *nimium cito.* z) *Pauxillisper*, quasi per particulas. PLAVTVS: *a*)

Plus decem pondo amoris pauxillisper perdidi.

Perpetem pro *perpetuo. b*) *Postidea* pro *postea, c*) *Praefiscine d*) est *sine inuidia*, vel *sine fascino*; vbi notamus *prae* particulam negatiuam esse. SOSIPATER id vocis interpretatur ἀβασκάντως. *Prognariter* est *strenue* & *constanter*. PLAVT. *e*)

- - *Age indica prognariter.*

Protinam idem quod *protinus. f*) *Publicitus* quod publice. *g*) *Quamde* pro *quam* scriptitarunt antiqui. *h*) *Quianam* pro *quare. i*) *Seorsus k*) pro *seorsim. Simitu* pro *simul. l*) *Sirempse* quasi *similis res ipsa.* PLAVT. *m*)

Siremse legem iussit esse Iuppiter.

Subdiu sic vt *interdiu* dictum. Idem: *n*)

Subdiu coli absque sole perpetuam diem.

Tolutim quasi *volutim* aut *volubiliter. o*) *Topper* significat *cito.*

---

y) Asin. A. 2. S. 4. v. 2. *z*) PLAVTVS Casin. A. 3. S. 5. v. 21. Milit. glor. A 5. v. 7. Mercat. A. 4. S. 3. v. penult. Confer. FESTVS h. voc. *a*) Trucul. A. 5. v. 21. *b*) FESTVS h. v. *c*) PLAVTVS Aulul. A. 1. S. 2. v. 40. TERENT. Hec. A. 4. S. 3. v. 3. *d*) Apud PLAVTVM Rudent. A. 2. S. 5. v. 4. *e*) Pers. A. 4. S. 4. v. 39. *f*) TERENT. Phorm. A. 1. S. 4. v. 13. *g*) Ibid A. 5. S. 7. v. 85. *h*) Vid. FESTVS h. v. *i*) Idem h. v. *k*) PLAVTVS Rudent. A. 5. S. 2. v. 27. *l*) Vid. NONIVS c. 2. n. 814. *m*) Amphitr. prolog. v. 73. Confer. FESTVS h. v. *n*) Mostell. A. 3. S. 2. v. 78. *o*) PLAVTVS Asin. A. 3. S. 3. v. 116. NONIVS cap. 1. n. 12.

cito. p) **Tuatim**, *tuo more*, ita vt facere consuesti. PLAVT. *q)*

- - *Eccere iam tuatim*

Facis, vt tuis nulla apud te sit fides.

Ita **vicissatim** pro *vicissim* seu *per vices. r)* **Vnose** pro *simul. s)* Plura vide apud NONIVM, *t)* & AVSONIVM POPMAM, *v)* quae nunc nos nihil morantur. (2.) *Praepositiones* veteribus in vsu fuerunt, quae iam obsoleuerunt a politioris linguae temporibus. **Am** pro *circum*, *x)* vnde composita *ambactus* pro *circumactus*; sic *ambitus*, *amplector*, *amputo* & similia. **Apor** pro *apud. y)* **Ar** pro *ad*, vnde *Aruenas*, *Aruentores*, *Aruolare* id genus alia dictitarunt. *z)* **Af** pro *a*, vel *ab. a)* **Se** pro *sine. b)* **Endo** pro *in*. LVCRET. *c)*

- - *viamque*

Endogredi sceleris. - -

Hinc *endoitium*, *endoplorare*, *endoprocinctu* &c. *d)* **Ob** pro *ad*, videmus vsurpatum fuisse non solum in legibus XII. tabularum, *e)* sed ab ipso ENNIO: *f)* vbi *ob Romam*, inquit, *noctu legiones ducere coepit.* Rursum: *Omnes occisi, obcensique in nocte serena*; pro accensi. **Vls** CATO *g)* pro *vltra* posuit. Plura videantur apud AVSONIVM POPMAM. *h)* De *con-*

p) FESTVS h. v. *q)* Amphitr. A. 2. S. 1. v. 4. Confer NONIVS c. 2. n. 853. *r)* PLAVTVS Stich. A. 4. S. 1. v. 27. *s)* NONIVS c. 2. n. 881. *t)* Toto capite 11. *v)* De vsu antiquae locutionis lib. 1. c. 13. *x)* FESTVS h. v. *y)* Idem h. v. *z)* PRISCIANVS lib. 1. Confer. dissert. nostra de pueritia LL. c. 3. §. 10. *a)* Idem l. c. *b)* FESTVS in voc. *Sed.* Confer. dissert. de puerit. LL. c. 3. §. 8. *c)* De rerum natur lib. 1. v. 82. *d)* FESTVS in his vocabulis. *e)* Vid. tab. 2. fragm. 3. in citata dissert. nostra de puerit. LL. c. 4. §. 5. *f)* Apud FESTVM voc. *Ob.* *g)* Apud eundem in h. v. *h)* De vsu antiquae locutionis lib. 1. c. 14.

iunctionibus (3) nihil est quod heic loci moneamus; (4.) neque de *interiectionibus*, quae pro lubitu, ad testandum animi affectum, vnusquisq; pronunciarepotuit: ita ex. gr. *babae* & *bombax* apud PLAVTVM *i)* hominis sunt, aliquid cum admiratione approbantis, vel negligentis, vel etiam effatum alterius laete patienterque ferentis. *Hem, Eheu, Vah*, &c. vulgaria sunt & vbique obuia. Id solum notari meretur, in veterum scriptis neque mulieres Romanas per *Herculem*, neque viros per *Castorem* deiurare: Interiectiones adeo, seu verba, ad fidem contestandum, *mehercule* viro, *mecastor* feminae, sed *aedepol*, quod iusiurandum per Pollucem est, vtrique sexui conuenire. *k)*

§. XXI.

Singulis vocibus ordine suo, & quantum fieri potuit, breuiter, sed accurate perlustratis, obueniunt, quas secundo loco, ad intellectum ac dilucidationem locorum paulo obscuriorum in huius aeui scriptis, examinare instituimus, 3. *Phrases* & dictiones antiquatae, saltem in ea compositione sensuue scriptoribus continuo sequentis seculi politioribus vix vsitatae, neque proin hodienum vbiuis obuiae. Et consideranda *(a)* substantiua cum suis adiectiuis notabili significatione coniuncta. Quid *Alicariae reliquiae?* Ita PLAVTVS *l)* vocat macie vel egestate confectas meretrices, vetulas aridas & scabiosas, *reliquiis* potius, quam integris solidisque corporibus similes, vel e multis *reliquas*. Sed *Alicariae* meretrices in Campania dicebantur solitae, quaestus gratia, ante pistrina *Alicariorum* versari. Alias appellatur etiam *Alica* quod corpus

i) Pseudol. A. 1. S. 3. v. 131. *k)* Vid. A. GELLIVS lib. 11. c. 6.
l) Poenul. A. 1. S. 2. v. 54.

corpus alit. *m*) ***Bisculcilingua*** quid? nihil aliud quam bilinguis, duplicem habens linguam: *n*) quemadmodum PLINIVS *o*) tribuit serpentibus linguam trisulcam, ARISTOTELES *p*) bisulcam. Quid ***blenni dentes***? Apud PLAVTVM: *q*)

- - Perii, prospicio parum,

Os amarum habeo, dentes blennos, lippiunt fauces fame.

Sunt, nisi me omnia fallunt, dentes putidi & ieiunio faetentes, quos OVIDIVS *scabros rubigine,* PETRONIVS *aeratos scabra rubigine* vocat. Etenim βλέννα, *mucus*, & βλεννὸς, *mucosus*; stultus atque fatuus Graecis appellatur. *r*) ***Bubula censio*** *s*) innuit verbera lori bubuli, cuius censura in seruos animaduerti solebat. ***Caesitium linteum*** *t*) linteum purum & candidum est, sic dictum, quod vel caedendo peruenerit ad candorem, vel oras circumcisas habeat. ***Caltula tunica*** *v*) est vestimentum lutei coloris. Nam *calta* lutei dicitur coloris viola. VIRGILIVS: *x*)

Mollia luteola pingit vacinia calta.

Catapultarium pilum est iaculum, quod e catapulta mittitur. PLAVTVS: *y*)

- - Quia ego ex te hodie faciam pilum catapultarium.

Clurinum pecus est macilentum ac deforme, ita fortassis a cluni-

---

m) Vid. FESTVS in h. v. *n*) PLAVTVS Poenul. A. 5. S. 2. v. 74. *o*) Histor. natur. lib. 11. c. 37. *p*) De part. anim. lib. 2. c. vlt. *q*) Curcul. A. 2. S. 3. v. 38. *r*) Confer. ipse PLAVTVS Bacch. A. 5. S. 1. v. 2. MARTIALIS lib. 7 epigr. 45. FESTVS in voc. *blennus*. *s*) Apud PLAVTVM Aulul. A. 4. S. 1. v. 26. *t*) Apud eundem Epidic. A. 2. S. 2. v. 46. Conf. NONIVS cap. 14. n. 17. *v*) PLAVTVS Epidic. A. 2. S. 2. v. 47. *x*) Ecclog. 2. v. 50. *y*) Curcul. A. 5. S. 3. v. 11.

clunibus dictum; ficuti *clunas* opinantur *fimias* a clunibus tritis dictas. *z*) PLAVTVS: *a*)

- - *Tu vero clurinum pecus*
Aduenisti huc sistentatum cum exornatis offibus.

Collatiuus venter b) eſt magnus & turgidus, quia in id omnia edulia conferuntur. *Ora conterebromia c*) illa dicitur, vbi *bromium*, i. e. vuas ac vinum, conterunt, & vindemiae celebrantur. Alii eam terram intelligunt nouato vocabulo ſignificatam omnem, quam Liber Pater, ſiue Bacchus, exercitu luſtrauit ſuo, obeundoque contritus & fatigatus eſt. *Conterere* namque bonis etiam auctoribus pro *vincere* & *ſuperare* ponitur. *Curium infortunium* vitam curarum plenam ac infortunatam innuit, cuiusmodi amatorum vita eſt. PLAVTVS: *d*)

- - - *Caue ſis tibi a curio infortunio.*

Curionem agnum PLAVTVS *e*) pro macro dixit, quaſi cura macruiſſet. *Defloccati ſenes* dicuntur calui; ab veſtibus detritis, quae fratillos villoſue ſuos amiſerunt, metaphora deſumta. PLAVTVS: *f*)

- - *Per vrbem duo defloccati ſenes*
Quaeritant me. - -

Anus diobolaris, quae duobus obolis ſui copiam facit. *g*) Sic & *Seruulorum ſordidulorum ſcorta diobolaria* vocantur. *h*)

Coena

z) Vid. FESTVS h. v. *a*) Trinumm. A. 2. S. 2. v. 14. *b*) Apud PLAVTVM Curcul. A. 2. S. 1. v. 16. confer. FESTVS h. v. *c*) Apud eundem Curcul. A. 3. v. 76. *d*) Pſeudol. A. 6. S. 7. v. 44. *e*) Aulul A. 3. S. 6. v. 26. 28. Licet heic alii *curioſum* legant. Conf. FESTVS in v. *Curionem.* *f*) Epid. A. 5. S. 1. v. 10. *g*) Idem Pſeudol. A. 2. S. 2. v. 64. *h*) Idem Poen. A. 1. S. 2. v. 58.

Caena ebria est caena parata, opipara & copiosa, translatione ab ebriis desumta. PLAVTVS: *i*)

- - *Facite caenam mihi, vt ebria sit.*

Vinum edentulum nimia vetustate quasi dentibus carens. Idem: *k*)

Vetustate vino edentulo aetatem irriges.

Emissitii oculi, qui, omnia curiose obseruantes, huc atque illuc excurrunt, quasi emitterentur. PLAVTVS: *l*)

- - *Exeundum hercle tibi hinc est foras,*
Circumspectatrix cum oculis emissitiis.

Curae exanimales dicuntur illae tabificae, quae exanimant; Hertzens-Prast / Hertz-fressende Sorgen. PLAVTVS: *m*)

Ita male viuo, atque ita mihi multae in pectore sunt curae exanimales.

Expapillatum brachium est brachium exertum, vt FESTVS habet, *n*) quo papilla nudatur; vel, vt NONIVS *o*) interpretatur, quasi ad papillam vsque renudatum. Idem: *p*)

Id erit connexum in humero laeuo, expapillato q) *brachio.*

Ferentarius Amicus ille vocatur, qui celer & expeditus est; quales sunt ferentarii milites, qui laborantibus facile auxiliantur, *r*) Idem: *s*)

- - *Nam illum tibi*
Ferentarium esse amicum inuentum intellego.

Formicinus gradus ille quidem spississimus gradus est, sed

Qq minu-

i) Casin. A. 3. S. 6. v. 18. *k*) Poenul. A. 3. S. 3. v. 86. *l*) Aulul. A. 1. S. 1. v. 2. *m*) Rudent. A. 1. S. 4. v. 2. *n*) In voc. *Expapillato.* *o*) Cap. 2. n. 266. *p*) Milit. Gloriof. A. 4. S. 4. v. 44. *q*) Ita etiam ille locus NONIO citatur. Alii vero, quos inter MEVRSIVS atque TAVBMANNVS, pro *expapillato*, legunt *exaffilato.* *r*) Vid. TVRNEBVS Aduersar. lib. 23. c. 17. *s*) Trinum. A. 2. S. 4. v. 55.

minutiſſimus, adeoque tardus; dictione a formicis deſumta, quae licet multum ſe moueant, parum tamen promouent. PLAVTVS: *t*)

- - *Moue formicinum gradum.*

Foro merſi, alieno aere obruti; foeneratores ac daniſtae olim in foro conſidebant. Hinc comicus noſter: *v*)

Malim iſtiusmodi mihi amicos furno merſos, quam foro.

Fors fortuna *x*) eſt fortuna fortis & bona. *Fuſtitudinae ferricrepinae inſulae*, riſus cauſa a PLAVTO *y*) confictae ſunt, pro ſeruis compeditis dictae, quos SENECA *z*) *ſonantia laxi ruris ergaſtula* vocat. *Hallex viri* ille appellatur, qui non vir eſt, ſed viri muria & pene fex. PLAVT. *a*)

Tu ne hic amator audes eſſe, hallex viri?

Nam & PLINIO *b*) hallex ſiue alex gari vitium eſt, imperfecta, nec colata fex. Significat alias ſalſuginem atque liquorem, in quo ſeruantur piſces. *c*) *Piſcatus hamatilis & ſaxatilis*, piſcatus qui hamis fit, praeſertim in ſcopulis; vbi piſcatores olim exercuiſſe piſcatum, poſt MEVRSIVM, TAVBMANNVS *d*) docet. *Homeronidae poetillae*, per ludibrium a PLAVTO *e*) poetaſtri vocantur, qui Homeri exemplo heroum pugnas ſcriptitarunt. *Rete iaculum* eſt retis genus a iaciendo dictum; vnde & *iaculator* piſcatorem ſignificat. *f*) PLAVTVS: *g*)

Iubeas vna opera me piſcari in aere.

Venari

t) Menaechm. A. 5. S. 3. in fine. *v*) Epidic. A. 1. S. 2. v. 16. *x*) TERENTIVS Hecyr. A. 3. S. 3. v. 26. *y*) Aſinar. A. 1. S. 1. v. 21. Confer. eiusd. Perſ. A. 4. S. 6. & alia loca. *z*) Controuerſ. lib. 3. *a*) Poenul. A. 5. S. 5. v. 31. *b*) Hiſtor. natur. lib. 31. cap. 8. *c*) Vid. PLAVTVS Perſ. A. 1. S. 3. v. 27. confer. PLINIVS hiſtor. natur. lib. 9. c. 17. *d*) In notis ad Plaut. Rudent. A. 2. S. 1. v. 10. *e*) Trucul. A. 2. S. 6. v. 4. *f*) Vid. ISIDORVS Orig. lib. 19. c. 5. confer. VARRO de lingua Latina lib. 4. c. 24. & 29. *g*) Aſin. A. 1. S. 1. v. 87.

Venari autem rete iaculo in medio mari.

Inducula impluuiata Nonio *h*) dicitur vestis quasi fumato stillicidio impleta, qui color *mutinensis*, & *fuligineus* dicitur. Sed Grvtero atque Tavbmanno *i*) videtur a similitudine impluvii factum esse nomen vesti, quae ea figura est, vt quaternata i. e. quatuor quadrata lateribus vndique corpus ambiat, quae forma est impluuiorum in cauaediis. ***Indusiata tunica*** *k*) nihil aliud est quam indusium, seu vestimentum, quod intra plurimas vestes intus corpori adhaeret. ***Manubiarius amicus*** dicitur, qui facilis & promtus est, vt eo instar manubrii aliquis vti possit; aliis fructuosus & manubiarum spoliorumue collator. Plavtvs: *l*)

- - *Saltem amicus mihi esto manubiarius.*

Malacum pallium vestis coenatoria mollior & paulo pretiosior, nonnunquam purpurea coccineaue. Idem: *m*)

- - *Pro lorica malacum capiam pallium.*

Inducula mendicula, *n*) *Regillae* opposita, vestis videtur esse, quae mendicis conuenit: quamuis, quod scio, alii id vocis malint deriuare a vocabulo *Meddix*, quod Oscis magistratum significat. *o*) ***Nauales pedes***, *p*) serui remiges, quod in naui pedum loco sint; vel etiam Remi, quibus naues quasi pedibus ambulant. ***Nimbata meretrix***, quae nimbo quidem ornata, sed vilis & quasi pro nebula fumoque habenda. Cum enim frons parua reputaretur inter formae deco-

h) Cap. 16. n. 3. *i*) Ad Plaut. Epidic. A. 2, S. 2. v. 40. *k*) Apud Plavtvm Epidic. A. 2, S. 2. v. 47. Confer. Varro de lingua Latina lib. 4. c. 30. & Nonivs c. 14. n. 18. *l*) Trucul. A. 4. S. 4. v. 27. *m*) Bacchid. A. 1. S. 1. v. 38. Vid. etiam Martialis lib. 11. epigr. 24. *n*) Apud Plavtvm Epidic. A. 2. S. 2. v. 39. *o*) Festvs h. v. *p*) Apud Plavt. Menaechm. A. 2. S. 2. vers. vltim.

ra, *q)* mulieres quaedam, vt eius magnitudinem dissimulare possent, vtebantur *nimbis*, qui fasciae frontales erant, ac transuersae plurimum in linteo assutae, ex auro. *r)* Hinc ARNOBIVS: *s) Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis fuligine oculos inumbrarent.* Adeoque comicus noster: *t)*

Quam magis aspecto, tam magis est nimbata. - -

Noctuini oculi v) sunt oculi glauci, quos virides vulgo dicimus; allusione facta ad inauspicatas aues, quarum tales sunt oculi. *Offa penita* significat offam porcinam cum cauda; vel, vt NAEVIVS habet, *absegmen carnis cum coda.* Nouimus enim caudam vocari penem. Vnde PLAVTVS: *x)*

Aufer illam offam penitam. - -

Portus Persicus est mare Euboicum, quod in eo classis Persarum steterit, non procul a Thebis. *y)* *Vestis plumatilis* z) aut clauata, aut ex plumis facta. *Cribrum pollinarium* pollinem ipsum cribratum, & farinam a furfuribus expurgatam, dicebant veteres. *a)* Sic quoque illis *mola* pro farre molito ac tosto magis, quam pro moletrina fuit, quo sensu id vocis hodie sumitur. *Follis pugilatorius* est pila coriacea vento completa, quam suspensam pugiles insectabantur pugnis. PLAVTVS: *b)*

- - *Extemplo hercle ego te follem pugilatorium*
Faciam, & pendentem incursabo pugnis, periurissime.

Ralla

q) Vid. HORATIVS 1. od. 33. & 1. epist. 7. *r)* ISIDORVS Orig. lib. 19. cap. 31. *s)* Lib. 2. *t)* Poenul. A. 1. S. 2. v. 135. *v)* Apud eundem Curcul. A. 1. S. 3. v. 35. *x)* Milit. glor. A. 3. S. 1. v. 162. Conf. FESTVS in voc. *penem.* *y)* PLAVTVS Amphitr. A. 1. S. 1. v. 256. FESTVS h. v. *z)* PLAVTVS Epidic. A. 2. S. 2. v. 49. NONIVS c. 14. n. 22. *a)* PLAVT. Poen. A. 3. S. 1. v. 10. *b)* Rudent. A. 3. S. 4. v. 16.

Ralla tunica c) est a raritate texturae dicta. *Regilla induculla d*) vestis Regia, seu basilica. *Porci sacres e*) qui sacris destinati sunt. *Pro scapulis* cum dicit CATO, *f*) significat pro iniuria verberum. *Saeuidica dicta* TERENTIUS, *g*) pro dictis inhumanis vel atrocibus. *Salutigeruli pueri, h*) tabularii, qui, cum salus ab exordio literarum diceretur, eam attulisse dicebantur; vel etiam nuncii sunt, qui huc illuc salutem gerunt. *Sectarius veruex*, qui sectis est testibus, adeoque carnis sapore commendabilis, quem vulgo *mutonem* vocant; cum *petro*, siue aries, contra sit illiberalis & graveolens. PLAVTVS: *i*)

Qui petroni nomen indunt verueci sectario.

Inde *veruex* quoque dicitur vetus amator, & homo ineptus ad Venerem, vt aries castratus est. *k*) *Vestis subminia, l*) vel a minio, dicta est quasi subminiata; vel a minuendo, quasi subminuta. *Tapulla lex* illa dicitur, quae de conuiuiis lata est. LVCILIVS: *m*)

Tapullam rident legem concerae opimi.

Propter viam, apud veteres dicebatur sacrificium Herculi, aut Sanco, qui idem Deus est, a proficiscentibus factum. *n*) In eo si quid ex epulis superfuisset, igne consumi necesse erat. Hinc iocus Catonis, qui Albidium quendam, cum sua bona comedisset, ac nouissime domum, quae reliqua erat isti,

 per-

c) Idem Epidic. A. 2. S. 2. v. 46. confer. NONIVS c. 14. n. 14. *d*) Idem loc. v. 39. & NONIVS c. 14. n. 13. *e*) PLAVTVS Rudent. A. 4. S. 6. v. 4. *f*) Apud FESTVM h. v. *g*) Phorm. A. 1. S. 4. v. 36. *h*) Apud PLAVTVM Aulul. A. 3. S. 5. v. 28. *i*) Captiu. A. 4. S. 2. v. 40. *k*) Vid. PLAVTVS Casin. A. 3. S. 2. v. 5. & Mercat. A. 3. S. 3. v. 6. *l*) Idem Epidic. A. 2. S. 2. v. 48. *m*) Incert. Satyr. fr. 46. Apud FESTVM h. v. *n*) Vid. FESTVS h. v.

perdidisset incendio, *propter viam fecisse*, dicebat. *o*) PLAVT. *p*)

Propter viam illi sunt vocati ad prandium.

Sie seynd zum Abschieds-Schmause geladen. *Virosae mulieres* sunt virorum appetentes. LVCILIVS: *q*)

- - Vetulam atque virosam

Vxorem caedam potius, quam castrem egomet me.

Classia vnimammia, apud PLAVTVM, *r*) est Amazonum terra. Ille scilicet comica fictione & figura vtitur: *classe* exercitum primo, deinde ipsam eo terram intelligens, facta etiam in classe regionis terminatione. De Amazonibus autem fabula narratur, feminas istas peculiaris insulae, ferro candente alterutram sibimet adusisse mammam, vti saltem ipsis vna, ad pugnam liberaliorem, reliqua maneret. Hinc *vnimammia* &c. &c.

§. XXII.

(β) Verba cum aliis partibus orationis notabili significatione coniuncta. *Adire manum alicui* dicitur is, qui alteri, tanquam in manum traditurus, aliquid ostendit; & cum ille manum ad istud capiendum porrexerit, suam ipse manum retrahit, atque alterum inanem atque hiantem relinquit. Ita PLAVTVS: *s*)

- - Auarae Veneri pulchre adii manum.

Se agere dicuntur discedentes tardi & tristes. Proprie aguntur bruta, quae alterius ductu indigent. Apud TERENTIVM †) *Quo hinc te agis?* Daui obliqua ad Charinum non sine taedio haerentem admonitio est, vt discedat stupidus. Idem, ††) *se studere*, praeter vulgarem loquendi vsum scriptitauit.

Prolato

o) MACROBIVS Saturn. l. 2. c. 2. *p*) Rudent. A. 1. S. 2. v. 62. *q*) Satyr. l. 7. fr. 2. Apud NONIVM c. 1. n. 80. *r*) Curcul. A. 3. v. 75. *s*) Poenul. A. 2. v. 11. Confer. Idem Aul. A. 2. S. 8. v. 8. Casin. A. 5. S. 2. & Perf. A. 5. S. 2. †) Andr. A. 4. S. 2. v. 25. ††) Eunuch. prol. v. 1.

Prolato aere aſſiſtere. Ennius *t*) dixit, pro ſcuto vel clypeo ante ſe protento. *Gallam bibere ac rugas conducere ventri,* inquit Lucilius, *v*) vbi parſimonia eſſe vtendum, neque gulae ſeruiendum docet. *Caedere ſermones x*) dicuntur, qui frequenter & plurimum verba faciunt, quod genus loquendi ab Graecis ductum eſſe, Priscianus *y*) admonet: eos enim ita dicere ſolitos, *κόπτειν λόγυς, κόπτειν ῥήματα, διαλογίζεσθ, commiſcere ſermones.* *Colere vitam,* z) pro viuere. *Quadrupedem conſtringere, a*) eſt alicuius manus pedesque colligare, eiusue collum vinculis ita deprimere, vt inſtar quadrupedis inclinatus caput erigere nequeat. Ita apud Athenienſes *κυφωνισμὸς* erat ſupplicii genus, quo ſeruorum colla, ſi quid grauius admiſiſſent, cippis ſeu vinculis quibusdam ligneis, *κυφῶνες* (a *κόπτω* i. e. *inclino*) dictis, ſtricta peſſum incuruare ſolebant. *Dapinare victum,* eſt victum largiter dare. Plautus: *b*)

Aeternum tibi dapinabo victum, ſi vera autumas.

Et hoc, niſi me omnia fallunt, a Graecor. *δαψίλεια*, copia & abundantia. Hinc *dapſilis* & *dapſilus* largus, affluens & munificus eſt. Ita *dotes dapſiles, c*) *dapſiles ſumtus d*) dicta dapſila. *e*) *Dare bibere, f*) pro dare potionem. Quandoquidem nunc duo verba actiua nullam habent ſignificationem ſine aliquo nomine aut pronomine; vt ſi exempli gratia diceres, *dic facere.*&c. *Suum defrudare genium, g*) eſt naturae illud detra-

t) Apud Festum in voc. *prolato.* *v*) Idem in voc. *Galla.* *x*) Terent. Heaut. A. 2. S. 3. v. 1. *y*) Lib. 18. *z*) Terent. Heaut. A. 1. S. 1. v. 84. *a*) Idem Andr. A. 5. S. 2. v. 24. *b*) Captiv. A. 4. S. 2. v. 116. *c*) Plautus Aulul. A. 2. S. 1. v. 45. *d*) Moſtell. A. 4. S. 2 v. 66. *e*) Pſeudol. A. 1. S. 4. *f*) Terentt. Andr. A. 3. S. 2. v. 4. conf. Donat. ad h. l. *g*) Idem Phorm. A. 1. S. 1. v. 10. Adelph. A. 2. S. 2. v. 38.

detrahere, quod appetere videtur: cuius contrarium eſt, *genio indulgere.* *Herbam do*, cum ait PLAVTVS, *h*) ſignificat, *victum me fateor*; quod eſt antiquae & paſtoralis vitae indicium. Nam qui in prato curſu aut viribus contendebant, cum ſuperati erant, ex eo ſolo, in quo certamen erat, decerptam herbam aduerſario tradebant. Etenim victor nemo dici poterat, niſi prius ille, quem viciſſet, ſe victum fateretur, & victorem agnoſceret. Quare ENNIVS: *i*)

Qui vicit, non eſt victor, niſi victu' fatetur.

Follitim ductitare nihil aliud eſt, quam argento circumducere, quod in *folle* ſeruatur. Sic *peratim ductare*, argenti tanta copia defraudare aliquem, quantae capax fuerit perae alicuius laxitas. PLAVTVS: *k*)

Peratim ductare: at ego follitim ductitabo.

Emungere aliquem argento, l) Einem das Geld ablauſen: & hoc mire, quum e contrario facetus & elegans *emunctus homo* dicatur, *& naris emunctae.* *Ex aliquo crepitum polentarium exciere m)* eſt pugnis aliquem ita excipere, vt prae anxietate ac metu, emittat *crepitum* πορδὴν, ſtrepidum obſcoenum *polentarium*, ex polenta comeſta natum, vel qui *polentam n*) oleat. *Exporgere frontem, o*) ſeu *exporrigere frontem*, eſt frontem corrugatam explicare. Dicimur autem *explicare* frontem, quando hilareſcimus; *contrahere*, quando ringimur, & aliquid moleſtum nobis accidit. Inde *frons exporrecta* hilaritatem; *caperata, corrugata, obducta*, vel *contracta* ſollicitaque

h) Apud FESTVM h. v. *i*) Confer. SCALIGER ad Feſt. l. c. *k*) Epidic. A. 3. S. 2. v. 15. *l*) TERENTIVS Phorm. A. 4. S. 4. v. 1. *m*) PLAVTVS Curcul. A. 2. S. 3. v. 16. *n*) Polentam, quam Graeci ἄλφιτα vocant, deſcribit PLINIVS hiſt. natur. lib. 18. c. 7. *o*) TERENTIVS Adelph. A. 5. S. 3. v. 53.

sollicitaque tristitiam prae se ferre videtur. *Curculiunculos minutos fabulari*, *p*) est futilia, aut res nullius vsus, narrare. *Curculio* namque, siue *Gurgulio*, quasi nil nisi guttur, *q*) vermis est frumenta exinaniens. VIRGILIVS: *r*)

- - Populatque ingentem farris aceruum
Gurgulio: atque inopi metuens formica senectae.

Aliquem facere confossiorem soricina neninia, *s*) confossum magis aliquem reddere, quam intestinum soricinum, vbi sorex in muscipula deprensus certa machinatione confoditur. *Expeculiatos fieri*, est amittere peculium suum, tantoque viliores suis heris fieri, quam ante fuerunt. PLAVT. *t*)

- - Crucior pretiis emtos maximis
Apud nos expeculiatos seruos fieri suis heris.

Fraudem frausus est, pro fraudem commisit. *v*) PLAVT. *x*)

- - Metuo in commune ne quam fraudem frausus sit.

Mulsa loqui, idem quod suauiter loqui; süsse Worte geben. Idem: *y*)

Obsecro, Hercle, vt mulsa loquitur!

Alibi: *z*)

- - Vt dulcis es! vt mulsa dicta dicis!

Inde *mulsa* applandiendi vocabulum, amatoribus familiare, & in nostri fabulis passim obuium. Ita ille: *a*)

Dicam enim, mea mulsa!

Mein Zucker-Mündgen. Rursum: *b*)

Age mulsa mea, suauitudo, salta: saltabo ego simul.

 Datatim

p) PLAVTVS Rudent. A. 5. S. 2. v. 38. *q*) ISIDORVS Orig. lib. 12. in fine. *r*) Georg. lib. 1. v. 185. *s*) PLAVTVS Bacchid. A. 4. S. 8. v. 48. *t*) Poenul. A. 4. S. 2. v. 20. *v*) FESTVS h. v. *x*) Asin. A. 2. S. 2. v. 20. *y*) Poenul. A. 1. S. 2. v. 112. *z*) Rudent. A. 2. S. 3. v. 34. *a*) Casin. A. 2. S. 6. v. 20. *b*) Stich. A. 5. S. 5. v. 14.

Datatim ludere, pila ludere, propterea quod ille daretur, significat. Sunt autem in lusu pilae alii, quos *datores*, alii, quos *factores* vocant; illi dabant, hi faciebant, siue ludebant feriebantque pilam. c) PLAVTVS: d)

Tum isti qui ludunt datatim serui scurrarum in via,
Et datores & factores omnis subdam sub solum.

Atque hinc de meretrice NAEVIVS: e)

- - Quasi in foro pila
Ludens datatim dat se & communem facit.

Obsipare aquulam, f) significat aspergere aquam, siue recreare aliquem. Recreantur enim, qui animo deficiunt, vbi aspergitur aqua. Similis locutio legere apud FESTVM g) est haec, *obsipa pullis escam.* **Obsonare pollucibiliter**, obsonia opipare ac sumtuose parare. De esculentis namque constat decimam Herculi dedisse, quod polluceri, & quod consecratum erat, polluctum dicere solebant, ex optimis paratum. PLAVTVS: h)

- - Pascite
Parasitos, obsonate pollucibiliter.

Obtrudere palpum, arte seu fuco decipere. Hinc *palpari* adulari, & *palpones* adulatores significant. PLAVTVS: i)

- - Mihi obtrudere non potes palpum.

Ceteroquin *palpari*, & *palpo percutere*, est proprie molli & blando manus pulsu tangere & obtrectare. Comicus noster: k)

Obseruatote, quam blando mulieri palpabitur.

Ornare fugam, l) pro moliri, struere vel parare fugam. *Se in*

c) Vid. ISIDORVS l. 1. c. 25. NONIVS cap. 2. n. 213. d) Curcul. A. 2. S. 3. v. 17. e) Tarentilla. f) PLAVTVS Cistell. A. 2. S. 3. v. 37. g) In voc. *Insipare*. h) Mostell. A. 1. S. 1. v. 23. i) Pseudol. A. 4. S. 1. v. 35. k) Amphitr. A. 1. S. 3. v. 9. l) TERENT. Eunuch. A. 4. S. 4. v. 6.

Se in fugam penetrare, m) fere vnum idemque eſt. *Os occillare,* os pugnis frangere, vel contundere. PLAVTVS: *n)*

- - *Qui mi aduenienti os occillet probe.*

Percutere animum, o) ſuſpicionem alicui mouere. *Sub vitem praeliari,* dicuntur milites, quum ſub vinea militari pugnant. LVCILIVS: *p)*

Neque prodire in altum, praeliari procul ſub vite.

Sermonem ſublegere, q) ſuffurari, ablauren. *Fulmentas ſuppingere ſoccis, r)* ſolis fulcire calceos, vt ſolidiores ac firmiores fiant. *Thermopotare gutturem, s)* perquam calida potione gutturem proluere. *Pugilice & athletice valere, t)* eſt firmiter & robuſte valere: quod huiusmodi luctatores validis lacertis, firmaque valetudine eſſe debebant. Atque etiam hinc *athletica habitudo* ſumitur pro corpulenta & robuſta, quam Ariſtoteles ἀθλητικὴν ἕξιν appellat. *Aſymbolum venire, v)* eſt ſine ſumtu venire. Συμβολὴν id ſignificare aiunt, quod pro ſua parte confert vnusquisque ad communes dapes. Sed ἀσύμβολος, praepoſito α priuatiuo, qui nihil ſoluit. Eſt autem verbum Graecum Συμβολὴ, ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν *conferre,* idem propemodum quod collatio. Proinde *Symbolam* vel, vt alii legunt, *Symbolum dare, x)* aliquid ad caenam conferre; *de ſymbolis eſſe, y)* conuiuium agitare, vel comedere de eo, quod quisque contuliſſet.

m) PLAVTVS Amphitr. A. I. S. I. v. 94. *n)* Amphitr. A. I. S. I. v. 28. *o)* TERENT. Andr. A. I. S. I. v. 98. *p)* Satyr. incert. fr. 70. apud FESTVM. *q)* PLAVTVS Milit. glor. A. 4. S. 2. v. 98. *r)* Idem Trinum. A. 3. S. 2. v. 94. *s)* Ib. 4. 3. 7. *t)* Idem Epid. A. I. S. I. v. 18. *v)* TERENT. Phorm. A. 2. S. 2. v. 25. *x)* Idem Andr. A. I. S. I. v. 61. *y)* Idem Eunuch. A. 3. S. 4. v. 2.

Aestiue viaticari. est non multis sumtibus, verum parce ac tenuiter, proficisci; dictum ex eo, quod qui aestate iter faciunt, quo volunt, paucioribus diebus perueniunt, ac inter ambulandum de frugibus aestatis saepe alimenta capere possunt: vt aere non tanto aestiuis, quam hibernis, indigeant. PLAVTVS: z)

- - Quum inspicio marsupium,
Viaticati hercle admodum aestiue sumus.

§. XXIII.

(γ) Verba aliis atque nunc coniuncta casibus. *Similis*, vt construitur vulgo cum datiuo, a TERENTIO a) cum genitiuo casu ponitur. Sic quoque genitiuus, in diuersis verborum constructionibus, pro accusatiuo erat. b) Apud LVCILIVM, verbi gratia, legimus versum: c)

Tristes, difficiles sumu', fastidimu' bonorum.

Careo, quod ablatiuum regit, obuenit cum genitiuo casu. d) *Decet* cum datiuo. e) Accusatiuum veteres Latini, more Graecorum, pro nominatiuo ponebant. Ita PLAVTVS: f)

Naucratem, quem conuenire volui, in naui non erat.

Alibi: g)

- - Me audire visus sum.

Idem: h)

- - Vnde ego omnes hilaros, lubentes, laetificantes faciam vt fiant.

Rursum: i)

Si in-

z) Menaechm. A. 2. S. 1. v. 30. a) Eunuch. A. 3. S. 2. v. 43. b) Vid. NONIVS c. 9. n. 3. c) Satyr. lib. 7. fr. 16. apud NONIVM l. c. d) Apud TERENT. Heaut. A. 3. S. 4. v. 20. e) Apud eundem Adelph. A. 3. S. 4. v. 45. & A. 5. S. 8. v. 5. Apud PLAVTVM Amphitr. A. 2. S. 2. v. 188. f) Amphitr. A. 4. S. 1. v. 1. g) Aulul. A. 5. v. 4. h) Perf. A. 5. S. 1. v. 8. i) Epidic. A. 4. S. 2. v. vlt.

Si inuenio, exitiabilem ego illi faciam hunc vt fiat diem.

Pudet, cum gemino accusatiuo. *k*) **Gnarus**, cum accusatiuo legitur apud PLAVTVM: *l*)

Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum.

Vbi *gnarures hanc rem*, significat *guaros huius rei*. Similis locutio etiam haec est, *doctus hanc rem*, apud eundem, vbi poenulo praefari laborat. **Indulgere** venit cum accusatiuo. *m*) Sic quoque **impendere**, *n*) & **inseruire**, *o*) Et FESTVS annotat etiam *me* pro *mihi* dixisse antiquos. Verba vulgaria, **vtor**, *p*) **abutor**, *q*) **fungor**, *r*) **potior**, *s*) & similia, quae ablatiuum exigunt, cum accusatiuo leguntur. **Insistere**, nisi fallor, etiam ablatiuum secundum Grammaticorum obseruationes regit, sed cum accusatiuo venit. *t*) **Clanculum patres**, pro *clam patribus*. *v*) Ita **ex aduersum**, pro *ex aduerso*. *x*) **Esse in honorem**, pro *esse in honore*. *y*) **Comparari ad aliquem**, pro *cum aliquo*. *z*) Sic quoque ἀρχαϊκῶς ablatiuus valebat pro genitiuo, vt **periculum fame** dicerent, pro *periculum famis*: *a*) atque datiuo, vt **concedere**

k) TERENT. Adelph. A 4. S. 7. v. 36. *l*) Mostell. A. 1. S. 2. v. 17. *m*) Apud TERENT. Eunuch. A. 2. S. 1. v. 16. Heaut. 5. 2. 35. *n*) Apud eund. Phorm. A. 1. S. 4. v. 2. *Tanta te impendent mala.* *o*) Apud PLAVTVM Poen. A. 4 S. 2. v. antepenult. & Mostell. A. 1. S. 3. v. 33. *Matronae, non meretricium est, vnum inseruire amantem.* *p*) Apud NONIVM c. 7. n. 112. *q*) PLAVTVS Trinum. A. 3. S. 2. v. 56. TERENT. Andr. prolog. v. 5. *r*) TERENT. Heaut. A. 3. S. 3. v. 19. Adelph. A. 3. S. 5. v. 18. Phorm. A. 1. S. 5. v. 51. Plura vide apud NONIVM c. 9. n. 4. *s*) TERENT. Adelph. A. 5. S. 4. v. 17. *t*) Apud eundem Eunuch. A. 2. S. 3. v. 3. *v*) Apud eundem Adelph. A. 1. S. 1. v. 27. *x*) Ibid. A. 4. S. 2. v. 45. & Phorm. A. 1. S. 2. v. 38. *y*) Idem Eunuch. A. 2. S. 2. v. 29. confer. A. GELLIVS lib. 1. c. 7. *z*) TERENT. Eunuch. A. 4. S. 4. v. 14. *a*) Idem Heaut. A. 5. S. 2. v. 27. confer. GELLIVS lib. 9. c. 14.

die pro *diei. b*) Syluam aliorum, & numero propemodum infinitorum, vide apud NONIVM MARCELLVM, induſtrium Grammaticum. *c*) Noſtra nunc refert eſſe breues.

§. XXIV.

Miſcellanea quaedam, eaque tantum obiter circa huius aeui dictionem annotata, ſubiiciemus, coronidis loco. Caſus praeter vulgatum vſum iunctos inuicem videmus; e.g. *abs quiuis homine. d*) *Die craſtini. e*) *Die ſeptimi. f*) *Abſente nobis. g*) *Praeſente nobis. h*) Pars vna orationis pro altera poſita, neque ordinario conueniente caſu, neque dictionis vrgente natura, paſſim obueniet diligenti ſcriptorum antiquiorum inſpectori. Ita *partim hominum venerunt*, pro *pars hominum venit*, vel *quidam homines venerunt. i)* Praepoſitione expreſſa ſubſtantiuum, quod illa regit, omittere aliquando ſolebant; vt, *vbi ad Dianae veneris*: ſc. templum, *k*) quorum Athenis duo fuere, vbi quae primum pariunt, ſoluere zonas conſueuerunt. *l*) Vocales, vt CICERONIS *m*) verba mea faciam, ſine vocalibus ſaepe breuitatis cauſa contrahebant, vt dicerent *multi modis, n*) *vas argenteis, palm & crinibus, tecti fractis.* Rurſum copulis verba libenter iungebant, vt in vnum coaleſcerent; ita *ſodes* pro *ſi audes*,

h) Apud PLAVTVM Amphitr. A. 1. S. 1. v. 120. *c*) De proprietate Sermonum cap. 9. *d*) TERENT. Adelph. A. 2. S. 3. v. 1. MACROBIVS Saturn. lib. 1. c. 4. *e*) PLAVTVS Moſtell. A. 4. S. 1. v. antepenult. *f*) Idem Menaechm. Scen. vlt. *g*) TERENT. Eunuch. A. 4. S. 3. v. 7. NONIVS c. 2. n. 66. *h*) PLAVTVS Amphitr. A. 2. S. 2. v. 194. NONIVS l. c. *i*) A. GELLIVS lib. 10. c. 13. *k*) TERENTIVS Adelph. A. 4. S. 2. v. 43. *l*) Scholiaſtes Apollonii l. 1. *m*) In Oratore cap. 45. *n*) Vid. etiam TERENTIVS Andr. A. 5. S. 4. v. 37. HeautA. 2. S. 2. v. 79. Phorm. A. 3. S. 1. v. 1. Hecyr. A. 2. S. 3. v. 7.

audes, *o*) *sis* pro *si uis*, *p*) *sultis* pro *si vultis*, *q*) *ain'* pro *aisne*, *r*) *reddin'* pro *reddisti* vel *reddidistine*, *s*) *scin'* pro *sciune*, *t*) *vegrande* pro *valde grande*, *v*) *Cuiam* pro *cuiusnam*, *x*) *eccam* pro *ecce eam*, *y*) *eccas* pro *ecce eas*, *z*) *ellum* pro *ecce illum*. *a*) Alia e contrario eiusdem potestatis vocabula, ad dilatandam orationem, coniunctim, vel ex abundanti proponebant. Sic *plerique omnes*, *b*) *Quidem hercle certe*, *c*) *Ergo propterea*, *d*) *Nisi si*. *e*) Atque etiam praeter consuetudinem legimus particulam *Enim* in principio usurpatam, *f*) quae sua natura vocabulis aliis postponi solet. Eorundem porro, vel similium, verborum geminationes, huius aeui Oratoribus aeque ac Poetis perquam familiares fuerunt. Ita LVCRETIVS: *g*)

- - *Quos ante domi domitos satis esse putabant.*

PLAVTVS: *h*)

Domi domitus fui vsque cum caris meis.

Rursum: *i*)

Non potuit paucis plura plane proloqui.

Porro: *k*)

Ex

o) CICERO l. c. FESTVS in voc. *sultis* & *sodes*. *p*) Vterque l. c. PLAVT. Ps. 1. 3. 10. *q*) Idem Captiu. A. 3. S. 5. v. 9. FEST. h. v. *r*) CICERO l. c. TERENT. Andr. A. 5. S. 3. v. 4. *s*) PLAVTVS Curcul. A. 4. S. 4. v. 10. *t*) Idem Aulul. A. 1. S. 1. v. 8. *v*) NONIVS c. 2. n. 884. *x*) TERENT. Andr. A. 5. S. 4. v. 29. *y*) Idem Eunuch. A. 4. S. 5. v. 12. PLAVTVS Cistell. A. 4. S. 2. v. 77. Menaechm. A. 5. S. 2. v. 22. *z*) Idem Bacchid. A. 3. S. 6. v. 39. *a*) TERENTIVS Andr. A. 5. S. 2. v. 14. *b*) Ibidem A. 1. S. 1. v. 28. Phorm. A. 1. S. 2. v. 20. *c*) Idem Phorm. A. 1. S. 3. v. 12. *d*) Idem Hecyr. A. 1. S. 1. v. 6. *e*) Idem Eunuch. A. 5. S. 2. v. 63. *f*) Idem Hecyr. A. 2. S. 1. v. 41. *g*) Lib. 5. *h*) Menaechm. A. 1. S. 1. v. 29. *i*) Ibid. A. 2. S. 1. v. 27. *k*) Ibid. A. 2 S. 2. v. 2. Videantur eiusdem etiam Pseudol. prol. ab initio, & Trucul prol. v. 1. 2.

Bonum anteponam prandium pransoribus.

Ex infinitis Comici nostri idiotismis rusticis, perplacet hunc propofuisse locum vnicum: *l*)

ST. *Emito sepiolas, lepadas, lolligiunculas*
Hordeias. CH. *Imo triticeias, si sapis*.

Vbi rusticus senex pulchrius nihil censet frugibus, & pro pulchris, inepte putideque dicit *lolligiunculas hordeias*. Quare veluti per mimesin etiam reprehenditur a seruo, *imo*, respondente, *triticeias*; cum *triticeas* & *hordearias* pronunciandum fuisset. Denique veteres in verborum traiectione videntur assidui: quod CORNIFICIVS *m*) cumprimis Lucilio vitio vertit, vbi eius verba citat:

Has ad te scriptas Luci misimus Aeli.

Fuit autem ille L. Aelius Stilo, Varronis magister, cui Poeta satyras misit. Atque etiam CICERO *n*) diligenter monet, ne verba traiiciantur aperte, quo melius aut cadat, aut voluatur oratio: quod se L. Caelius Antipater, in prooemio belli Punici, nisi necessario, facturum negat.

XXV.

Omnia illa hactenus commemorata in scriptoribus Latinis, atque adeo huius aeui lingua, facile possunt videri monstrosa & mira, si cum fatis seculi proxime sequentis conferantur. Et re vera sunt. Sed amoue illa, quae passim prima fronte apparent, cetera satis casta, & iucunda, & sana, suauissimo eloquentiae tam ligatae, quam solutae obseruabis procedere flumine. Respice plus millies citata nobis Plauti atque Terentii monumenta, adi & alios, quorum integra oratio, demtis, quae hinc inde seruarunt ex antiquioribus, vt plurimum odiosis scoriis, vel suo merito ita lectoribus studiosis arridebit,

l) Casin. A. 2. S. 8. v. 59. *m*) Rhetor, ad Herennium lib. 4. cap. 12. *n*) In Oratore. cap. 69.

bit, vt nihil pulchrius, nihil ornatius; aut magis genuinum, ſibi perſuadeant inueniri; ſaltem adoleſcentiae, & proximam poſt virile robur, laudem promereri confiteantur. Sed Ennium aut Naeuium ſi quis cum Virgilio, Lucilium cum Horatio, Catonem vel Gracchos cum Cicerone comparare velit, *o*) & alium videbit numerum, & periodos alias, & alium verborum ſelectum, alium denique totius orationis complexum; paucis, huius quidem Latinae linguae creſcenti aetati ſcriptores elegantes, ſed adultae continuo ſequenti elegantiſſimos adiudicabit. Longum foret commemorare, quibusnam illi prae aliis ſtili partibus ſeruierint omnes, aut cui prae aliis alii fuerint viſi magis linguae ornatui ſtudere. Qui vnum alterumue, a limine tantum ſalutauerit, ipſos legendo vtriuſque ſeculi ſcriptores, non poteſt non omnia, quae ſciri poſſunt de loquendi ratione tunc vſitata, etiam me nihil iſtius monente, penitius peruidere. Sufficit, vel ex illis hactenus deductis praemonuiſſe, optimos etiam, vt manifeſte conſtat, huius aeui auctores emollita caſtigataque vſos fuiſſe lingua, ſed ita, vt ex antecedentibus annis paſſim archaiſmos temere multos retinuerint.

§. XXVI.

Reſtat vnicum 3 *Examen ſcripturae* vel, peregrino liceat mihi vocabulo vti, *orthographiae*: vbi tanto poterimus eſſe breuiores, quoniam de iſthaec linguae momento ſatis alibi *p*) verborum

Ss

o) Vid. MACROBIVS Saturn. lib. 6. cap. 1. ſeqq. A. GELLIVS noct. Attic. lib. 10. cap. 3. *p*) Cumprimis in Diſſertatione de Pueritia LL. Pluribus conferantur, quotquot ſunt, Grammatici antiquiores; QVINTILIANVS Inſtit. orator. lib. 1. c. 4. & 7. ISIDORVS Orig. lib. 1. c. 26. CASSIODORVS de orthographia. SCALIGER de cauſis LL. ALDVS MANVTIVS qui ſuam veterum monumentorum collectionem Orthographiam inſcripſit. FRIDERICVS SILBVRGIVS, cuius de vetere Romanorum ſcriptura tractatio annexa

borum fecisse, nobis persuademus. Est autem, vt TERENTIVS VARRO q)loquitur, *verborum nouorum, & veterum discordia omnis in consuetudine communi; quot modeis litterarum commutatio sit facta, qui animaduerterit, scrutari facilius origines patietur verborum. - - Literarum enim fit demtione, aut additione; & propter earum attractionem, aut commutationem, item syllabarum productionem.* Nos nunc triplicem tantum notabimus veteris scripturae ab nostra differentiam *demtione additione* & *commutatione.* (A) *Demtio* fit primo in dictionibus (α) *literarum* (1.)ab *initio*, plerumque vbi H. scribendum fuisset, vt *Allex* pro *Hallex*, *Ei* pro *Hei*, *Em* pro *Hem.* (2.) In *medio*, omnes propemodum abiiciebantur consonantes, quas praeter veterum vsum hodie solemus geminare, vt *ole* pro *ille*, *clasis* pro *classis*, *numei* pro *nummi.* A. vocalis medio excussa, vt *defrudo* pro *defraudo*, *educta* pro *educata.* r) E. *audibam*, *custodibam*, *lenibam.* I. *caldus*, *mna*, *subus*, *repostus.* V. *sis*, *sos*, *sas*, *sauior*, *periclum*, s) *vinclum*, t) *Hercle*, *saeclum.* (3.) In *fine*, detractum videmus E. *volup*, *facul*, *difficul*, I. *luxu*, *victu*, *sumtu*, dandi casu: sic genitiui nominum secundi ordinis, quae literam I. geminatam habent, vt *peculi*, *oti*, *tuguri*, & similia. S. *sati*, *animu*, *opu*, *priu* & multa alia. (β) *Syllabarum* (1.) *ab initio*, vt *villator* pro *cauillator*, †) *Rabo* pro *arrabo*, v) *Conia* pro *ciconia.*

---

annexa est Scioppii Grammaticae philosop. p. 218. seqq. VOSSIVS de arte Gramm. & qui instar omnium est, AVSONIVS POPMA de vsu antiq. loc. l. 1.
q) De lingua Latina lib. 4. c. 1. r) Vid. PLAVTVS Mostell. A. 1. S. 3. v. 29. s) TERENT. Phorm. A. 2. S. 1. v. 13. t) PLAVTVS Captiu. A. 3. S. 5. v. penult. †) Idem Truc. 3. 2, 15. v) Ibid. v. 20.

nia. x) Sic paſſim truncata nobis obueniunt vocabula, quae primo intuitu vix ac ne vix quidem dignoſci poſſunt. (2.) *In medio*, vt *Apiſcor* pro *adipiſcor*, *Dis* pro *diues*, *y*) *Porgo* pro *porrigo*, *Nancitor* pro *nanciſcitur*, *Accepſit* pro *acceperit*, *Dixti* pro *dixiſti*, *Deum* pro *Deorum*. (3.) *In fine*, vt *Momen* pro *momentum*, *z*) *Volup* pro *voluptas*, *a*) *Famul* pro *famulus*, *b*) *Facul* pro *faciliter*, *c*) *Dein*, *Exin*, *Proin*. &c.

§. XXVII.

(B.) Vti literis atque ſyllabis detractis, ita quoque iisdem adiectis, veteres multa variarunt. Obſeruari autem licet *Additio* (*α*) *Literarum* (1.) *ab initio vocum*, vt *Stlis*, *Stlocus*. *Stlatus*, *Stritauus*. *Gnatus*. (2.) *In medio*, vt *Forctis*, *frucmentum*, *ferctum*, *trabes*, *calix*, *merix*, *nuculeus*, *d*) *danunt*, *prodinunt*, *ips*, *quips*, *duſmoſus*, *caſmenae*, *coſmittere*. †) *creduo*, *venunduo*, *ninguo*, *duonum*. (3.) *In fine*, *Eſtod*, *habetod*, *altod*, *marid*, *meritod*, *med*, *ted*, *ſed*, ſimilia. ††) *Exemplare*, *Sale*, *eii*, *reii*. &c. (*β*) *Syllabarum* (1.) *In verborum principio*, *Duis* pro *bis*, *duonus* pro *bonus*, *duellum* pro *bellum*. (2.) *In medio*, *Aeuiternus* pro *aeternus*, *antidea* pro *antea*, *poſtidea*, *indoteratim*, *coquino*, *natino*, *fruinor*, *mauolo*. (3.) *In*

 fine,

x) Plavtvs Ib. v. 23. *y*) Terent. Adelph. A. 5. S. 1. v. 8. *z*) Festvs h. v. *a*) Nonivs cap. 2. n. 905. Plavtvs Menaechm. A. 4. S. 3. v. 3. Hinc *volupe*; idem Caſin. A. 4. S. 2. v. 5. *b*) Nonivs cap. 2. n. 322. *c*) Idem c. 2. n. 331. *d*) Plavtvs Curcul. A. 1. S. 1. †) Vid. Festvs in voc. *Duſmoſo*. ††) Plavtvs Amphitr. A. 1. S. 1. v. 244. Caſin. A. 1. v. 49. Pſeudol. A. 1. S. 5. v. 108.

fine. vt *fortaſſean*, *Donicum*, *endo*, *dicier*, *aggredier*, *imitarier*, *Expugnaſſere*, †††) ſexcenta alia.

§. XXVIII.

(C) Neque ſolum veteres, detractis adiectisue literis atque ſyllabis, vocabula ſua vel contrahere, vel producere ſolebant; verum etiam deprehenduntur pleraque inter ſe commutaſſe dictionum elementa, literasue pro aliis alias poſuiſſe. *Commutatio* haec primo valet (α) *in literis vocalibus.* Ita ſcriptitatum legimus E pro A. *Defetiſcor*, *depeciſcor*, *Edor.* E pro I. *Amecus*, *Menerua*, *Mageſter*, *Derigo*, *Deiudico*, *Intellego*, *Cines*, *Canes* &c. in ſingulari numero. *e*) E pro O. *Helus* pro *Holus*, *Heluſa* pro *Holera*, *Hemo* pro *homo*, *memordi*, *pepoſci.* E pro V. *Augeratus*, *Hemona*, *pepugi*, *cecurri.* I pro A. *Bacchinal*, *Beneficere*, *Subigitare.* I pro E. *Sico*, *Exſico*, *Reſico*, *Conſiptum*, *incuruiſcere*, *luciſcit*, *quatinus*, *Enicare.* *f*) I pro O. *Quicum*, *abs quiuis homine*, *die craſtini*, *die ſeptimi.* O pro AV. *Clodius*, *Coda*, *Ploſtrum*, *Cloſtrum*, *Oricularius*, *Copo*, *Copona*, O pro E. *Aduorſum*, *Vorſus*, *Volim*, *Vortex.* O pro I. *Agnotus*, *Olli*, *g*) O pro V. *Folmen*, *Fonus*, *Piacolom*, *Seruom*, *Quatenos*, *Volgus*, *Dederont*, *Probaueront*, *Volt*, *ſaluos.* V pro E. *Dicundum*, *Faciundum*, *Legundum*, *Vendun-*

†††) PLAVTVS Amphitr. A. 1. S. 1. v. 55. *e*) SALLVSTIVS ab exord. B. Catil. & ita paſſim. ENNIVS apud VARRONEM de Lat. ling. lib. 6. c. 3. *Tantidem quaſi feta canes ſine dentibus latrat.* *f*) TERENTIVS Eunuch. A. 3. S. 5. v. 6. Phorm. A. 5. S. 8. v. 5. *g*) ENNIVS: *Olli reſpondet ſuauis ſonus Egeriai*, apud VARRONEM de Latin. ling. lib. 6. c. 3.

Vendundum. V pro I. *Existumo, Dissupo, Fuo: Inclutus, Optumus, Maxumus, Carnufex, h) Mancupium. i)* V pro O. *Adulescens, Epistula, Fruns, Funs.* (β) *In Diphthongis*, quae conflantur ex vocalibus, & varie ab antiquis vsurpantur. AI pro AE. *Aimilius, Aulai, Terrai frugiferai, Triuiai, Iphianassai. k)* AV pro O. *Aula, Caudex, Raudus, Saurex.* EI pro I. *Quei, Lucei, Puerei.* OE pro I. *Loebesum, Oloe, Pilomnoe poploe.* OE pro V. *Poenio, Moerus, Oesus.* OI pro OE. *Coilum. Proilium.* OV pro V. *Fourius, Foures, Ious, Ioudico.* (γ) *In consonantibus*, quibus haudquaquam minor varietas & commutatio obseruari licet. Posuerunt namque B pro V. Ita *ferbeo, Abus, Acerbat, Serbus.* C pro F. *Ecfero.* C pro G. *Acetare, acnom, cerens, pacit.* C pro QV. *Anticus, cotidie, eculus.* C pro X. *Secus* pro *sexus.* D pro L. *Dacruma, dautia, fidius.* D pro R. *Iouisedetrio, Medidies.* F pro H. *Fircus, folus, fostis, fostia. l)* G pro N. *Agceps, Agcora, stagneum.* H pro F. *Hortes* pro *fortes, m) Hanula* pro *fanula*, parua delubra. L pro D. *Cassilem* pro *Casside, n) Delicare, o) Impelimenta.* L pro N. *Lympha* pro *nympha.* M pro S. *Prorsum,* *prorsus.* N pro L. *Ningua* pro *lingua.* P pro B. *Scapreo, Scapres, p) Optineo, Optulit, Suptile.* QV pro C. *Arquus, Oquulus.* R pro D. *Apor, q) Arfero, Arferia, r) Arce-*

h) TERENT. Andr. A. 4. S. 1. n. 27. i) Idem Eun. A. 2. S. 2. v. 43. k) LVCRET. de Rerum nat. l. 1. v. 84. 85. l) Vid. FEST. in *Fedum.* m) Conf. FESTVS in voc. *Horctum.* n) Idem h. v. o) Idem h. v. p) NONIVS cap. 2. n. 769. q) FESTVS h. v. r) Idem h. v.

Arcedo, *Aruectum*, *Monerula*. R pro N. *Strigores*, *Extrarius*. R pro S *Comperce* pro *compesce*, *s*) S pro M. *Demus* pro *demum*. *t*) S pro R. *Esit* vel *Escit* pro *erit*, *Obesit*, *Valesii*, *Papisii*, *arbos*, *ianitos*, *melios*, *labos*, *clamos*. S pro X. *Nugas* pro *nugax*, *Adassint* pro *Adaxint*, *Ninsi* pro *ninxi*. T pro S. *Pulto*, *Pultatio*, *Merto*, *Adgretus*, *Ostentus*, *Terta*. V pro B. *Amauile*, *Venemerens*. Alia.

§. XXIX.

Superfluum esse puto, haec omnia multis, quod dudum fecerunt alii, si velim ego nunc veterum exemplis probare, Non possum tamen non, ad ea confirmanda, quae hactenus de latinitate & orthographia huius aeui diuersa notauimus, in medium proferre tabellam, velut ex aerario Romano inexspectata sortis benignitate conseruatam. Continet ea senatusconsultum *v*) aduersus Bachanalia, Marcio & Posthumio consulibus. Monumentum hoc IACOBVS GRONOVIVS aeri curauit incidi ac praefigi loco tertio ante historiam Ciceronis, quae cum operibus impressa est Lugduni Batauorum 1692. in 4. maiori, editione omnium nitidissima. Verborum contextus inde bona fide transcriptus hic est: MARCIVS. L. F. S. POSTHVMIVS. L. F. COS. SENATVM. CONSOLVERVNT. N. OCTOB. APVD. AEDEM. DVELONAI. SC. ARF. M. CLAVDI. M. F. L. VALERI. P. F. Q. MINVCI. C. F. DE. BAANALIBVS. QVEI. FOIDERATOI. ESENT. ITA. EX. DEICENDVM. CENSVERE. NEI. QVIS. EORVM. BACCANAL. HABVISE. VELET. SEI. QVES. ESENT. QVEI. SIBEI. DEICERENT. NECESVS. ESE.

s) FESTVS h. v. *t*) Idem h. v. *v*) Cuius mentionem fecerunt CICERO de legibus lib. 2. c. 15. & LIVIVS Hist. Rom. lib. 39. cap. 18, & 19.

ESE. BACANAL. HABERE. EEIS. VTEI. AD. PR. VRBANVM. ROMAM. VENIRENT. DEQVE. EEIS. REBVS. VBEI. EORVM. L. TR. A. AVDITA. ESENT. VTEI. SENATVS DECERNERET. DVM. NE. MINVS. SENATORIBVS. C. ADESE. P. R. A. RES. COSOLERETVR. BACAS. VIR. NEQVIS. ADIESE. VELET. CEIVIS. ROMANVS. NEVENOMINVS. LATIN. NEVE. SOCIVM. QVISQVAM. NISEI. P. R. VRBANVM. ADIESENT. ISQVE. DE. SENATVOS. SENTENTIA. DVM. NE. MINVS. SENATORIBVS. C. ADESENT. QVOM. EA. RES. COSOLERETVR. IOVSISENT. CENSVERE. SACERDOS. NE. QVIS. VIR. ESET. MAGISTER. NEQVE. VIR. NEQVE. MVLIER. QVISQVAM. ESET. NEVE. PECVNIAM. EORVM. COMOINEM. HABVISE. VELET. NEVE. MAGISTRATVM. NEVE. PROMAGISTRATVO. NEQVE. VIRVM. NEVE. MVLIEREM. QVIQVAM. FECISE. VELET. NEVE. POSTHAC. INTER. SED. CONIOVRAVISE. VELET. COMVOVISE. NEVE. CONSPONDISE. NEVE. CONPROMISISE. VELET. NEVE. QVISQVAM. FIDEM. INTER. SED. DEDISE. VELET. SACRA. IN. DEVOTOD. NE. QVISQVAM. FECISE. VELET. NEVE. IN. POBLICOD. NEVE. PREIVATOD. NEVE. EXTRAD. VRBEM. SACRA. QVISQVAM. FECISE. VELET. NISEI. PR. VRBANVM. ADIESET. ISQVE. DE. SENATVOS. SENTENTIAD. DVM. NE. MINVS. SENATORIBVS. C. ADESENT. QVAM. EA. RES. CONSOLERETVR. IOVSISENT. CENSVERE. HOMINES. PIDV. S. V. OINVORSEI. VIREI. ATQVE. MVLIERES SACRA. NEQVISQVAM. FECISE. VELET. NEVE. INTER IBEI. VIREI. PLOVS. DVOBVS. MVLIERIBVS. PLOVS. TRIBVS. AREVISE. VELENT. NISEI.

SEI. DE. PR. VRBANI. SENATVOSQVE. SENTENTIAD. VTEI. SVPRAD. SCRIPTVM. EST. HAICE. VTEI. IN. CONVENTIONID. EX. DEICATIS. NE. MINVS. TRINVM. NOVNDINVM. SENATVOSQVE. SENTENTIAM. VTEI. SCIENTES ESETIS EORVM. SENTENTIA. ITA. FVIT. SEI. QVES. ESENT. QVEI ARVORSVM. EAD. FECISENT. QVAM. SVPRAD. SCRIPTVM. EST. EEIS. REM. CAPVTALEM. FACIENDAM. CENSVERE. ATQVE. VTEI. HOCE. IN. TABOLAM. AHENAM. INCIDERETIS. ITA. SENATVS. AIQVOM. CENSVIT. VTEIQVE. EAM. FIGIER. IOVBEATIS. VBEI. FACILIVMED. GNOSCIER. POTISIT. ATQVE. VTEI. EA. BACANALIA. SEI. QVA. SVNT. EXTRAD. QVAM. SEI. QVID. IBEI. SACRI. EST. ITA. VTEI. SVPRAD. SCRIPTVM. EST.. IN. DIEBVS. X. QVIBVS. VOBEIS. TABELAI. DATAI. ERVNT. FACIATIS. VT. EIDIS. MOTA. SIENT. IN. ARGOTEVRANO.

§. XXX.

De dictione antiqua eiusque ſcriptura ſatis erit dictum, ſi hoc vnum adiunxero, quod nemo inficiabitur, illud genus ſcripturae etiam politiori Latinae linguae aetati, ante natum Ciceronem, & poſt eius interitum ita placuiſſe, vt vix tum extirpari potuerit, quando magis creſcere videbatur eruditio, & Grammaticae dari opera; quin paſſim in elegantiorum ſcriptis veſtigia ſatis conſpicua, & bene multa, ſuperſint: quae cum vulgo magis nota, vel doctiorum indaginis eſſe dicantur, nunc ego quidem tangere nolo. Medebor tamen cum ſatietati, tum ignorantiae lectorum, productis in medium duobus recentioris aeui monumentis; quorum, niſi me omnia fallunt, ipſa Tullii aetate, priuatim alterum ſepulchro erat inſcri-

ptum alterum publice datum ab Antonio eiusque in Tribunatu collega. De vtroque B. Lectoris erit pro ingenio & ſcientia iudicare. Primum Romae ad pontem Ceſtium his verbis legebatur: *x*)

HOSPES. QVOD DEICO. PAVLLVM. EST. ASTA. AC. PELLEGE.
HEIC EST. SEPVLCRVM HAV. PVLCRVM. PVLCRAI. FEMINAE.
NOMEN. PARENTES. NOMINARVNT. CLAVDIAM.
SVOM. MAREITVM. CORDE. DEILEXIT. SOVO.
GNATOS. DVOS. CREAVIT. HORVNC. ALTERVM.
IN. TERRA. LINQVIT. ALIVM. SVB. TERRA. LOCAT.
SERMONE. LEPIDO. TVM. AVTEM. INCESSV. COMMODO.
DOMVM. SERVAVIT. LANAM. FECIT. DIXI. ABEI.

Certius eſt, quod ſequitur, alterum. Illud extitit Romae in tabula aenea apud Capranicos, & accurate ex illa deſcriptum eſt ab ALDO *y*) in hunc modum:

C. ANTONIVS. M. F. C. N. CORNE. C. FVNDANIVS.
C. F. TR. PL. DESS. PLEBEM. PRIMVS. SCIVIT.
QEI. THERMESES. MAIORES. PEISIDAE. FVERVNT. QVEIQVE.
EORVM. LEGIBVS. THERMESIVM. MAIORVM. PISIDARVM.
ANTE. K. APRIL. QVAE. FVERVNT. L. GELLIO. CN. LENTVLO. COS.
THERMESES. MAIORES. PISIDAE. FACTI. SVNT.
QVEIQVE. AB. - - - IEIS. PROGNATI. SVNT.
ERVNT. IEI. OMNES. POSTEREIQVE. EORVM.
THERMESES. MAIORES. PEISIDAE. LEIBERI.
AMICEI. SOCIEIQVE. POPVLI. ROMANI. SVNTO. EIQVE. LEGIBVS. SVEIS. ITA. VTVNTO.

x) Vid. ALDVS MANVTIVS in Orthographia pag. 579. GEORGIVS FABRICIVS Antiq. monum. lib. 2, n. 3. *y*) In Orthographia p. 407. ſeqq.

ITAQVE. IEIS. OMNIBVS. SVEIS. LEGIBVS.
THERMENSIS. MAIORIBVS. PISIDEIS. VTEI. LICETO. QVOD. ADVORSVS. HANC. LEGEM.
NON. FIAT.

QVEI. AGRI. QVAE. LOCA. AEDIFICIA. PVBLICA. PRIVATAVE.
THERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM. INTRA. FINEIS.
EORVM. SVNT. FVERVNTVE. L. MARCIO. SEX. IVLIO. COS.
QVAEQVE. INSVLAE. EORVM. SVNT. FVERVNTVE. IEIS.
CONSOLIBVS. QVEI. SVPRA. SCRIPTEI. SVNT. QVODQVE.
EARVM. RERVM. IEIS. CONSVLIBVS. IEI. HABVERVNT.
POSSIDERVNT. VSEI. FRVCTEIVE. SVNT. QVAE. DE. IEIS. REBVS.
EO. - - ANO. VT. - - - - - - QVEIQVE.
DE. IEIS. REBVS. - - - - - - - HAC. NE.
LOCENTVR. - - - - - - AE. FACTA.
EST. E - - SIE. - - - - A. OMNIA.
THE - - - HABEANT. POSSIDEANT.
IEISQVE. - - - - - - VANTVR.
ITA. VTEI. AN. - - - - - EIMVM.
FVIT. HABVERVNT. - - VSEI FRVCTEIVE. SVNT.

QVAE. THERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM. PVBLICA.
PREIVATAVE. PRAETER. LOCA. AGROS. AEDIFICIA. SVNT.
FVERVNTVE. ANTE. BELLVM. MITRIDATIS. QVOD. PREIMVM.

FACTVM.

FACTVM. EST. QVODQVE. EARVM. RERVM. IEI. ANTEA.
HABVERVNT. POSSEDERVNT. VSEI. FRVCTEI-VE. SVNT.
QVOD. EIVS. IPSEI. SVA. VOLVNTATE. AB. SE. NON. ABALIENARVNT.
EA. OMNIA. THERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM. VTI. SVNT.
FVERVNT. ITA. SVNTO. ITEMQVE. IEIS. EA. OMNIA.
HABERE. POSSIDERE. VTEI. FRVEIQVE. LICETO.
QVOS. THERMENSES. MAIORES. PISIDAE LEIBEROS. SERVOSVE.
BELLO. MITRIDATIS. AMEISERVNT. MAGISTRATVS. PROVE.
MAGISTRATV. QVOIA. DE. EA. RE. IVRISDICTIO. ERIT. QVIN.
DE. EA. RE. AN. IOVS. ADITVM. ERIT. ITA. DE. EA. RE. IOVS.
DEICVNTO. IVDICIA. RECVPERATIONIS. DANTO. VTEI. IEI.
EOS. RECVPERARE. POSSINT.
NEI. QVIS. MAGISTRATVS. PROVE. MAGISTRATV. LEGATVS. NEV.
QVIS. ALIVS. MEILITES. IN. OPPIDVM. THERMENSIVM. MAIORVM.
PISIDARVM. AGRVMVE. THERMENSIVM. MAIORVM.
PISIDARVM. HIEMANDI. CAVSSA. INTRODVCITO. NEIVE.

FACITO. QVO. QVIS. EO. MEILITES. INTRO-
DVCAT. QVOVE. IBEI.
MEILITES. HIEMENT. NISEI. SENATVS. NOMI-
NATIM. VTEI. THERMESIVM.
MAIORVM. PISIDARVM. IN. HIBERNACVLA.
MEILITES.
DEDVCANTVR. DECREVERIT. NEIVE. QVEIS.
MAGISTRATVS.
PROVE. MAGISTRATV. LEGATVS. NEV. QVIS.
ALIVS. FACITO.
NIVE. IMPERATO. QVO. QVID. MAGIS. IEI.
DENT. PREBEANT.
AB. IEISVE. AVFERATVR. NISEI. QVOD. ED. S.
EX. LEGE. PORTIA.
DARE. PRAEBERE. OPORTET. OPORTEBIT.
QVAE. LEGES. QVODQVE. IOVS. QVAEQVE. CON-
SVETVDO. L. MARCIO.
SEX. IVLIO. COS. INTER. CIVEIS. ROMANOS.
ET. THERMENSES.
MAIORES. PISIDAS. FVIT. EAEDEM. LEGES. EI-
DEMQVE. IOVS.
EADEMQVE. CONSVETVDO. INTER. CIVES.
ROMANOS. ET.
TERMENSES. MAIORES. PISIDAS. ESTO. QVOD-
QVE. QVIBVSQVE.
IN. REBVS. LOCEIS. AGREIS. AEDIFICIEIS. OP-
PIDEIS. IOVRIS.
TERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM. IEIS.
CONSVLIBVS.
QVEI. SVPRA. SCRIPTEI. SVNT. FVIT. QVOD.
EIVS. PRAETER.

LOCA.

LOCA. AGROS. AEDIFICIA. IPSEI. SVA. VOLVNTATE. AB. SE. NON.
ABALIENARVNT. IDEM. IN. EISDEM. REBVS. LOCEIS. AGREIS.
AEDIFICIEIS. OPPIDEIS. TERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM.
IOVS. ESTO. ET. QVO. MINVS. EA. QVAE. IN. HOC. CAPITE. SCRIPTA.
SVNT. ITA. SINT. FIANT. EIVS HAC. LEGE. NIHILVM. ROGATVR.
QVAM. LEGEM. PORTORIEIS. TERRESTRIBVS. MARITVMEISQVE.
TERMENSES. MAIORES. PHISIDAE CAPIVNDIS. INTRA. SVOS.
FINEIS. DIXSERINT. EA. LEX. IEIS. PORTORIEIS. CAPIVNDIS.
ESTO. DVM. NEIQVID. PORTORI. AB. IEIS. CAPIATVR. QVEI. PVBLICA.
POPVLI. ROMANI. VECTIGALIA. REDEMPTA. HABEBVNT. QVOS.
PER. EORVM. FINEIS. PVBLICANEI. EX. EO. VECTIGALI. TRANSPORTABVNT..

TANTVM.

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

Bilbit

Cato

INDEX.

Ennius

Horatii

INDEX.

T

Tempe-

 Verni-

INDEX.

F I N I S.